DE FUTURO IMPIORUM STATU

LIBRI TRES

UBI

ADVERS. DEISTAS, NUPEROS ORIGENISTAS, ALIOSQUE NOVATORES

ECCLESIÆ CATHOLICÆ DOCTRINA

DE POENARUM INFERNI VERITATE, QUALITATE, ET ÆTERNITATE ASSERITUR ET ILLUSTRATUR.

AUTHORE P. F.

JO. VINCENTIO PATUZZI

ORD. PRÆDICAT. SACRÆ THEOL. LECTORE.

EDITIO SECUNDA

Ab Authore recognita, & pluribus additamentis locupletata.

VENETIIS,

MDCCLXIV.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

CASU potius, quam præmeditato conſilio factum eſt, ut huic operi conſtruendo manus admoverem. Alio plane cogitationes meas, curaſque direxeram, refellendo ſcilicet cuidam ex Anglia Scriptori, qui paucis ab hinc annis libellum in lucem edidit, in quo de ſede Inferni differens, poſthabita omnium ſæculorum, ac gentium fide, eam *in Sole* collocandam decernit: jamque omnia ferme paraveram, quæ novæ, ac haćtenus inauditæ opinationi confutandæ, & Catholico dogmati illuſtrando, firmandoque neceſſaria, aut opportuna viſa fuerant; cum auſpicato, ut quidem arbitror, ea injecta menti eſt cogitatio utiliorem futurum laborem meum, ſi quædam obiter præmitterem, ut Inferni ipſius veritatem adſtruerem, ejuſque pœnas, ac interminabilem durationem, de quibus haud eram neſcius hac præſertim tempeſtate noſtra pertinaces a quibuſdam moveri lites, & controverſias. Verum cum, arrepto conſilio, parvo me ſtatim fluvio lubens commiſiſſem, oſtia ſenſim prætervećtus in altum mare delatus ſum. Explicuit ſeſe inter ſcribendum, crevitque in immenſum nobiliſſimi argumenti materies. In luces incidi de rebus hiſce quæſtiones aut plane neceſ-

ſarias, aut admodum utiles, quas piaculare viſum eſt omnino præterire. Plures etiam, quam ab initio putaveram, nactus ſum hoſtes infenſiſſimos, qui aut omnia, aut præcipua ex iis, quæ de futuræ vitæ pœnis rata hucuſque, & explorata ſemper habuit Chriſtiana Religio, vel auſu temerario rejicerent, vel tanquam ſubleſta, & incerta traducerent. Quare, mutata demum ſententia, quod levi tantum manu verſare in animo fuerat, accurate pro merito, diligenterque diſcutere, ac pertractare decrevi: atque adeo, quæſtione *de Sede Inferni* in tempus aliud rejecta, novum hoc opus aggreſſus ſum, in quo Catholicæ Eccleſiæ Fidem de alterius vitæ ſuppliciis, impiis omnibus paratis, quantum pro viribus licuit, defendo, & illuſtro: unde & illud *de futuro Impiorum ſtatu* inſcribendum cenſui.

II. Captum a me conſilium nemo, niſi me fallit animus, non probaverit, qui ſerio perpenderit, quam neceſſe ſit hoc maxime tempore de iſtiuſmodi argumentis diſſerere. Eo nimirum temeritatis delira hac ætate deventum eſt, ut nihil propemodum ſit in Religione Chriſtiana, quod a nefariis quibuſdam vel privatim in dubium, vel in controverſiam publice non vocetur, ſcriptiſque etiam in lucem editis non oppugnetur. Quid non factum, quid non quotidie fieri cernimus a non paucis ſive inter Anglos, ſive inter Batavos, Germanoſque ſcriptoribus, ut illuſtriores Fidei veritates in Chriſtiana gente pacifice regnantes de ſede dejicerent, quin & ipſa cujuſque Religionis fundamenta ſuffoderent, ac labefactarent? Nemo jam vivit inter eruditos, cui comperta non ſint infamia nomina *Benedicti de Spinoza*, *&* *Joannis Tolandi*, qui peregrinum de divina natura, & operatione ſyſtema moliti ſunt, ut Atheiſmum, quem animo præconceperant, ſecurius obtruderent: *Petri Bellii*, qui univerſalem Pyrrhoniſmum in litterarium orbem invehere conatus eſt, nitidioreſque veritates offundere: *Antonii Collinii*, qui, jugo quovis excuſſo, ad effrænem cogitandi, opinandique libertatem humanam mentem excitare impenſe ſtuduit: *Hobbeſii*, *Tindalii*, *Vvollaſtonii*, aliorumque perditiſſimorum, qui non uni, vel alteri ex Eccleſiæ dogmatibus, ſed prorſus omnibus, immo toti Religioni bellum inferre, extremaſque inſidias ſtruere pertentant, pluribus in lucem evulgatis lucubrationibus nocte pluſquam cimeria digniſſimis. Hi porro, cum cætera quæque arrodant Chriſtianæ Fidei fundamenta, tum illud maxime, vel acie directa,

vel

vel obliqua, & per cuniculos adoriuntur, quod futuram impiorum punitionem ſtatuit: imo ad hujus perniciem in primis collineant ſacrilegæ omnes ipſorum artes, conatuſque, ut, vindictæ metu ſublato, quæcumque placuerint, & liberius ſentiant, & confidentius exequantur.

III. Sed & alii plures diebus hiſce noſtris eruperunt, qui tametſi non eo uſque temeritatis, & impudentiæ proceſſerint, ut adverſus Religionem aperto marte deprælientur, vitamque aliam rejiciant, in qua, ſicut boni præmia, ita mali digna pro meritis ſupplicia percipiant; multa tamen ex iis, quæ ab ipſis Eccleſiæ primordiis docuit, docetque Chriſtiana Fides, in quæſtionem trahunt, deque impiorum futura ſorte aliter ſentiendum putant, ac per omnia retro ſæcula continenti ſucceſſione ſenſit univerſus Chriſtifidelium cœtus. Nonnulli ſiquidem pœnarum rigorem ſummopere emolliunt, ac extenuant, quæque de his a ſacris oraculis prodita ſunt, ad tropos, & allegorias temere detorquent, ipſumque adeo Inferorum ignem tam frequenter in divinis libris commemoratum, vel in fabulis habent, vel realem eſſe propriumque negant, & in pravæ conſcientiæ ſtimulis, ac terroribus poſitum docent. Aliqui etiam damnatos quoſque, quibuſdam demptis impietatis, & nequitiæ monſtris, nonniſi privativa pœna puniendos effutiunt: Plurimi vero adverſus præcipuam, cæteriſque omnibus longe terribiliorem pœnarum Inferni conditionem, earundem videlicet æternitatem, inſurrexerunt, eamque omnibus artibus, & machinis aggreſſi ſunt. Nam præter Deiſtas, & Incredulos, qui nulla Sacrarum litterarum habita ratione, Catholicum dogma tanquam divinæ Bonitati, ac Juſtitiæ repugnans intoleranda præfidentia calumniantur, inter ipſos, qui ſe cultores Chriſtianæ Fidei profitentur, duplex nuperrime emerſit Novatorum genus, qui contemta totius Eccleſiæ doctrina, alia de futura Impiorum ſorte ſyſtemata procuderunt, ut interminabilem pœnarum durationem everterent. Hinc *Sociniani*, quibus noviſſime acceſſit celebris inter Anglos Philoſophos *Joannes Lokius*, æternam impiorum pœnam nullam aliam eſſe pertendunt, quam totalem eorumdem, quoad corpus, & animam interitum, ſive deſtructionem, cui propter flagitia vel ſtatim a morte, vel poſt ſupremum Judicii diem addicendi ſunt. Illinc vero *Nuperi*, ut

Digitized by Google

ut audiunt, *Origeniſtæ*, quibus cum abſurda nimium viſa fuerit Socinianorum opinio, Damnatorum omnium *apocataſtaſim*, ſive in ſtatum meliorem reſtitutionem aliquando futuram commenti ſunt, vel potius ex veterum Origeniſtarum ruderibus inſtaurarunt: quæ ſententia in Anglia primum excitata, ad exitum vertente elapſo proxime ſæculo, ab obſcuro quodam Scriptore *Jana Leadia* nominenuncupato, mirum eſt quam brevi tempore ſuccreverit, quotque in ſui amorem, ac patrocinium pertraxerit ex omni ferme recentium Heterodoxorum grege. Quid enim non auſint ſuperba hominum ingenia, quæ ſalutare Eccleſiæ authoritatis frænum excuſſere, ſuoque privato judicio & arbitrio Fidei doctrinas ſubjiciunt? Novam Hypotheſim ex Anglorum natione avide complexus eſt *Thomas Burnetus*, palamque propugnat in libro *de ſtatu Mortuorum*, necnon *Jo. Tillotſonus* Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui licet in ſermone, quem de hoc argumento publici juris fecit, ſubobſcure loquatur, eam tamen arridere ſibi ſatis manifeſtat: Ex Lutheranis *Quillelmus Peterſenius*, *Chriſtophorus Gotlierus*, & ex parte, *Samuel Chriſtianus Tauberus*; Ex Arminianis vero, præter alios plures, *Joan. Clericus*, *&* *Quillel. Kingius*: aliique permulti ex Calviniſtis, quos opportunius alibi referemus, qui ſcriptis de hac re editis totum fere litterarium Orbem implevere.

IV. Quamobrem nullus dubito, quin ſatis quiſque intelligat referre plurimum, planeque neceſſarium eſſe adverſum tot Chriſtianæ Religionis hoſtes audaciſſimos in Fidei defenſionem ac tutelam ad arma proſilire, & eorum temerarios, nimiumque exitiales impetus omni ſtudio, animique contentione retundere. Quod enim in diſcrimen adducitur, non eſt privata quædam Theologorum opinio, de qua ſentire quodvis liceat citra vel piaculum, vel periculum: neque aliquid ex iis Eccleſiæ dogmatibus, quod levis forte momenti judicari queat; ſed unum ex præcipuis Religionis capitibus, & fundamentis, ex quo totius humanæ vitæ recte inſtituendæ ratio vel maxime pendet, quove, ſi fieri quidem poſſet, vel dejecto, vel concuſſo, omnis pietas, honeſtas omnis, atque Religio vel penitus concidant, vel admodum vacillent, neceſſe eſt. Nam quid amplius ſperandum putes a mortalibus in vitia pronis, ac turbidis cupiditatibus in malum vehementer abreptis, ſi ſaluberrimum illud,

ſan-

ſanctiſſimumque futuræ vindictæ frænum, quo in officio erga Deum & homines contineri in primis ſolent, ſemel excutiant, aut laxent? Nonne conſequens eſt, ut Religionem, ac honeſtatem abjiciant, effuſoque curſu in omne nefas, ac flagitium proruant? Quod ſi etiam duntaxat hoc ſibi perſuaſerint, non alia improbos in futura vita manere ſupplicia, quam mitiora, vel temporaria, num ſatis illos a vitio, & ſcelere deterrendos putabimus, qui pleroſque vel horrendis, ac nunquam finem habituris cruciatibus, quos firme ſe credere profitentur, parum adeo commoveri frequentiſſime cernimus, ac dolemus?

V. At forte dicat aliquis, rem quidem permagni eſſe momenti, ſed haud ſane oportere, ut de illa inter Catholicos quæſtio moveatur: inter Catholicos, inquam, ubi ſacræ doctrinæ depoſitum intemerate cuſtoditur, ubi veritates, quæ in extraneis regionibus in concertationem veniunt, alta pace fruuntur, nec ullus eſt tam impudens, & impius, qui ad eas appetendas inſurgere audeat: quin offendi poſſe plurimorum animos, dum ea ad examen revocari audiunt, quæ ipſi tanquam certiſſima, ac firmiſſima ſemper habuerunt, nullique obnoxia diſputationi: adeoque conſultius eſſe ab hujuſce generis controverſiis abſtinere, quarum tractatio nihil utilitatis, multum vero incommodi, atque periculi afferre poteſt.

VI. Perperam tamen hæc, & dici, & colligi poſſe, facile mecum ſapiens & prudens quiſque conſenſerit. Primum enim, etiamſi haud neceſſe foret ad Catholicorum bonum, & utilitatem de iis veritatibus diſſerere, quas ipſi firmiter retinent, & adverſa commenta diſſipare, nunquid iccirco ab horum confutatione, Chriſtianæque Fidei defenſione abſtinendum foret? Quot alia ſunt, ſive inter infideles, ſive inter heterodoxos errorum portenta a Catholicæ Eccleſiæ finibus longe remota, de quibus latiſſime diſceptatur a noſtris? Quot abſurdiſſimæ opinationes cum ſuis jampridem Authoribus conſepultæ, quarum vix tenuis ſupereſt in libris memoria, iterum a Theologis exponuntur in lucem, & accurato ſtudio refutantur, non ſine magno eruditorum plauſu? Num quiſpiam, horumce laborem improbandum putavit, quod nihil inde commodi, aut emolumenti referat Catholicorum reſpublica, quæ hujuſmodi commenta ſatis jam damnat, & execratur? Immo potius, ſapientum omnium

mnium judicio, ſingulari laude dignum cenſetur errores perſequi etiam in exterorum caſtris, & a Religione noſtra ſejunctis nationibus, ac poſſe quemquam, prout ſe occaſio tulerit, de fide, quam profitetur, rationem reddere, & adverſariorum ſophiſmata diſſolvere. Umbras porro, & inania ſpectra ſibi confingit, qui ex rerum alioquin certiſſimarum examine offenſionem fidelium pertimeſcit. Quis enim offendi merito poteſt, dum earumdem veritas clariore in lumine collocatur, & quam firme conſiſtat palam omnibus oſtenditur? Nonne citra ullius periculi metum de ipſa a pluribus inter Theologos diſputatur exiſtentia ſupremi Numinis, de ejuſdem Sanctitate, & Providentia, deque aliis ſacratiſſimis dotibus, & perfectionibus, quas omnes ad unum Catholici exploratiſſimas habent, ſemperque habuerunt! Cur ergo jure metuendum dixerimus ne plures offendantur, dum ea quæ Fides Chriſtiana de futura impiorum animadverſione docet, a Novatorum inſidiis, atque conatibus vindicantur?

VII. Verum enim vero qui inutile prorſus, ac ſupervacaneum exiſtimat de certiſſimis hiſce veritatibus diſſertationem apud Catholicos inſtituere, earumque patrocinium ſuſcipere, næ ille nimium peregrinum & hoſpitem ſe prodit in rebus humanis, planeque ignarum corruptelæ bonorum omnium lacrimis deplorandæ, quæ etiam inter nos irrepſit, ac ſerpit. Ea ſcilicet errorum monſtra, quæ expugnanda, & jugulanda aggredimur in hoc opere, quamquam ſub alio cælo ortum, & incrementum acceperint, ibidem tamen minime ſubſtitere, ſed in Catholicorum quoque fines irruerunt, & lethali afflatu non paucorum animos infecerunt, ac inficere pergunt. Nefarii libri, qui ea continent, in noſtras etiam regiones delati, ſollicite quæruntur a pluribus, ſummaque aviditate leguntur, omniumque peſtilentiſſima *Bellii* opera, in quibus novo fuco illita, & Gallicæ linguæ leporibus reſperſa proſtant, quæcumque occurrunt diviſim in cæteris, impia dogmata, alicubi etiam fœminarum teri manibus non ſine ingenti animi commotione pluries audivimus. Quæ porro inde mala plerumque ſoboleſcant, vix exprimi verbis poteſt. Cum enim corrupta hominum natura nihil enixius expetat, quam ut ſibi liceat impune, quocumque lubet, facillime ſe commoveri ſinit iis argumentis, aut potius

rius ſophiſmatis , & fallaciis , quibus futurarum pœnarum metus vel penitus extinguitur, vel ſaltem debilitatur. Nulla quippe tam certa eſt, atque perſpicua veritas, quæ non aliquibus tenebris, aut ſuapte natura & indole offundatur, aut ſophiſtarum argutiis offundi non poſſit, ut ſapienter animadvertit S. Auguſtinus (a). Nimium proinde urgente veſano libertatis ſtimulo, plures vitæ præſertim ſolutioris pernicioſas doctrinas, quas in peſſimis libris legunt, libenter excipiunt, & animo complectuntur , omnemque futuræ ultionis formidinem ſenſim exuunt , atque projiciunt . Quodque adhuc deterius eſt , cum ſociorum multitudine adverſus obſtrepentem ſcelerum conſcientiam tueri ſe quodammodo poſſe blandiantur , minuſque imprudentes videri , exitiale venenum, quod imbiberunt ipſi , aliis quoque epotandum ſtudioſe porrigunt, & ſub novitatis lenocinio latius effundunt. Nonne (quod ſatis numquam ingemiſcas) etiam inter Catholicos aliquando inveniuntur perditiſſimi homines, qui in circulis, & congreſſibus inter dapes & crateres apud amicos, & criminum ſocios, ſermones de futura hominum ſorte callide ferunt, ejuſque fidem in quæſtionem adducunt: qui difficultates aggerunt de Providentia, ac Juſtitia Dei, deque Animæ immortalitate: qui dubia plura innectunt de Inferni igne, de verme, de Damnatorum carcere, aliiſque tormentorum generibus, & commentitias quandoque ſtudio promunt in medium quorundam narrationes, & omnia tanquam aniles fabulas, & puerorum terriculamenta ſecurius contemnant, & petulantius irrideant; qui denique Eccleſiæ doctrinam de pœnarum æternitate ſophiſticis, quas e contagioſis fontibus hauſerunt , argumentationibus obducunt, quibus animos jam ad abjiciendum futurorum metum proclives ſæpe polluunt, atque corrumpunt .

VIII. Cum hæc ita ſint, ut experientia nimium frequenti fateri cogimur , nullus plane inficias iverit ; nedum ad Fidei, & Religionis adverſum extraneos tutelam, ſed etiam ad Catholicorum bonum intereſſe plurimi , ut ſummi momenti veritates ab exitioſis , vaniſque impiorum hominum commentis aſſerantur, ac in tuto collocentur , ut abnormes comprimantur Novatorum auſus, impetus retundantur, machinæ disjiciantur, detegantur fraudes, & malæ artes, & quam firmis principiis, & inconcuſſis fundamentis ni-

(a) Lib. 3. contra Academ. Cap. 14.

tatur Chriſtiana doctrina, depulſis errorum nebulis, omnibus manifeſtetur. Atque utinam plures inter noſtrates Theologos, & Doctores, qui & ingenio, & eruditione præcellunt, hanc ſibi provinciam ſumerent, ut Eccleſiæ Fidem de rebus tam neceſſariis omni armorum genere tuerentur, hominumque audaciſſimorum conatus improbos propulſarent! Amplus iſthic apertuſque campus oppido pateret ipſis, unde latius excurrerent, ſummaque cum laude ingenii ſui vires exercerent. (*a*) Sed (quod ſæpe dolui, nec dolere deſinam) hæc eſt temporum noſtrorum infelix conditio, ut qui majori præſtant ingenii vi, & omnigenæ eruditionis ſubſidiis abundant, hi ſæpius ludant operam in rebus vel nullius, vel exigui momenti, ac dummodo novi quidpiam expromant in lucem, quod litteratorum Rempublicam antea latuerit, diſceptare malunt *de fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones magis præſtant, quam ædificationem*, ut dicitur *Prima ad Timoth. cap.* 1., quam de ſacratiſſimis Religionis noſtræ dogmatibus, quæ tanquam argumenta nimium vulgaria, ac viris in orbe litterario clariſſimis minus conſentanea pene dedignantur. Ad me quod attinet, quamquam vires meas admodum exiguas, & infirmas eſſe cognoſcam, nec tanto argumento pares, eas tamen, qualeſcumque demum ſint, in præſidium Religionis, & veritatis, in corruptelæ nimium graſſantis remedium experiri decrevi, curaque omni, ac ſtudio, quæ de futura impiorum ſorte credenda proponit Catholica Eccleſia, illuſtrare, propugnare, & ab iniquis cavillatoribus aſſerere. Sic enim futurum facile confido, ut nedum veritas de ſuis hoſtibus triumphet, verum etiam, qui hactenus a peſtilentibus irreligioſorum hominum vel ſcriptis, vel ſermonibus ſibi caverunt, eo diligentius ſibi impoſterum caveant: qui autem perverſas animo opinationes imbuerunt, eas confeſtim reſpuant, ac deteſtentur, ſibique prudenter conſulant in negotio omnium maximo, in quo non de levi aliquo, aut temporario malo, ſed de ſumma agitur ac ſempiterna calamitate.

IX.

(a) *Hæc vera Theologia eſt Religionis Chriſtianæ veritatem ſcire, & adverſus Atheos, & impios, quorum hac ætate ingens numerus, poſſe propugnare, eorumque argumenta diſſolvere, non in ſcholaſticis contentionibus plerumque inutilibus, toto vitæ tempore immerari.* Natalis Alex. ſec. 5. cap. 4. art. 14.

IX. En igitur hujuſce a me ſuſceptæ diſputationis paucis ob oculos poſita methodus & œconomia. Totum opus in tres libros diſtribuo: in quorum primo extantiam, ſeu veritatem divinæ vindictæ, quæ improbos poſt mortem manet, firmiſſimis argumentis adverſum Deiſtas propugnandam, & vindicandam ſuſcipio: adverſus inquam *Deiſtas*, quo nomine omnes illos *Incredulos*, *& Spiritus fortes* complector, qui Deum quidem fulgentiſſimæ veritatis luce perculſi negare non audent, negant tamen, aut in dubium vertunt vel peculiarem ipſius de actionibus hominum Providentiam, vel animorum noſtrorum immortalitatem, vel futurum alium vitæ ſtatum, in quo impii a Divina juſtitia puniantur: adeoque Religionem revelatam non agnoſcunt, & naturalem etiam vel omnino, vel ex parte ſubvertunt. Hos ego potiſſimum refello in hoc priore libro. Veri ſiquidem Athei, & mea, & aliorum plurium ſententia, vel nulli ſunt, vel admodum pauci: quos proinde potius negligendos, contemnendoſque, quam ſpeciali cura confutandos exiſtimo. Ex iis nihilominus, quæ contra *Deiſtas* proferemus, quamplura etiam Atheis, ſi qui ſint, debellandis accommoda eſſe facile conſtabit. Tria porro ſunt argumenta, aut argumentorum genera, quæ in rem hanc opportuniora viſa ſunt, quantumque viribus meis conſequi licet, promoveo urgeoque: primum ſcilicet ex Dei Sanctitate, Juſtitia, & Providentia deſumptum: quas præclariſſimas dotes conſtare ipſi minime poſſe, futura impiorum punitione ſublata, luculenter evinco: alterum ex omnium a primis uſque temporibus nationum, atque gentium in ea fide, ſive perſuaſione conſenſu, quem validiſſimum eſſe veritatis argumentum, invicta ac plane neceſſaria conſecutione compertum facio: tertium tandem ex revelatæ Religionis doctrina, ſive ex divinarum litterarum apertis, ac perſpicuis teſtimoniis; quod probationis genus, tametſi adverſum Deiſtas prima facie ineptum videri queat, eo tamen efficaciter urgeri, penituſque proſterni luce clarius oſtendo.

X. Erit fortaſſe nonnemo, qui miretur, & quærat, cur argumentum illud omnino præterierim, quod adverſum Incredulos alterius vitæ ultionem abnuentes, illuſtres plurimi Scriptores (*a*) vel unice, vel maxime promovent, ex

 ani-

(a) D. Dittonus 3. part. ſupl. Relig. Demons. Dotellius 3. par. Equit. inſt. Author. Epiſt. Crit. Tom. 2. & alii.

animi nempe natura, ſicut immateriali, ita & ſua ſponte immortali. Verum, qui rem ſapienti animo reputaverit, facile perſpiciet, me non injuria ab hoc abſtinuiſſe argumento. Quamquam enim nullatenus ambigam animos noſtros quacumque immunes eſſe concretione materiæ, adeoque ſuapte natura immortales, idque evidenter demonſtrari poſſe conſentiam; hoc tamen cauſſæ, qua de agimus, aut nihil, aut parum, meo facile judicio, ſubſervit: tum quia certiſſimum mihi eſt æternum manere poſſe animos, vel miſeriæ capaces, vel felicitatis, licet materia aliqua concreti ponantur, ut quidam ex antiquis Philoſophis, & etiam Eccleſiæ Patribus reipſa poſuerunt. Quis enim fieri nequaquam poſſe dixerit ſervare Deum a corruptione, & interitu materialem ſubſtantiam, ut quod bonis, vel pravis operibus ſibi debitum fecerit, aut præmium referat, aut ſupplicium? Tum quia ex nativa duntaxat animi noſtri immortalitate, niſi aliud quidpiam adjeceris, neceſſario colligi nequit permanere ipſum ad retributionem aliquam percipiendam. Unde & plures ex Socinianis impiorum animos ex ſe immortales a Deo deſtruendos, & in nihilum redigendos opinantur, & nonnulli ex Deiſtis ſuperſtites quidem ſemper futuros non diffitentur, ſed in ſtatu quodam doloris, & afflictionis experte. Fateor tamen non invitus, quod neceſſaria, me quidem Judice, conſecutione non ſequitur, ſequi ſaltem conjectura probabili. Sed nos ad congruentem tantummodo rationem proferendam, e re noſtra eſſe non duximus diu detinere lectorem in ſubtili quæſtione pluribuſque implicita difficultatibus a vulgari intelligentia ſemotis, cum præſertim rationes affatim ſuppetant omnibus perviæ, eæque efficaciſſimæ, quæ rem omnino conficiunt, quacumque demum de animorum natura hypotheſi conſtituta.

XI. Primo huic libro ſuccedit alter, in quo de qualitate diſſero, ſive conditione pœnarum, quibus impii in futura vita puniendi ſunt, eaſque ex ſacrarum litterarum authoritate, & Eccleſiæ documentis percenſeo. Nam de impiorum quidem punitione certiores nos faciunt vel ſola naturalis rationis evidentiſſima principia. Quænam vero ea definite futura ſit, quove modo exercenda, cum ex ſupremi Judicis Dei ſapientia, juſtitia, & voluntate pendeat, cognoſcere certo non licet, niſi ex ejuſdem revelatione, quæ nobis in divinis libris, & Eccleſiæ doctrina innoteſcit. Repudiatis igitur ab-

ſur-

ſurdis, & male confutis narrationibus, quas gentilium Poetarum more, ſcriptores quidam levioris ferme notæ commenti ſunt, a pœna illa explicanda initium ſumo, quam *damni* appellant, ſive etiam *privativam*, quod in claræ Dei viſionis, omniumque bonorum privatione conſiſtat. Hinc vero ad pœnas *ſenſus*, ſeu *poſitivas* progredior, quibus impios omnes pro meritorum ratione plectendos eſſe extra cujuſque dubitationis aleam in primis conſtituo. Tum eorum pluribus per nonnulla capita luculentiſſime expoſitis, in pœna ignis vere proprieque dicti, quæ nunc in controverſiam revocatur, adſtruenda potiſſimum immoror, fuſeque demonſtro Scripturarum teſtimonia, quæ illam frequenter enunciant, non in tropico, aut metaphorico ſenſu, ſed obvio, atque nativo eſſe intelligenda, omnibus in ſubſidium vocatis ſanioris Criticæ, & hermeneuticæ regulis, firmiſque aliis adductis probationibus. Eo autem libentius hoc argumentum uberius diſcutiendum exiſtimavi, quod nemo adhuc, niſi me opinio fallit, illud pro dignitate tractaverit. Nam Theologi non modo Scholaſtici, ſed & Dogmatici, atque hi etiam, qui concertationibus adverſus Heterodoxos magis inclaruerunt, vel illud non attingunt omnino, vel curſim, & alio properantes expediunt.

XII. In tertio demum libro cauſſam omnium procul dubio graviſſimam defendendam aggredior, de pœnarum nempe alterius vitæ æternitate, quam præ cæteris maximopere impugnant plurimi ex recentioribus hæreticis, nemine, quem viderim, Catholicorum contra hiſcente, aut eorum auſibus reluctante. Cum *Sociniani*, ac *nuperi Origeniſtæ*, præcipui hujuſce dogmatis hoſtes, Scripturæ authoritatem recipere ſe, ac revereri glorientur, litemque nobis intentent de legitimo ejuſdem ſenſu, ac intelligentia; iccirco in hujus argumenti tractatione ab examine incipio ſacrorum textuum, iiſque ad trutinam ſeveriorem exactis, ac fuſe, accurateque perpenſis, effugiis etiam, cavillationibus, ac technis omnibus adverſariorum profligatis, exploratiſſimum facio, ut mihi quidem videtur, pœnarum Inferni durationem nunquam deſituram veritatem eſſe a Deo in ſacris codicibus perſpicue revelatam, adeoque a quocumque Chriſtiano ſubmiſſe amplectendam, firmeque credendam. Diu anceps hæſi, an præter Scripturæ authoritatem, Eccleſiæ quoque perpetua traditio promenda mihi foret in Catholici dogmatis confirma-

mationem . Superfluum quippe videri facile poſſe rebar, hoc argumento urgere homines , qui parvipendunt Eccleſiæ doctrinam , & celeberrimos quoſque Patres erecto ſupercilio aſpernantur, ac veluti de ponte dejiciunt. Verum re maturius expenſa , ad eam facile opinionem adductus ſum, non eſſe in quæſtione adeo momentoſa argumentum hocce ſilentio prætereundum . Quandoquidem conſtans ſtabilisque a primævis uſque temporibus Eccleſiæ Patrumque omnium in eo dogmate conſenſio, plurimum valere poteſt, ac debet ad fidem cordatis quibuſcumque faciendam non aliam fuiſſe Apoſtolorum, & Chriſti Servatoris noſtri doctrinam, nec alium Scripturarum verbis nativum ineſſe ſenſum, quam qui modo a Catholicis aſſeritur ac propugnatur . Quibus lato calamo peractis , poſtremo loco ſub incudem veniunt argumenta illa ex promptuariis humanæ rationis educta, quæ ſummopere jactant adverſarii , & tamquam invicta, ac decretoria protrudunt: quibuſque etiam uti ſolent *Deiſtæ* ad omnem futuræ vitæ punitionem per latus oppugnandam. Hæc ego majori , qua poſſum , claritate diſſolvo : quin etiam æternam impiorum miſeriam nedum cum naturali ratione minime pugnare , ſed eidem potius valde congruere , principiis, quæ nemo jure rejiciat , efficaciter evinco . Et ecce lucubrationis meæ levem quamdam adumbratam imaginem . Faxit gratia ſua miſericors Deus , ut dum de futura animadverſione pertracto , ſalutaris ejuſdem timor & meo, & Lectorum omnium cordi altius infigatur .

IN-

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM
DE
FUTURO IMPIORUM STATU.

LIBER PRIMUS

In quo firmiſſimis argumentis evincitur alium neceſſario admittendum eſſe vitæ ſtatum, quo impii homines pro meritorum ſuorum ratione puniantur.

CAPUT PRIMUM.

Metus futuræ pœnæ ad continendos homines in officio quam neceſſarius. Recenſentur, qui eam negarunt, aut negant. Triplex diſtinguitur Deiſtarum genus, qui hanc veritatem impugnant. Quo ex fonte præcipuo profluat veſanus error, declaratur. pag. 1.

CAPUT II.

Primum argumentum ad adſtruenda alterius vitæ ſupplicia impiis parata ex Dei Providentia deſumptum, prout frequentius proponitur. Quædam ad ejus vim demonſtrandam propoſitiones præmiſſæ. Admittendæ ſunt humanæ actiones natura ſua, non ſola hominum opinione, aut utilitate, bonæ vel malæ. Pluribus propoſitio invicte comprobatur. Conſectaria quædam derivata. Libero arbitrio præditus homo eſt, adeoque capax meriti, ac demeriti, præmii, & ſupplicii. Argumenta hujuſce veritatis plane decretoria propoſita. Hobbeſii fundamentum diruitur. Qui Deo Providentiam, aliaſve perfectiones morales *ſubtrahunt, Deum ipſum negare convincuntur.* p. 6.

CAPUT III.

Ad argumenta, quæ ex Dei perfectionibus proferuntur pro adſtruenda futura impiorum pœna, quædam prænotantur. Primum argumentum ex ſanctitate promitur divinæ naturæ. Alterum ex prærogativa ſupremi Legislatoris Deo maxime convenienté. Tum vero proponuntur ea, quæ ſuppeditant ſanctitas, ſapientia, ac juſtitia divina. Quæ demum deducuntur ex Dei Providentia, validiſſime confirmantur, ac pluribus illuſtrantur. Præcipua Deiſtarum evaſio quaquaverſum præcluſa. p. 23.

CAPUT IV.

Precedens argumentum quam firmum & efficax habitum ſit ab Eccleſię Patribus ad probandam alterius vitę retributionem. Plurium eorum proferuntur hac de re ſententię, precipue Juſtini Martyris, Athenagorę, Cyrilli Hieroſolymitani, Auguſtini, maximeque Joannis Chryſoſtomi, qui illud frequentius adhibuit, ac luculentius illuſtravit. p. 42.

CA-

CAPUT V.

Eodem argumento de animæ immortalitate, futuræque vitæ retributione perſuaſi ſunt præſtantiores inter Gentiles Philoſophi, Socrates, Xenophon, atque etiam Ariſtoteles. Placuit illud quam maxime Platoni, cujus nonnulla inſignia loca producuntur: quemadmodum & Plutarcho, Marco Tullio, aliiſque. p. 47.

CAPUT VI.

Alterum argumentum ex omnium gentium conſenſione depromptum: Quædam prænotantur: Illud non enervant variæ, & commentitiæ de alterius vitæ ſtatu opinationes: nec aliquorum haud cohærentes cum eo dogmate ſententiæ. Admiſſo bonorum præmio, conſequens eſt, ut & malorum admittatur punitio. Authoritate tum Gentilium ſcriptorum, tum ſanctorum Patrum compertum ſit communem fuiſſe ſemper perſuaſionem hominum aliam extare vitam vel beatam, vel miſeram. Eadem quoque evincitur ex hominum Apotheoſi, quæ apud Gentes invaluit. p. 52.

CAPUT VII.

Judæorum ab excidio Hieroſolymitano ad hæc tempora firma de alterius vitæ ſtatu perſuaſio, nemine refragante. Quid cenſeant aliqui de vetuſtioribus Judæis. Concordes in eadem veritate eos ſemper extitiſſe pluribus oſtenditur. Fruſtra objicitur legis Moſaicæ de præmiis, pœniſque ſecuturis ſilentium. Legis illius indoles, & ingenium. Egregia de hac re S. Auguſtini diſtinctio. Eccleſiaſtæ locus late expoſitus. Quam futile ſit argumentum, quod a Sadducæis Adverſarii promunt. p. 56.

CAPUT VIII.

Veterum nationum, quæ olim barbaræ audiebant, communis de futuræ vitæ ſtatu conſenſio. Earum plures, & ferme omnes, de quibus aliquid litteris proditum, in confirmationem adducuntur, ac præſertim Chaldæi, Aſſyrii, Perſæ, Indi, Phœnices, Thraces, Arcades, Ægyptii, de quibus nonnulla animadvertuntur: tum deinde Æthiopes, Libyarum populi, necnon Scithæ aliæque Arctoæ gentes. p. 63.

CAPUT IX.

Græci, Græcorumque ſapientes in eadem ſententia concordes. Poetarum teſtimonia in primis afferuntur, in quorum fabulis ſemina interlucent vulgatæ in populo veritatis. Tum ad Philoſophos acceditur. Pythagoræ Pythagoreorumque quam conſtans de vita futura perſuaſio. Diſſeritur de metempſycheoſeos commento, quod Pythagoræ injuria affictum fuiſſe veriſimilius eſt. Quænam fuerit ejuſdem origo. Nihil illud obeſſe argumento noſtro demonſtratur. p. 69.

CAPUT X.

De ſenſu cæterorum ſapientum, qui in Græcia floruere, quoad futuram vitam inquiritur. Oſtenditur in ea ponenda conſpiraſſe celebriores quoſque Philoſophos, Platonicos præſertim, Peripateticos, Stoicos, alioſque, quorum plura proferuntur teſtimonia. Epicurei, qui eam inficiati ſunt, nullo poſſunt eſſe Adverſariis præſidio. Illorum judicium flocci ſemper æſtimatum eſt a ſapientibus, & a vulgo: ipſique tamquam peſtes humani generis odio habiti, ac pœnis etiam affecti. p. 75.

CAPUT XI.

Dogma idem apud Romanos ſemper obtinuit. Id palam fit pluribus tum Poetarum, tum Hiſtoricorum, tum Philoſophorum in medium adductis teſtimoniis. Diluuntur, quæ contra ex Marco Tullio proferri ſolent. Quid Cicero idem de noſtro argumento ſenſerit, nitide exponitur. Seneca, & Juvenalis a calumnia ipſis impacta, quod mortalem animam fecerint, vindicantur. p. 80.

CAPUT XII.

Nationes omnes, quæ hodieque ſunt in Univerſo, cum antiquis conſpirant in dogmate de miſera Impiorum poſt mortem conditione. Quo pacto illam deſcribant tum novitii Judæi, tum Mahummedani. De Sinenſium, & Japponiorum placitis, earumque omnium gentium, quæ Meridionales, ac Septemtrionales incolunt Aſiæ partes. Hinc ad Affricæ plagas perluſtrandas excurritur, ac demum ad orbem recens detectum: omneſque harum regionum gentes etiam magis barbaræ, & efferatæ, aliqua ſaltem hujuſce veritatis luce perfuſæ deprehenduntur. p. 86.

CAPUT XIII.

Decretorium pro futuræ Impiorum miſeriæ veritate ex omnium gentium conſenſione depromptum argumentum concluditur. Hujuſmodi conſenſus nonniſi ab interiore quadam naturæ vi, aut impulſu profluere poteſt. Quam falſo a quibuſdam humanæ inventioni, aut Politicæ Principum tribuatur. Argumenti robur nullatenus infringit aliquorum diſſenſus. Naturæ vox nunquam fallax, aut errori obnoxia: adeoque ſententiam de miſerrima Impiorum ſorte tali nixam teſtimonio veram eſſe neceſſe eſt. p. 96.

CAPUT XIV.

Tertium argumentum ex ſacrarum Litterarum Authoritate arceſſitum. Tria præmittuntur, quæ a nemine poſſunt in controverſiam trahi: ex quibus colligitur Deiſtas prudenter rejicere non poſſe divinam, quæ de futuro Impiorum ſtatu aſſeritur, revelationem, niſi accurato ſinceroque examine præhabito, ea penitus fundamenta ſubvertant, quæ ad ipſam comprobandam afferuntur: quod hactenus non præſtitiſſe manifeſtum ſit. Singularis opinio Antonii Collinii *contendentis, admiſſa etiam Chriſtianæ Religionis veritate, non eſſe omnino certam futurarum pœnarum exiſtentiam. Quam ludicra & vana ſit, pluribus oſtenditur.* p. 104.

CAPUT XV.

Epilogus hujus prioris libri. Productis argumentis quaquaverſum urgentur Deiſtæ, & Increduli, ut nihil ſolidi reponere contra valeant. Quare mortalium imprudentiſſimi convincuntur, ſi nullum ex iis divinæ Juſtitiæ vindicis timorem concipiant. p. 114.

LIBER SECUNDUS

In quo de qualitate, & conditione pœnarum agitur, quibus Impii in altera vita puniendi ſunt.

CAPUT PRIMUM.

Futuræ Impiorum pœnæ ex Dei verbo maxime definiendæ. Improbatur illorum conſilium, qui plura de iiſdem abſque ſolido fundamento comminiſcuntur. His non favent neque Patres, neque privatæ quædam revelationes. Aliorum extrema ſententia fugienda, qui pœnas eaſdem mollire, ac extenuare ſatagunt. p. 119.

CAPUT II.

De pœna damni primum agitur. Ea indubie juxta ſacras litteras reprobi puniendi ſunt. Æquitas & gravitas hujuſce pœnæ. Eam cæteris quibuſcumque merito præferunt Eccleſiæ Patres. Eamdem adauget plurimum immenſæ Beatorum gloriæ conſpectus, qui Damnatis aſſeritur: ſicut & carentia omnium bonorum, ac voluptatum, quas in hac vita perceperunt. p. 122.

CAPUT III.

Præter pœnam damni etiam admittendæ ſunt pœnæ ſenſus, quibus reprobi affliguntur. Eas quibuslibet hujuſce vitæ miſeriis, & cruciatibus longe acerbiores eſſe, & ſacræ litteræ, & Eccleſiæ Patres teſtantur. His tamen non æque omnes plectendi ſunt, ſed pro meritorum ratione. Peculiaris Opinio Anonymi Theologi Berolinenſis, & Franciſci de Roches Genevenſis, qui putant quoſdam duntaxat inſigniter impios hujuſmodi pœnis ſubjiciendos. Ea pluribus refellitur, quæque illi proferunt in ejus præſidium, nullatenus ipſi ſuffragari demonſtratur. p. 125.

CAPUT IV.

De verme diſſeritur, quem inter Damnatorum ſupplicia Scripturæ memorant. Nonnulli verum quoddam animal futurum exiſtimant. Communior, probabiliorque Patrum, ac Theologorum ſententia eo nomine conſcientiæ pravæ remorſum deſignatum cenſet. Animadverſiones aliquæ in ejus confirmationem. Cauſſæ promuntur, unde in Damnatis oritur hujuſmodi conſcientiæ cruciatus. p. 130.

CAPUT V.

Locum aliquem admittere neceſſum eſt puniendis impiis deputatum, eumque certum, ac definitum. Vanum & inſulſum Ubiquiſtarum commentum. Illud exploditur ſacrarum maxime litterarum oraculis. Damnatorum loci plura nomina. De Gehennæ vocis origine, & ſignificatione diſceptatur. Duriores quædam eliquantur Gregorii Nyſſeni, & Auguſtini ſententiæ. Aliæ objectiunculæ ſolutæ. p. 135.

CAPUT VI.

Damnatorum loci conditiones. Tenebræ ibi ſunt, ſed maligno quodam lumine intermixtæ. Damnatorum ſocietas quam grave ſupplicium. Adauget illud quam maxime tenebricoſi carceris anguſtia. An frigus in eo, præter alia tormenta, concedendum ſit, haud unanimis eſt Theologorum opinio. Sententiæ utriuſque fundamenta. Nihil ſolidi occurrit, quod ajenti ſubſcribere cogat. p. 141.

CAPUT VII.

De Inferorum igne. Recenſentur, qui illum tropice accipiendum opinantur: ac in primis Origenes, qui tamen multorum patrocinio defenditur. Calvinus deinde, aliique ex ejus præſertim diſcipulis. Nimia reprimitur Anonymi Berolinenſis confidentia ferme unanimem de metaphorico ſenſu perſuaſionem venditantis. Quin potius hujuſmodi ſenſus fere ab omnibus improbatur. p. 145.

CAPUT VIII.

Sacræ Scripturæ loca, ubi de Inferorum igne mentio fit, collectim proponuntur: eaque in primis, quæ extant in Veteri Teſtamento, deque futuro Impiorum ſupplicio intelligenda omnino ſunt: quorum aliqua vindicantur ab ineptis quorumdam interpretationibus. Tum deinde, quæ proſtant in Evangeliis, aliiſque novi Fœderis canonicis libris, longe plura, atque clariora. p. 149.

CA-

CAPUT IX.

Divinæ Scripturæ locutiones tanquam tropicæ ad arbitrium accipiendæ non ſunt, ſed ſervatis ſanæ Critices, & Hermeneutices regulis. Quæ profertur a pluribus ad proprium, nativumque ſenſum a tropico diſtinguendum, minus videtur idonea. Certiores aliæ ſanciuntur: iiſque ſacrarum Litterarum de Inferni igne voces proprie ſumendas eſſe fuſe comprobatur. p. 155.

CAPUT X.

Plures ex laudatis Scripturæ textibus peculiariter expenduntur. Nonniſi verum ignem inſinuant, quæ ex Veteri Teſtamento deprompta ſunt, teſtimonia. Clarius idem evincunt, quæ extant in Novo. Senſum metaphoricum penitus excludunt Chriſti Domini verba de igne æterno, ad quem damnandi ſunt impii in finali judicio, quemadmodum & Gehennæ *vocabulum, quo ad ſignificandum futurum ſupplicium frequenter utitur. Parabola de Divite inter flammas conflagrante non obeſt., ſed favet potius igni corporeo. Hunc etiam evidenter produnt verba Apocalypſeos. Qui Scripturæ de Inferni igne locutiones tropice interpretantur, eas ab erroris, aut mendacii nota congrue vindicare non poſſunt.* p. 160.

CAPUT XI.

Conſtanti Eccleſiæ Catholicæ traditione doctrina de igne Inferni corporeo conſtabilitur. Afferuntur præcipuorum Patrum teſtimonia ab Apoſtolorum ævo ad uſque Nycæni Concilii tempora. Traditionis ejuſdem teſtes etiam accedunt trium priorum Sæculorum Eccleſiæ Martyres: quorum plures de hoc argumento authoritates allegantur. p. 166.

CAPUT XII.

Argumenti ejuſdem perſecutio. Tum Græci, tum Latini Patres, qui quarto, quinto, & ſexto Eccleſiæ Sæculis inclaruerunt, verum in Inferno ignem unanimiter profitentur. Hieronymi, Auguſtini, & Gregorii Magni mens latius expoſita. Tum ſequentium ſæculorum Patres, & Scriptores plurimi proferuntur. Aliquæ in laudata Patrum teſtimonia animadverſiones. p. 171.

CAPUT XIII.

Patres, qui adverſus conſtitutam Eccleſiæ traditionem opponi ſolent, eidem contrarii non ſunt, quin potius ſuffragantur. Difficilis Ambroſii locus explanatus. Nullum ex eo præſidium arceſſere ſibi poſſunt, qui contra ſentiunt, ſi alia præſertim ſancti Doctoris loca conſulantur. Gregorii Nyſſeni ſententia perperam a Daniele Huetio, aliiſque explicata. Tum ipſe, tum Joannes Damaſcenus in proprio Gehennæ igne admittendo cum cæteris Eccleſiæ Patribus concordes oſtenduntur. p. 178.

CAPUT XIV.

Argumenta adverſus communem Eccleſiæ doctrinam propoſita, ac ſoluta. Vocabulum Ignis *nonnunquam tropice in ſacris libris adhibitum, haud probat tropice quoque adhiberi, ubi de igne Inferni ſermo eſt: ſicut neque metaphora* Vermis *ad conſcientiæ cruciatum deſignandum uſurpata. Gehennalis ignis ejuſdem eſt cum igne noſtrate naturæ: ſed differt proprietatibus. Nedum corpora, ſed & incorporeas ſubſtantias torquere poteſt, ac torquet. Quomodo in corpora Damnatorum agat citra eorumdem diſſolutionem, & reprobos inæqualiter cruciet, explicatur.* p. 186.

LIBER TERTIUS

In quo de pœnarum Inferni, quibus Impii puniendi ſunt, æternitate diſſeritur.

CAPUT PRIMUM.

DE iis, qui pœnarum Inferni æternitatem inficiantur. Horum Princeps jure habetur Origenes, quem fruſtra ab hoc errore nonnulli purgare conati ſunt. Ejus doctrinam noviſſime excitarunt plures inter Proteſtantes, qui idcirco nuperi Origeniſtæ *appellari ſolent. Quid de reproborum æterna pœna ſentiant* Sociniani. p. 193.

CAPUT II.

De vocibus, quibus in libris tum V. tum N. Teſtamenti æternitas, aut ſtatus ſine fine duraturus exprimitur. Triplex vox in hebraica lingua, ad hanc ſignificandam עולם Holàm, נצח netzac, *&* עד ngad, *quarum duæ poſteriores ſemper, prior vero eam frequentius deſignat. Vox Græca* αἰὼν *non omnino retinuit ſignificationis vim, quam ab initio ſortita eſt, nec in Sacris litteris ad interminatam durationem denotandam ſemper aſſumitur. Illam tamen indubie denotat, cum geminatur: ſicut & dictio inde derivata* αἰώνιος. *Refellitur Huetius, qui conſtanti huic ſignificationi repugnat.* p. 197.

CAPUT III.

Tria Scripturarum genera ad pœnarum Inferni æternitatem adſtruendam. Primum proponitur eas locutiones complectens, quæ poſitiva voce eamdem deſignant. Ex illis extant nonnullæ in libris V. Teſtamenti, quarum aliquæ illuſtrantur. Plures vero, certioreſque libri Novi Teſtamenti ſuppeditant. p. 202.

CAPUT IV.

Claſſis altera locutionum Scripturæ, quibus per negationem finis æternitas reproborum exitii ſignificatur. Satis clara ſunt hujuſce generis teſtimonia, quæ habentur in libro Jobi: ſed illud clariſſimum, quo vaticinium ſuum concluſit Propheta Iſaias: quod & ipſe Chriſtus Dominus in Evangelio pluries authoritate ſua confirmavit. p. 206.

CAPUT V.

Socinianorum reſponſio ad propoſita Scripturarum loca quam abſurda, ac naturali lumini, ſacriſque oraculis maniſeſto repugnans. Hujus occaſione funditus evertitur eorumdem ſyſtema. Fruſtra illud erigere adnituntur recentiores inter Socinianos, novo adjecto temperamento. Voces interitus, mortis, *ac* perditionis *quo ſenſu de reproborum pœna in ſacris litteris uſurpatæ. Inane prorſus eſt argumentum, quod pro viribus urget* Joannes Lokius. p. 209.

CAPUT VI.

Eliditur altera, quam Origeniſtæ *tribuunt productis Scripturarum textibus, reſponſio. Quam fluxum, & caducum ſit fundamentum, cui ſuperſtruitur. Hebraicæ voces ad durationem ſupplicii Impiorum exprimendam adhibitæ non tempus diuturnum, ſed æternitatem definite ſignificant, ſi præſertim tum voces aliæ clariores, tum contextus, tum circumſtantiæ attendantur. Illam luculentius adhuc deſignant græca nomina adhibita in novo Teſtamento. Argumentum in hanc rem ex Beatorum æternæ gloriæ comparatione deductum Patrum ſententiis validiſſime urgetur.* p. 215.

CA-

CAPUT VII.

Proponitur adverſus Origeniſtas *tertia claſſis authoritatum Sacræ Scripturæ quarum veritas conſtare neutiquam poteſt, non admiſſa reproborum miſeriæ æternitate. Nullus poſt hanc vitam ſupereſt agendæ pœnitentiæ, veniæque conſequendæ, locus. Præſens tempus miſericordiæ eſt, atque ſalutis: futurum, ſicut juſtis ſempiterni præmii, ita impiis ſempiterni ſupplicii indignationis, & vindictæ. Plura in confirmationem promoventur tum Chriſti Domini, tum Apoſtoli Pauli teſtimonia.* p. 219.

CAPUT VIII.

Novo argumento recentium Origeniſtarum ſyſtema convellitur, deducto ex verbis, quæ Chriſtus Dominus protulit de Juda proditore. Reſponſa, quæ huic adhibet Anonymus quidam Origeniſta, frivola, ac nugatoria demonſtrantur. Perperam *hic Author divino Salvatori affingit, quod ſoli Judæ convenire poteſt. Confeſſio, quam ab illo demum extorſit verborum Chriſti perſpicua veritas quoad Judæ tormenta, totam ejus hypotheſim labefactat, ac ſubruit.* p. 224.

CAPUT IX.

Peculiare quorumdam Origeniſtarum effugium ad propoſita omnia Scripturarum loca præcluditur. Nullam illud probabilem ſpem impiis impœnitentibus conferre valet. Quamquam Deus abſoluta poteſtate Damnatos e pœnis ſempiternis eripere queat; id præſtare nequit poteſtate ordinaria, ſive ordinata. Decretum Dei de improbis æternum puniendis abſolutum eſſe, non mere comminatorium ex Scripturæ verbis convincitur. Si juſtum non eſſet pœnam æternam pro peccatis infligere, nec comminari illam Deus debuiſſet. Objectio ſolvitur, quam ex facto Ninivitarum Adverſarii conficiunt. p. 228.

CAPUT X.

Alia ad eamdem evaſionem amplius intercludendam argumenta. Pugnat illa cum immutabilitate divini decreti: quod & ipſo juramento ſuo confirmavit Deus. Futiles reſponſiones Tilotſoni *&* Clerici. *Pugnat etiam cum divina veracitate, quæ, admiſſa Adverſariorum hypotheſi, conciliari nequit cum iis, quæ de æterna impiorum miſeria revelata ſunt. Ac demum pugnat cum ipſa quoque Dei Sapientia, ac Juſtitia: adeoque impoſſibilis undequaque eſt conficta illa ſempiternæ pœnæ remiſſio.* p. 233.

CAPUT XI.

Num ſaltem impiorum aliqui ex æternis ſuppliciis tandem eruendi ſint? Variæ de hoc veterum quorumdam ac recentiorum opinationes: quas Dei Verbo adverſari luculenter evincitur. Nullius momenti ſunt, quæ in earumdem defenſionem ex ſacris litteris proferuntur. Sanctus Hieronymus purgatus a ſuſpicione, quod Chriſtianos omnes a ſempiterno exitio demum liberandos docuerit. p. 237.

CAPUT XII.

Nedum terminum habiturę nunquam ſunt Impiorum pœnæ, ſed neque aliquam mitigationem, ſive hæc per decrementum, ſive per cruciatus intermiſſionem explicetur. Contrariæ aliquorum ſententiæ validiſſimis Scripturę textibus exploduntur. His non favent, ut falſo putat Petavius, SS. Auguſtinus, & Chryſoſtomus, aliive Patres: quorum genuinus ſenſus nitide exponitur. p. 243.

CAPUT XIII.

Scripturarum loca explicantur, quę adverſus dogma Catholicum opponunt Origeniſtæ.

niſtæ: *ac præſertim textus Apoſtoli* 1. ad Corint. Cap. 15., *in quo potiſſimum cauſſæ ſuæ præſidium collocant. Germanus hujuſce ſenſus alius longe eſt ab eo, quem ipſi appingunt: quemadmodum & verborum Divi Petri* Actuum Cap. 3. *quibus eumdem confirmare nituntur.* p. 249.

CAPUT XIV.

Somnia diſcutiuntur Anonymi Authoris Batavi, qui præcipuum Origenianæ cauſſæ ſtatumen deprehendere ſibi viſus eſt in libro Apocalypſeos. In eiſdem locis, quæ opponit ille, locupletiſſima extant æternæ pœnæ teſtimonia. Duplex reſurrectio, de qua loquitur S. Joannes, ad Juſtos & Electos referenda eſt, non ad ſceleſtos & damnatos, ad quos ſolum ſpectat duplex mors, prima & ſecunda. De cœtu quoque Beatorum, ſive Eccleſia triumphante dicta ſunt, quæ ad omnes prorſus etiam impios homines & Angelos nuperus Author detorquere conatur. p. 256.

CAPUT XV.

Sententia Origenis *ab Eccleſia tanquam Catholicæ Fidei contraria, ſemper rejecta eſt. Concilia, quibus proſcripta fuit, Alexandrinum maxime, & Oecumenicum Conſtantinopolitanum II. His conſonant decreta Patrum, qui eam veluti Chriſtiano dogmati inimicam damnant, ac ſugillant. Nedum Eccleſia Romana, ſed etiam cæteræ aliæ quæcumque ab ipſa ſchiſmate ſejunctæ, pœnarum æternitatem ut fide certam, continenti ſucceſſione retinuerunt, retinentque.* p. 261.

CAPUT XVI.

Patres omnium ſæculorum in dogmate de pœnarum Inferni æternitate concordes. Plurium eorum, qui vel ante, vel circa ævum Origenis *floruerunt, ſeries contexitur: ſicut & fidelium, qui Chriſti doctrinam, profuſo ſanguine, conſignarunt. Tum ſubſequentia ſæcula perluſtrantur, eamdemque veritatem ubique ab Eccleſiæ Patribus conſtantiſſime traditam oſtenditur.* p. 267.

CAPUT XVII.

Nonnulli Eccleſiæ Patres vindicantur, quos cum Origene conſentientes inducunt Grotius, Petavius, & Huetius. *Juſtino, & Irenæo, aliiſque ſecundi ſæculi Patribus injuria affingitur opinio de temporario impiorum cruciatu, quem potius æternum credidiſſe prolatis ipſorum textibus perſpectum ſit. Gregorii Nyſſeni opera ab Origeniſtis alicubi violata fuiſſe S. Germanus, & Photius teſtantur, quibus fides adjungenda eſt. Nec Gregorium Nazianzenum, nec Ambroſium, & Ambroſiaſtrum Origeniana lue afflatos fuiſſe jure ullo affirmari poteſt.* p. 274.

CAPUT XVIII.

Præter Chriſtianos, aliæ quamplures nationes dogma de æterno impiorum ſupplicio tenuerunt, ac tenent: Judæi in primis, ac Mahummedani. Ejus notitia, ac fide perſuſi fuerunt tum Græci, & Romani, tum Chaldæi, aliique Septemtrionales populi. Eadem perſeverat inter plures Aſiæ, & Americæ gentes. Unde hæc traditio primum profecta ſit, inquiritur. p. 283.

CAPUT XIX.

Generales quædam animadverſiones in argumenta, quæ contra pœnarum æternitatem ab humana ratione depromunt Sociniani, & Origeniſtæ. *Conſenſus plurium in eo dogmate nationum, ſatis evincit ſpectrum eſſe ab illis confictum apertam, quam jactant, ejus repugnantiam cum Dei natura, & perfectionibus. Adverſariorum methodus omnia peſſundat Chriſtianæ Religionis fundamenta. Multa ſunt in rebus ipſis naturalibus certiſſima, quæ tamen repugnantiam involvere videntur. Humana mens*

fide

Digitized by Google

fide deſtituta facile decipi poteſt in iis maxime, quæ divinam naturam, & operationem ſpectant. Deo æternam impiorum miſeriam perſpicue revelanti fides adhibenda, tametſi ideis noſtris adverſari videatur. p. 288.

CAPUT XX.

Primum expenditur Adverſariorum argumentum ex Dei Bonitate, & Providentia arceſſitum. Illud ſibi jam propoſuerat, dilueratque Angelicus Doctor S. Thomas. Illuſtratur ſolutio ab ipſo tradita. Inane eſſet naturale hominis deſiderium erga beatitudinem, ſi eam conſequi non poſſet, non autem ſi actu non conſequatur: neque optimi Proviſoris munus hoc a Deo exigit, ut neminem in æternum perire ſinat. Futile argumentum Anonymi cujuſdam ſcriptoris depellitur. Alia ejuſdem hallucinatio notatur. Quod primo & principaliter Deus extra ſe reſpicit in rebus creatis, eſt bonum totius Univerſi, in quod etiam plurium perpetua damnatio conſpirat. p. 293.

CAPUT XXI.

Solvitur alterum argumentum, quod ex Dei pietate, & clementia promunt. Falſa imaginatio Petri Bælii *de Deo puniente diſſipatur. Præcipua vis objectionis, quam urgent Adverſarii, jam a D. Thoma disjecta. Ejus reſponſio amplius explicatur, roboraturque aliis S. Doctoris documentis. Deus non delectatur in punitione Impiorum, nec illam per ſe quærit, ſed debitum rerum ordinem, qui inde conſequitur, & conſervationem Juſtitiæ, quæ accepta ſibi eſt propter ſe ipſam. Damnati immobiliter hærent in pravo erga culpam affectu. De cauſſis obſtinationis eorumdem in malo.* p. 299.

CAPUT XXII.

Tertium omniumque præcipuum contra æterna ſupplicia argumentum, quod ſcilicet cum divina Juſtitia pugnare videantur. Rejicitur quorundam ſententia, qui putant neceſſum haud eſſe, ut pœnam inter & culpam æqualitas inveniatur, atque adeo Deum punire poſſe ſupra peccantis meritum. Aliam prorſus ideam nobis ingerunt de ſupremo Judice ſacræ litteræ, ac recta ratio. Afferuntur reſponſa, quæ Origeniſtarum argumento adhibent S. Auguſtinus, aliique Patres, ac Theologi. p. 305.

CAPUT XXIII.

Æquitas æternæ pœnæ clarius manifeſtatur. Duplex peccati genus, alterum, quod veniale *appellant, alterum quod* mortale. *Huic ſolum pœnam nunquam deſituram per ſe reſpondere docet Catholica fides. Juſte peccatum hocce puniri æterna pœna* Damni, *ſive privativa, luculenter evincitur. Juſte etiam puniri æterna pœna* Senſus, *ſive poſitiva, duplici S. Thomæ ratione propugnatur.* p. 309.

CAPUT XXIV.

Tertia ratio S. Thomæ ad æquitatem æternæ pœnæ adſtruendam ſumpta ex inordinatione irreparabili per culpam inducta. Principia illuſtrantur, quibus firma conſiſtit: atque illud inprimis: peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod pervertit aliquem ordinem. *Aliud deinde:* inordinatio a culpa cauſata ex ſe irreparabilis eſt: *Scrupulus excutitur* D. Joannis Fectius Roſtochienſis, *& ad concordiam cum cæteris Theologis revocatur. Diſſipantur ea, quæ ad rationis robur infringendum obtrudunt* Bælius, *aliique Scriptores.* p. 313.

CAPUT XXV.

Quarta & poſtrema ratio, qua æquitas æternæ pœnæ comprobatur ex infinita gravitate offenſæ Deo per peccatum illatæ. Injuriæ Dei preſſe dictæ labem peccatum continere oſtenditur. Hujuſce injuriæ ſive offenſæ rationes plures deteguntur. Exſufflantur, quæ contra objicit recentior Author. Ex infinita excellentia perſonæ, gravitatem offenſa quadantenus infinitam haurit, adeoque ſempiterna pœna digna eſt. Eliquantur difficultates a Tilotſono *propoſitæ, ac totum opus concluditur.* p. 319.

NOI

N O I
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova,

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *Stamp. e MS. De futuro Impiorum ſtatu libri tres &c. Editio ſecunda ab Authore recognita & pluribus additamentis locupletata*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio. Battiſta Remondini* Stampator *di Venezia* che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 1. Giugno 1763.

(Sebaſtian Zuſtinian Rif.
(Polo Renier Rif.
(Alviſe Vallareſſo Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 168. al Num. 892.

Davidde Marcheſini Seg.

DE

DE
FUTURO IMPIORUM STATU
LIBER PRIMUS,

In quo firmiſſimis argumentis evincitur, alium neceſſario admittendum eſſe vitæ ſtatum, quo Impii homines pro meritorum ſuorum ratione puniantur.

CAPUT PRIMUM.

Metus futuræ pœnæ ad continendos homines in officio quam neceſſarius. Recenſentur, qui eam negarunt, aut negant. Triplex diſtinguitur Deiſtarum genus, qui hanc veritatem impugnant. Quo ex fonte præcipuo profluat veſanus error, declaratur.

I. NIHIL eſt in hac vita mortali, quod improborum animos vehementius exagitet, eoſque a vitiis ad virtutem, a ſceleribus ad pietatem avocare validius poſſit, ac frequentius ſoleat, quam pœnarum metus, quas Supremus omnium Judex Deus in futura vita comminatur. Virtus quidem nativa ſua venuſtate & gratia amabilem ſe prodit, præmiumque ingens virtuti in cælo propoſitum, eam multo efficit amabiliorem atque gratiorem. Verum cum plerique hominum, tanquam pecudes, timore potius, quam amore ducantur, quemadmodum in humana Politia ad cives in officio continendos parum præmia prodeſſent, quæ rectis ac honeſtis quandoque proponuntur, niſi carceres etiam exſtarent, triremes, ac patibula, quibus ſontes & facinoroſi plecterentur; ita ſublato futuri ſupplicii metu, ad coercendas æſtuantes malorum cupiditates, vitamque ad amuſſim divinarum legum inſtituendam, exiguam plane vim haberent tum dignitas & pulchritudo ipſa virtutis, tum merces, maxima licet ac ſempiterna, a ſummo bonorum omnium largitore Deo virtutum operibus repromiſſa; paucique admodum ob earum amorem a pravis rerum carnalium oblectationibus ad bonam frugem traducerentur. Teſtatur de ſemetipſo in libris Confeſſionum S. Au-

Digitized by Google

guſtinus (a), nullo ſe fortiore freno fuiſſe retentum, ne profundo carnalium voluptatum gurgite abſorberetur, niſi memoria mortis, ac terribilis judicii Dei recordatione: quod niſi crediſſet, comprehenſumque habuiſſet animo, Epicuri doctrina palmam in ſe facile præripuiſſet. In hanc quoque rem diſſerit eloquenter de more S. Johannes Chryſoſtomus (b), fuſeque commonſtrat nullam eſſe obſcenæ voluptatis turpitudinem, nullum adeo monſtroſum ſcelus ac vitium, in quod præceps non rueret mortalium genus, nullum in humana vita ordinem, nullam tranquillitatem & pacem permanſuram: ſed omnia futura plena libidinibus, rapinis, fraudibus, tumultibus, flagitiis, niſi omnium ratio aliquando a Supremo Judice exigenda foret, digniſque ſuppliciis punienda delicta, idque perſuaſum haberemus. Atque inde colligit, ſummopere commendandam Dei Bonitatem, quæ tam validum humanæ licentiæ frenum appoſuit, ne in vitia ac ſcelera impotentius excurreret.

II. Jugum hoc tam ſalutare penituſque neceſſarium excutere plures moliti ſunt, tum antiquis tum noſtris hiſce temporibus. Inter antiquos celebres ſunt Epicurus, ejuſque Diſcipuli, qui cum animum interire cum corpore putarent, conſequenter nihil poſt hanc vitam ſupereſſe præmii vel pœnæ dixerunt. De his ita ſcribit laudatus Sanctus Auguſtinus (c): *Hi fortiſſimos ſe jactant, & nihil omnino timere ſe dicunt: quia nec quidquam Deum res humanas curare arbitrantur, & conſumpta iſta vita, nullam poſtea credunt futuram.*

III. In eandem impiam ſententiam conceſſere ex Hebræa gente Sadducæi, qui & errorem & nomen acceperunt a *Sadoc*, non illo quidem, qui in libris Regum memoratur, & Davidis ac Salomonis ætate vixit; ſed ab alio longe poſteriore, qui diſcipulus fuit Antigoni Sochæi, & Machabæorum tempore claruit. De his conſtat ex cap. 23. Actuum Apoſtolorum negaſſe mortuorum reſurrectionem, Angelos & ſpiritualem omnem ſubſtantiam: quod fundamentum erat alterius erroneæ opinationis, quam exponit Joſephus lib. 2. de bello Jud. cap. 7. his verbis: *Sadducæi Deum extra omnem mali patrationem inſpectionemque conſtituunt. Ajunt autem electioni hominum vel bonum vel malum eſſe propoſitum: & ſecundum voluntatem propriam alterutrum unicuique contingere. Animarum autem generaliter vel ſupplicia denegant vel honores.* Et lib. 18. antiq. cap. 2. *Sadducæorum opinio cum corpore extinguit ſimul & Animas.*

IV. Sed quoniam adverſum Deiſtas, aut, ut vocari ſolent, *Spiritus Fortes*, *Incredulos*, aliove ſimili vocabulo, & quidem noſtræ ætatis, præſens inſtituta in hoc priore libro diſputatio eſt, quid horum nomine veniat, quæve eorum ſint claſſes, atque ſententiæ, in anteceſſum explicemus, oportet. Sunt in primis nonnulli, qui Deiſtas ſe vocant, atque ab Atheis propterea ſecerni ſe putant, quod exiſtentiam profiteantur agnoſcere Supremi cujuſdam Numinis, ſive entis, aut intelligentiæ infinitæ, æternæ, a nemine dependentis, quæ univerſam hujus mundi ab æternitate materiam produxit, motumque ipſi ſempiternum indidit, ex quo effectum eſt, ut perpetuis hujuſce materiæ revolutionibus hæc tandem emergeret pulcherrima machina, quæ noſtriſmet oculis obverſatur, quam propterea Deus non adminiſtrat, aut regit, ſed illam ſibi ipſi relinquit nihil providens, nihil curans de his omnibus, quæ perpetim evenire cernuntur, tum in ordine phyſico, tum morali, ſuaque excellentia ſingulari, atque felicitate contentus pace fruitur ſempiterna: id, quod a Lucretio vivide expreſſum eſt lib. 1 carm. 57. &c.

Omnis enim per ſe Divum natura
neceſſe eſt,
Immortali ævo ſumma cum pace
fruatur,
Semota a noſtris longe, ſejunctaque
curis;
Nam privata dolore omni, privata
periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil
indiga noſtri,

Nec

(a) Lib. 6. c. 16. (b) Homil. 3. in epiſt. ad Philem. (c) Serm. 349 edit. Mor. S. Mauri.

Digitized by Google

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Hanc hauſit ille, hauriuntque nuperi quidam ex noſtris, impiam ſententiam a jam memorato Epicuro, qui colendos quidem Deos ajebat ob præſtantiam naturæ, non ob beneficia, quæ ab ipſis accepimus, vel ob aliquid, quod ſperare ab iiſdem, aut timere poſſemus. Unde Vellejus Epicureus apud Ciceronem *lib.* 1. *de nat. Deorum* C. 10. dicere ſolebat: *Nec metuimus eos, quos intelligimus, nec ſibi fingere ullam moleſtiam, nec alteri quærere. Et pie, ſancteque colimus naturam excellentem, atque præſtantem*. Quare *Deiſtæ* hujus primi generis vix, aut ne vix quidem ab Epicureis differunt, niſi forte quod materiam a Deo creatam ponant, quam increatam illi aſſerebant.

V. At nunquid hos *Deiſtas*, vel *Atheos* potius vocabimus? Hoc certe poſtremum jure omni tribuendum nomen eſſe mihi videtur. Dum enim providentiam Deo eripiunt, & adminiſtrationem mundi, Deum ipſum negare profecto convincuntur. Nam qui conſiſtere poteſt ſumma illa excellentia naturæ, præclaræque perfectiones, quas Deo adjudicant, ſublata providentia, rerumque adminiſtratione? Icirco optime Tullius idem *lib.* 2. *de nat. Deor.* ita Epicurum, Epicureoſque refellit: *Aut negandum eſt Deos eſſe, quod & Democritus ſimulacra, & Epicurus imagines inducens quodam pacto negat, aut qui Deos eſſe concedunt, iis fatendum eſt eos aliquid agere, idque præclarum: Nihil eſt autem præclarius mundi adminiſtratione. Deorum igitur conſilio adminiſtratur mundus*. Quare circa finem laudati *lib.* 1. ex ore Cottæ recte pronunciat, nonniſi popularis invidiæ vitandæ gratia Deos fateri Epicurum, inquiens: *Verius eſt igitur illud, nimirum quod familiaris omnium noſtrum Poſſidonius diſſeruit, nullos eſſe Deos Epicuro videri, quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ deteſtandæ gratia dixiſſe: neque enim tam inſipiens fuiſſet, ut homunculis ſimilem Deum fingeret, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem*. Idemque ferendum judicium eſt de recentioribus hiſce Deiſtis, qui monſtroſa Epicuri placita conſectantur.

VI. Altera *Deiſtarum* claſſis eſt, qui nedum exiſtentiam Dei profitentur, ſed etiam, præter perfectiones alias, ejus providentiam, quatenus ſcilicet omnipotentia ſua produxerit omnia, ac ſapientia quoſcumque naturæ effectus regat, atque gubernet. Verum, dum ad ea, quæ ſpectant mores hominum, cogitationes ſuas convertunt, nullum agnoſcunt inter morale bonum malumque diſcrimen, quæve ſunt, aut dicuntur bona, vel mala, ab hominum conſilio, ac voluntate unice pendere ſentiunt, adeo ut, quæ ab humanæ Reipublicæ Rectoribus, ac Principibus præcipiuntur, bona; quæ autem vetantur, mala dicenda ſint. Hinc nullam ſive de bonis, ſive de pravis actionibus hominum curam habere Deum pertendunt, atque adeo nec vel illis præmium, nec vel iſtis in alia vita paraſſe ſupplicium. Hi quoque in purum putumque Atheiſmum, quem effugere ſe arbitrantur, demum relabuntur. Siquidem vi neceſſariæ conſequentiæ coguntur duas illas præcipuas divinæ naturæ prærogativas negare ſupremo Numini, quæ *morales* ſolent appellari, *Bonitatem ſcilicet, atque Juſtitiam*, quibus negatis, & illæ negentur, oportet, quæ dicuntur *naturales*, Omnipotentia, Sapientia, aliæque hujuſmodi, quas nonniſi ex mero arbitrio, ac lubitu ſuo in Deo conſtituunt: unde & hi potius *Athei* vocandi forent. Equidem fateor lubentiſſime de ſenſu hominum judicandum haud eſſe ex quibuſvis conſequentiis, quæ ex opinionibus ipſorum inferuntur. Verum hac in re hujuſmodi veritates adeo intime ac neceſſario connexæ ſunt inter ſe ſe, atque implicitæ, ut altera ſine altera conſiſtere nequaquam poſſit, idque perſpicuitate ſua in omnium vel obiter intuentium oculos ſtatim incurrat. Haud propterea neceſſe eſt aliquam earum negantibus fidem adhibere: ſed animadvertendum potius, an verba praxi eorumdem conſentiant, atque moribus, qui nihil omnino a moribus Atheorum plerumque differre ſolent. Æque etenim, ac iſti, Religionem omnem, nedum reve-

latam, ſed & naturalem irrident, officia quælibet moralia contemnunt, jura omnia tum humana, niſi obſtet aliquando magiſtratuum timor, jocis, atque dicteriis inceſſunt, nihilque ratum habent ex iis, quibus homo ſupra animantia bruta altius aſſurgit.

VII. Sed & tertium *Deiſtarum* genus eſt, qui in Supremo Deo perfectiones quidem omnes tum *naturales*, tum *morales* ſuſpicere ſe, ac revereri gloriantur. At præmia tamen, & ſupplicia vitæ futuræ admittere renuunt, atque omnia morte deleri ſentiunt. Quamquam enim ſcelera, & recte facta, virtutes, & vitia relate ad homines, plurimum inter ſe fateantur habere diſcriminis, atque repugnantiæ, unde & retributiones temporarias plane diverſas promereantur, ſi tamen referantur ad Deum, nihil a morte ſupereſſe putant ſive præmii, ſive pœnæ, quod Deus unicuique rependat; ſed in præſenti vita concludi omnia, nec aliud quidpiam deinceps expectandum eſſe, vel metuendum. Quid de his plane dixerim, me fugit. *Deiſtarumne* loco, vel *Atheorum* potius habendi ſunt? Ex his, quæ ſubinde diſſeremus, evidens fiet, hoc etiam in poſtrema eſſe claſſe collocandos. Nam dum ita ſentiunt, eos pariter attributa, ſive dotes ſummi Dei, tum morales, tum phyſicas, ipſumque adeo Deum, quem ſe revereri fruſtra jactant, de medio tollere vi perſpicui, ac certiſſimi ratiocinii convincemus.

VIII. Cæterum quicumque ii ſint, quos indicavimus, aut quacumque in claſſe ponantur, ſive *Deiſtarum*, ſive *Atheorum*, eos plane miſerrima hac ætate noſtra nimium ſuccreſcere cernimus, ac dolemus. Eorum permultos tum inter Germanos, & Batavos, tum præſertim inter Anglos reperias: ex quibus plures tum ſuperiore, tum hocce ſæculo erupiſſe vidimus, qui nedum voce, ſed libris etiam editis Religioni, ejuſque præcipuis veritatibus bellum intulerunt, & fundamenta ipſa, quibus immota conſiſtit, ſuffodere conati ſunt, illudque inprimis, quod eos magis angit, atque excruciat, quod vitam futuram ſpectat, Hobbeſium, Baileum, Collinium, Tolandum, Tindalium, Wooltonum, Anonymos Authores Operum inſcriptorum, *Epiſtolæ de Anima humana; de Origine mundi: De immutabilitate animæ: Homo machina*, & alios. Atque utinam intra eorum fines ſe ſe continuiſſet peſtilentis doctrinæ lues: ſed quod magis dolendum eſt, Galliam quoque, & Italiam penetravit, & plurium animos aut infecit, aut ſaltem afflavit, ex eorum præſertim numero, ut conſideranti facile videre eſt, quos ſeveram ſupremi Judicis Dei ultionem pertimeſcere ſcelerum conſcientia admonet, atque compellit. Et in his quidem regionibus, in quibus vera Chriſti Religio dominatur, nemo ex ipſis eſt, qui veſana placita, quæ animo imbiberunt, publice evulgare audeat: ſed neque poſſent, ſi id maxime vellent; clanculum tamen vel in privatis colloquiis, vel inter amicos, & ſocios criminum ea quandoque diſſeminare minime verentur, non ſine magno auditorum ſcandalo, ac detrimento.

IX. Si ab iis omnibus ſciſciteris, unde moveantur ad negandam, vel in dubium revocandam veritatem, quæ non a Chriſtiana ſolum Religione, ſed etiam a quibuſvis exoticis, barbariſque nationibus tanquam certiſſima ſemper eſt habita; obtendunt illi quidem ſæpenumero ratiunculas quaſdam, ſive futiles ac leviſſimas conjecturas, quas ſpecioſo verborum apparatu contexere ſolent: *nihil* enim, ut optime advertit S. Auguſtinus (a), *quamlibet copioſiſſimis argumentis ſuaderi poteſt, cui ex parte contraria, ſi adſit ingenium, non reſiſtatur*. Quæſtiones etiam frequenter accumulant de obſcuris quibuſdam, & a viſu noſtro longe ſemotis rei circumſtantiis, quibus expedire ſe neutiquam poſſe garriunt, remque ipſam implicare pertentant. Verum ſi in eorum dicta vel facta diligentius inquiſieris, animique receſſus penitus introſpexeris, facile perſpicies non alia eos ratione permoveri præter illam, quam quidam ex ipſorum Coryphæis, ceteris candidior, luculenter expreſſit: nimirum, quod inferni timor

(a) Lib. 5. cont. Academic. cap. 13.

mor nimium divexet animum ſuo genio ſervientem, dulceſque ſenſuum illecebras ac voluptates amariore felle conſpergat. Sic enim ſcribit ille (a)

Et metus ille foras præceps
Acherontis agendus,
Funditus, humanam qui vitam
turbat ab imo,
Omnia ſuffundens mortis rigore, neque ullam
Eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.

X. Non aliam plerumque eſſe hujuſce peſſimæ perſuaſionis originem, quam effrenem vivendi licentiam, nullo negotio deprehendet qui attentius conſideret aliquem ſolutioris vitæ hominem, cujus vel unica vel potiſſima cura ſit delicias mundi captare, cupiditati genioque continenter obſequi, omniaque ad ſuum commodum & oblectationem referre. Ut finem hunc, quem ſibi præſtituit, aſſequatur, opus eſt, ut a ſe prorſus abjiciat quidquid moleſtiam creare poteſt, animumque curis angere atque terroribus, qui affectui dominanti in primis adverſantur. Nihil porro mentem adeo commovere ac perturbare valet, quam memoria juſti judicii Dei, qui unicuique juxta opera ſua redditurus eſt, ac nocentes ad terribilem cruciatum damnaturus. Quid igitur? Ne cura ac ſolicitudine agitetur animus, placideque in voluptaria vita conquieſcat, excuſſo Religionis jugo, in eam facile ſententiam deſcendit, quæ nullam credit poſt mortem meritorum retributionem, & ſupplicia, quæ improbis Chriſtiana Fides denunciat, veluti puerorum terriculamenta projicit atque irridet. Rem hanc ſapienter exponit Salomon, dum perditos quoſdam ac diſſolutos ita ſecum cogitantes & colloquentes inducit: *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tanquam non fuerimus..... Cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt a radiis ſolis.... Umbra enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter: vino pretioſo, & unguento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ, ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ, &c.* Quibus verbis deſignat primum Salomon pravæ de animorum mortalitate perſuaſionis originem, homines repræſentans voluptati & vitæ commodis inhiantes, & moleſtiam omnem atque faſtidium a ſe amoliri ſatagentes. Quo principio cordi altius infixo, erroneum e veſtigio judicium de animæ natura, ac futura forte in ipſorum mente conſequitur, animam ſcilicet eſſe mortalem, & cum corpore ſimul extingui. Atque ex hac deinde exiſtimatione, ſemota jam pœnæ ob delicta ſubeundæ formidine, in voluptatis amore ac ſtudio amplius confirmantur, luxuriæ, ac impudicitiæ ſe totos addicunt, & in omnium vitiorum cœno ſe profundius immergunt: omnia quippe impune fieri poſſe ſibi blandiuntur.

XI. Hunc eſſe præcipuum, ac fere unicum impiæ & maleſanæ opinationis fontem, atque huc tendere qui eam complectuntur, obſervarunt olim pariter Eccleſiæ Patres in ſuorum temporum Atheis, aut Epicureis. Invictiſſimus Martyr S. Juſtinus in Dialogo, quem habuit cum Tryphone Judæo, ſic ipſum alloquitur: *Eorum ſententia, qui Deum me atque te curare negant, quo ſpectet, non eſt difficile cognoſcere. Impunitas enim & licentia faciendi & dicendi, quæ velint omnia, eos conſequitur, qui nec ſupplicia metuunt, nec beneficium ullum a Deo ſperant.*

XII. Sanctus Johannes Chryſoſtomus homil. 31. in Epiſt. ad Rom. ſic invehitur in quoſdam, qui Gehennam eſſe abnuebant, eamque ad terrorem confictam

(a) Lucret. lib. 3.

ctam putabant: *O dementiam! o ſtultam & aſinariam ſententiam! O animum peccati & voluptatis amantem, atque ad nequitiam reſpicientem! Etenim a voluptatis amore hæc dogmata omnia naſcuntur; ita ut ſi ii, qui talia dicunt, virtutem amplecti vellent, cito de Gehenna terſuaſi eſſent, omnique dubitatione exucpentur.*

XIII. Diſertiſſime quoque hoc argumentum pertractat Lactantius Firmianus lib. 3. cap. 17., & Epicureorum exemplo palam facit, tum abſurdam perſuaſionem ex amore voluptatis progigni, tum voluptatem ipſam amplius fovere, omniaque ſcelera neceſſaria quadam conſecutione ſecum adducere. *Verum ille* (de Epicuro loquitur) *impunitatem vitiis ſuis ſpopondit: fuit enim turpiſſimæ voluptatis aſſertor, cujus capiendæ cauſſa naſci hominem putavit. Quis, cum hoc affirmari audiat, vitiis & ſceleribus abſtineat? Nam ſi peritura ſunt animæ, appetamus divitias, ut omnes ſuavitates capere poſſimus. Quæ ſi nobis deſunt, ab iis, qui habent, auferamus clam, dolo, vi. Voluptatibus igitur, quomodo poſſumus, ſerviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis ſine voluptate patiamur: ne, quia ipſi quandoque perituri ſumus, idipſum, quod viximus, pereat.* Unde colligas, eos, qui vel animæ immortalitatem, vel futuræ vitæ ſupplicia negant, homines eſſe plerumque perditiſſimos, corruptos moribus, profligatæ conſcientiæ vitioſis cupiditatibus inquinatos, humanæ ſocietatis peſtes; quidquid exterius aliquando, ut ſcenæ, quemadmodum ajunt ipſi, inſerviant, probitatis & honeſtatis præferant: id quod advertit etiam Hierocles Pythagoreus, cujus verba alibi dabimus.

CAPUT II.

Primum argumentum ad adſtruenda alterius vitæ ſupplicia impiis parata ex Dei Providentia deſumptum, prout frequentius proponitur. Quædam ad ejus vim demonſtrandam propoſitiones præmiſſæ. Admittendæ ſunt humanæ actiones natura ſua, non ſola hominum opinione, aut utilitate, bonæ vel malæ. Pluribus propoſitio invicte comprobatur. Conſectaria quædam derivata. Libero arbitrio præditus homo eſt, adeoque capax meriti, ac demeriti, præmii, & ſupplicii. Argumenta hujuſce veritatis plane decretoria propoſita. Hobbeſii fundamentum diruitur. Qui Deo Providentiam, aliaſve perfectiones morales *ſubtrahunt, Deum ipſum negare convincuntur.*

I. ADverſum itaque Deiſtas, quorum a nobis diſtinctæ ſunt claſſes tres, (quocumque eos poſtea nomine rectius appellandos arbitrere) qui veritatem ceterarum omnium, quæ Religionem ſpectant, fundamentum, ſupplicii videlicet poſt vitam hanc impiis parati, vel inficiantur, vel in dubium revocant, hanc priorem diſputationem inſtituo. Et eos quidem enixius inprimis rogo, ut ſepoſitis paulisper præjudiciis, compreſſoque carnalium rerum, ac voluptatum affectu, ad ea, quæ a me proferuntur, momenta accuratius expendenda animum adjungant, & ad ſincerum cognoſcendæ veritatis ſtudium moveri ſe patiantur ab ipſa ſaltem proprii boni conſideratione, & amore. Neque enim hic agitur *de Ala Muſcæ*, ut ajebat ille, *aut quot Aceſtes vixerit annos:* ſed de re omnium ſumma, ac de æternæ felicitatis jactura: agitur non de alieno, ſed de proprio ipſorum periculo, de incurrenda omnium maxima, eaque irreparabili miſeria, quam, etſi vel ſolum dubia foret, non niſi ſtolidiſſime contemnerent. Tribus autem duntaxat ad veritatem demonſtrandam, & impium *Deiſtarum* errorem refellendum argumentis utimur, ſed iis, niſi me fallunt omnia, invictiſſimis, planeque decretoriis: quorum alterum ex Dei Providentia, juſtitia, aliiſque perfectionibus depromitur: alterum ex conſenſu omnium ab orbe condito ad hæc uſque tempora, nationum, atque gentium;

ter-

Digitized by Google

tertium denique ex revelatione divina, quæ ad rem eandem, ſin recta contra *Deiſtas*, obliqua ſaltem ratione mire ſubſervit.

II. Et primum quidem argumentum ita ferme proponi conſuevit a noſtris: Nullo pacto fas eſt admittere Deum eſſe (quem alias ii ſe fatentur agnoſcere, adverſum quos diſputamus) quin ipſum quoque Deum admiſerimus Proviſorem rerum omnium, maximeque humanarum, adeoque ſapientem juſtumque Rectorem, ac judicem. Neque enim aliter concipi Deus poteſt, ſive ens ſumme, & undequaque perfectum, ſi hiſce dotibus careat tam præcellentibus, quibus haud careat optimi quique Principes, rerumque publicarum adminiſtratores. Quod ſi judex hominum, ac Rector Deus, ſummaque pollet ſapientia, poteſtate, atque juſtitia, neceſſe eſt, ut & præmia virtutibus parata habeat, & vitiis ſupplicia: cum nulla omnino Reſpublica, niſi duabus hiſce rebus contineri, recteque adminiſtrari valeat, præmio videlicet ac pœna. Porro, ſi ea, quæ in hac vita mortali plerumque contingunt, attenta mente luſtramus, perſpectum cuicumque eſt, comprehenſumque, bonos hic nullam dignam virtutum, juſtarumque actionum mercedem percipere, quin potius ſæpenumero vexari, affligi, multiſque miſeriis opprimi, atque calamitatibus: contra vero impios & facinoroſos homines pœnæ, quam promerentur, neutiquam ſubjectos eſſe, immo florere ſæpius in omnibus, ac proſpere agere, ſuiſque pro libitu indulgere cupiditatibus, & appetitionibus. Oportet igitur, ut in altero ſeculo juſtorum deſtinata præmia fateamur, & injuſtorum ſupplicia, quibus æquiſſimus, ac ſapiens Proviſor omnium hominum Deus, & illos remuneretur, & iſtos pro meritis puniat.

Si res nobis, & concertatio foret cum hominibus, qui inſitas mentibus noſtris rerum notiones ſincere agnoſcunt, & fideliter ſectantur, nihil ſane addendum eſſet ad plenum hujuſce argumenti robur, & firmitatem. Verum cum iis diſputamus, qui eo pervenere audaciæ, & impudentiæ, ut vel ipſas rejiciant primas, ac limpidiſſimas veritates, quæ principiorum loco habendæ forent, vixque olim a quibuſdam perditiſſimis viris in quæſtionem adductæ fuerant. Quare ut ſua vis integra argumento, & efficacia conſtet, præcludaturque impiis omnis ad elabendum via, propoſitiones quaſdam præmittere, operæ pretium, cenſeo, eaſque comprobare, & illuſtrare pluribus.

Ut omnem futuræ pœnæ metum, ſi fieri quidem poſſet, Deiſtæ noſtri ſubmoveant, quantum quidem ſeria cogitatione complector, & ex ſcriptis eorumdem elicio, duplici tantum via poſſunt inſiſtere, quarum prima eſt, negare audaciſſime Deum, ſive ens ſumme perfectum, mundique Opificem ac Curatorem. Sed cum hoc ſuſtineri nequaquam poſſit, & exiſtentia divinæ naturæ fulgidiſſima luce ſua omnium oculos percellat, pauciſſimi admodum ſunt, ſi quidem ſunt, qui ad tam immanem impietatem non vehementer exhorreant. Aliam propterea frequentius arripiunt, qua producti argumenti vim effugiant, & ab omni pœnarum futuræ vitæ formidine animum ſolvant, unum ſcilicet ex hiſce tribus evadendi aditum ſe inveniſſe putant, ſive, ut ſupra indicavimus claſſes *Deiſtarum* diſtinguentes, *aut nihil eſſe in humanis actibus ſuapte natura bonum & malum, honeſtum, & turpe*, ſed cuncta fieri ſola opinione hominum, & conſuetudine: *aut nullam ineſſe hominibus arbitrii libertatem*, ſed omnia fatali quadam neceſſitate contingere, quæ meritum excludit, atque demeritum, adeoque ſupplicium, & præmium: aut demum *non illam de ſupremo optimo Deo ideam debere nos fingere, ut pro temporariis actionibus hominum pœnat, nedum in præſenti, ſed etiam in futura vita infligere velit*. Ex quibus facile conſtat ruere penitus, atque ſubverti dogma de futura impiorum ſorte. Tres itaque adverſus hujuſmodi nefaria commenta propoſitiones ſtatuo, pluribuſque confirmo.

PRIMA PROPOSITIO.

Admittere neceſſe eſt naturales quaſdam morum regulas, quas homines ſequi teneantur, adeoque & actiones humanas non ſola opinione hominum, ſed ſuapte natura bonas eſſe, vel malas.

PUdet ſane, pigetque propoſitionem certiſſimam, atque perſpicuam in quæſtionem adducere, & rationibus confirmare. Quis enim de ejuſdem veritate dubitare poteſt, qui vel ſolam conſulat conſcientiam ſuam, aut ſublatis perturbationibus animi, rationis, qua præditus eſt, ſplendidiſſimum lumen inſpiciat? Probanda tamen eſt, ne impius Hobbes, ejuſque diſcipuli locum inveniant, unde nobis *de futura impiorum pœna* differentibus, elabantur. Neque alio plane utimur in primis argumento, quam quod ex notionibus ipſis menti noſtræ naturaliter inſitis, depromitur. Quicumque enim ſe recolligit, ſuaſque naturales cogitationes perpendit, e veſtigio intelligit, multa eſſe in actionibus hominum, quæ naturæ rationali conveniunt: multa itidem, quæ eidem diſſentiunt, & adverſantur: idque non ſua duntaxat, aliorumve opinione, ſed ſtabili, & uniformi impreſſione naturæ, ſive inſtitutione (a). Neque enim, quamquam aliquis vim menti ſuæ inferat, ſuadere ſibi unquam poterit, crudelitatem, injuſtitiam, perfidiam, perjurium, ingratitudinem, & cetera hujuſmodi, non eſſe vitia quædam, ſive odio, & vituperatione digna: contra vero Religionem, pietatem, fidelitatem, manſuetudinem, juſtitiam, temperantiam, animum beneficii memorem, & id genus alia, quæ *virtutes* dicimus, non eſſe affectus homini conſentaneos, qui laudem, atque æſtimationem jure mereantur. Hæc nos perfecto non minori perſpicuitate cognoſcimus, quam alia naturalia principia, quæ ſe ipſis evidentia ſunt, quorumve claram atque diſtinctam ideam habemus, ut, *quodlibet vel eſt, vel non eſt, totum majus eſſe partibus ſuis, effectum ſine cauſa non exiſtere, hanc illo priorem eſſe*, aliaque. Atque hinc efficitur, quod nulla tam barbara gens ſit, & efferata, cui hæc anticipata judicia non affulgeant, paſſionum quidem nebulis, pravarumque conſuetudinum, aliquando obducta, ſed nunquam penitus obliterata, ſeque produnt manifeſtiſſime in quodam intimo angoris ſenſu, dum ab eorum ductu deflectimus, & in ſecreta quadam, quam percipimus, voluptate, dum eorumdem facem præeuntem fideliter ſequimur.

Quid, quod & ipſe Hobbeſius veritatem hanc lucidiſſimam vel nolens tandem profeſſus eſt? Ipſe quidem *De Cive* C. 12. impiam hanc doctrinam ſtatuere adnititur docens: *quod actio juſta, vel injuſta ſit, a jure imperantis* (hominis) *provenit. Reges legitimi, quæ imperant, juſta faciunt imperando: quæ vetant, vetando faciunt injuſta..... Regulæ boni, & mali, juſti, & injuſti, honeſti, & inhoneſti ſunt leges civiles. Ideoque, quod Legislator præceperit, id pro bono; quod vetuerit, id pro malo habendum*. Hinc *Cap.* 17. hanc infert non minus impiam, & abſonam conſequentiam, *legibus illis*, non occides, non mœchaberis, non furaberis, Parentes honorabis &c., *nihil aliud præcepiſſe Chriſtum, quam ut cives, & ſubditi ſuis Principibus, & ſummis Imperatoribus in quæſtionibus omnibus circa meum, tuum, ſuum, alienum abſolute obedirent*. Verum in *lib. de Hom. C.* 14. horum oblitus, ſibique ipſi contrarius, ſecutus naturæ vocem, officia quædam confeſſus eſt, quæ humanam omnem legem anteeunt, & non niſi natura ad ea exequenda adſtringimur: *neque enim*, inquit, *an honorifice de Deo ſentiendum ſit, an ſit amandus, timendus, colendus dubitari poteſt*. Et *de Cive c. 6: Si is, qui ſummum habet imperium, ſe ipſum, imperantem dico, interficere alicui imperet*,

(a) Cum hic, ſicut & alibi, hujuſmodi locutionibus utor, de verbis non litigo. Sive enim notiones, & ideæ harum rerum *innatæ* nobis aut *impreſſæ* dicantur, ſive hoc nomine diſpoſitionem quamdam mentis intelligas, vi cujus vel leviſſima attentione adhibita, acquirantur, perinde mihi nunc eſt.

ret, *non tenetur*, *neque parentem* &c. Et *c*.3. jam dixerat: *Lex naturalis eſt*, *pactis ſtandum*, *ſive fidem obſervandam eſſe*. Quibus omnibus vides ad aliqua ſaltem naturalia jura profitenda Hobbeſium vel nolentem adactum fuiſſe.

Quod ſi hæc, quæ ex Hobbeſio meminimus, ſponte ſua, non hominum ſola opinione, bona ſunt aut mala, nonne & alia plura officia, quæ ad humanam vitam pertinent, eodem jure natura ſua bona, & quæ adverſantur, mala dicenda erunt? Nam de medio tollantur quæcumque leges aut præcepta Principum, hominumque conſuetudines, quibus aliqua vel præceperint, vel prohibuerint, nonne æque odio, & exexecratione dignum nobis videbitur, innocentem damnare, calumnias ſtruere, cum fœmina, quam ſuam alter fecerit, commiſceri, conviciis, & injuriis laceſſere, qui te beneficiis affecit &c.? Nonne idem diſcrimen perſentis inter virtutem, & vitium, inter recte facta, & flagitia, quod naturaliter percipis inter amorem & odium, timorem & ſpem, approbationem, & negationem, amplius dicam, inter ignem & aquam, calorem, & frigus, quin etiam evidentius fortaſſe, quam inter hæc omnia? Hæc enim poſtrema ſenſuum, qui aliquando falluntur, beneficio cognoſcis; illud vero intima animi perceptione, quæ errori ſubjecta non eſt, cum a ſuprema omnium veritate proveniat. An forte cum eodem Hobbeſio, aliiſque dixeris, ideo nobis alia videri *bona*, alia autem *mala*, non quia talia ſint ſuapte natura, ſed quia *utilia* quædam nobis ſunt, alia vero *incommoda*, & *noxia*? Deliras plane. Quis enim ſanæ mentis eſt, qui non perſpiciat hujuſce paradoxi falſitatem, atque abſurditatem? Quis adeo obcæcatus, qui non videat de rectis, & honeſtis actionibus, ac turpibus, & inhoneſtis abſoluta omnino nos proferre judicia, ſive ad nos referantur, ſive minime pertineant? Profecto, cum a longe cernimus inter omnino ignotos homines, nec ulla nobis prorſus amicitia, aut neceſſitudine devinctos, crudelem, & injuſtiſſimam cædem, occulto quodam, nec ſane deliberato horrore corripimur. Sic vehementer indignamur iis, quos in hiſtoriis legimus vel Patriam, aut cives optimos prodidiſſe, vel innocentes perſecutos eſſe, vel pro acceptis beneficiis male facta rependiſſe. Quis Nerones, Domitianos, alioſve ſimiles, qui *monſtra* dicuntur *humani generis*, naturæ quodam impetu non averſatur, non odit? Quis contra non admiratur, non diligit tot Principes pios, qui in heroum faſtis occurrunt, miſericordes, modeſtos, clementes, qui non aliam de injuriis ſibi illatis vindictam ſumpſere, quam novis erga inimicos adjectis beneficiis, & ſignis amoris præcipui? Quænam, amabo te, nobis ex iis utilitas obvenit, aut quodnam malum impendet? Nonne ergo delirium eſt, bona vel mala, virtutes aut vitia, ſola velle opinione, aut utilitate & nocumento dimetiri?

Verum hac de re ad impios homines, qui ſe *cultiorum ingeniorum* titulo jactant, omnino revincendos, nihil magis, meo facile judicio, proderit, quam teſtimonium, paullo licet fuſius, Philoſophi gentilis, atque Oratoris præclariſſimi, cui nullum ſane præjudicium objicere poſſunt, Marci Tullii Ciceronis, qui veritatem hanc nedum lucidiſſime perſpexit, ſed & pluribus, iiſque invictis rationibus confirmavit. Agit ille de hoc argumento non uno in loco Operum ſuorum, ſed præcipue in libro *de Legibus*, ex quibus nonnulla decerpam. Ut juris naturalis principia conſtituat, hanc præmittit *lib.* 1. legis definitionem: *Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Eadem ratio, cum eſt in hominis mente confirmata, & confecta lex eſt.* Tum vero: *hæc ſeculis omnibus ante nata eſt, quam ſcripta lex ulla, aut quam omnino civitas conſtituta*: ſcilicet æterna hæc eſt in mente divina, & inſculpta ſubinde mentibus hominum, antequam de legibus ferendis quidpiam Principes cogitarent. Hoc autem præclarius exponit, & communi ſapientum judicio roborat *lib.* 2. his verbis: „ Hanc igitur video „ ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, le„ gem neque hominum ingeniis exco„ gitatam, neque ſcitum aliquod eſſe „ populorum, ſed æternum quiddam, „ quod univerſum mundum regeret, „ im-

„ imperandi, prohibendique ſapientia.
„ Ita principem illam, & ultimam eſſe
„ mentem dicebant omnia ratione aut
„ cogentis, aut vetantis Dei: ex quo
„ illa lex, quam Dii humano generi
„ dederunt, recte eſt laudata: eſt e-
„ nim ratio, menſque ſapientis ad ju-
„ bendum, & ad deterrendum ido-
„ nea..... Quæ vis non modo ſenior
„ eſt, quam ætas populorum, & civi-
„ tatum, ſed æqualis illius cælum, atque
„ terras tuentis, & regentis Dei. Ne-
„ que enim eſſe mens divina ſine ra-
„ tione poteſt: neque ratio divina non
„ hanc vim in rectis, pravisque ſan-
„ ciendis..... Nec ſi, regnante Tar-
„ quinio, nulla erat Romæ ſcripta lex
„ de ſtupris, iccirco non contra illam
„ legem ſempiternam Sex. Tarquinius
„ vim Lucretiæ attulit. Erat enim ra-
„ tio profecta a rerum natura, & ad
„ recte faciendum impellens, & a de-
„ licto avocans: quæ non tum denique
„ incipit lex eſſe, cum ſcripta eſt, ſed
„ tum cum orta eſt. Orta eſt autem
„ ſimul cum mente divina &c. „

Aſſerta naturali lege, tum prout eſt in mente Dei, tum prout innoteſcit hominibus in judiciis quibuſdam abſolutis, & neceſſariis de bono & malo, de juſto, & injuſto ab ipſo Deo menti noſtræ impreſſis, accedit Tullius eodem *lib.* 1. ad refellendos illos omnes, qui, quemadmodum ævo noſtro, ita & ſuo, nihil eſſe ajebant *natura bonum*, & *malum*; ſed hæc ita judicari ſola opinione hominum, aut legum humanarum ſtatutis, vel, ut ſummum, utilitate noſtra, qua omnia metienda eſſe dicebant, eoſque extremæ dementiæ arguit, atque convincit luculentiſſimis argumentis: quorum primum deſumit ex communi conſenſione hominum, quam alibi *vocem loquentis naturæ* meritiſſime appellat. *Quæ natio*, inquit, *non comitatem*, *non benignitatem*, *non gratum animum*, & *beneficii memorem diligit? Quæ ſuperbos*, *quæ maledicos*, *quæ crudeles*, *quæ ingratos non aſpernatur?* Conſentit quidem *tantam eſſe corruptelam malæ conſuetudinis*, *ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati*, *exorianturque & confirmentur vitia contraria*. *Quid vero?* Non ideo tamen haud ſemper in homine permanet ratio, qua a brutis ſecernitur, atque adeo & ipſa in eadem impreſſa manet lex naturæ, quæ nunquam omnino aboletur: cujus certiſſimum indicium eſt (id, quod alterius firmiſſimi argumenti loco haberi debet), quod qui agunt adverſus illam, commiſſorum ſcelerum conſcientiam experiuntur teſtem, ac vindicem, *pœnas*, ait ille, *luunt non tam judiciis* (hominum), *quæ quondam nuſquam erant*, *hodie multifariam nulla ſunt*; *ut ſint tamen*, *perſæpe falſa ſunt*, *ut eos agitent*, *inſectenturque furiæ*, *non ardentibus tædis*, *ſicut in fabulis*, *ſed angore conſcientiæ*, *fraudiſque cruciatu*. *Quod ſi homines pœna*, *non natura ab injuria arcere deberet*, *quænam ſollicitudo vexaret impios*, *ſublato ſuppliciorum metu? Quorum tamen nemo tam audax unquam fuit*, *quin aut abnuerit a ſe commiſſum eſſe facinus*, *aut juſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret*, *defenſionemque facinoris a natura jure aliquo quæreret*.

Aliud in eamdem rem argumentum conficit ſapiens Philoſophus ab abſurdis ductum, quæ ex illorum ſententia neceſſario conſequuntur, qui *bonum* & *malum* non judiciis *naturæ*, ſed vel humanis legibus, vel utilitate dijudicant.
„ Si juſtitia, inquit, eſt obtemperatio
„ ſcriptis legibus, inſtitutiſque populo-
„ rum, & ſi, ut iidem dicunt, utili-
„ tate omnia metienda ſunt; negliget
„ leges, eaſque perrumpet, ſi potuerit,
„ is, qui ſibi eam rem fructuoſam puta-
„ bit fore. Ita fit, ut nulla ſit omni-
„ no juſtitia, ſi neque natura eſt, & ea,
„ quæ propter utilitatem conſtituitur,
„ utilitate illa convellitur. Atqui ſi
„ natura confirmatum jus non erit, vir-
„ tutes omnes tolluntur. Ubi enim li-
„ beralitas? Ubi Patriæ charitas? Ubi
„ pietas? Ubi autem benemerendi de
„ altero, aut referendæ gratiæ volun-
„ tas poterit exiſtere? Nam hæc naſcun-
„ tur ex eo, quod natura propenſi ſu-
„ mus ad diligendos homines, quod
„ fundamentum juris eſt. Neque ſolum
„ in homines obſequia, ſed etiam in
„ Deum cæremoniæ, religioneſque tol-
„ luntur, quas non metu, ſed ea con-
„ junctione, quæ eſt homini cum Deo,
„ conſervandas puto. Quod ſi populo-

„ rum

„ rum juſſis, ſi Principum decretis, ſi „ ſententiis judicum jura conſtituerentur, jus eſſet latrocinari, jus adulterare, jus teſtamenta falſa ſupponere, „ ſi hæc ſuffragiis, aut ſcitis multitudinis probarentur. Quæ ſi tanta vis „ eſt ſtultorum ſententiis, atque juſſis, „ ut eorum ſuffragiis rerum natura vertatur, cur non ſanciunt, ut quæ mala, perniciofaque ſunt, habeantur pro „ bonis, & ſalutaribus? Aut cur cum jus „ ex injuria lex facere poſſit, bonum „ eadem facere non poſſit ex malo? „

Pergit deinde Tullius, novumque rei ejuſdem argumentum promit ex comparatione inita cum rebus aliis naturalibus hoc pacto: „ Nos legem bonam „ a mala nulla alia, niſi naturali norma dividere poſſumus. Nec ſolum „ jus a natura dijudicatur, ſed omnino „ omnia honeſta & turpia. Nam & „ communis intelligentia nobis notas „ res efficit, eaſque in animis noſtris „ inchoavit, ut honeſta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem „ in opinione exiſtimare, non in natura ponere, *Dementis eſt*. Nam nec „ arboris, nec equi virtus, quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione ſita eſt, ſed in natura. Quod „ ſi ita eſt, honeſta quoque, & turpia „ natura dijudicanda ſunt. Nam ſi opinione univerſa virtus, eadem etiam „ partes probarentur. Quis igitur prudentem, &, ut ita dicam, cautum, „ non ex ipſius habitu, ſed ex aliqua „ re externa judicet? Eſt enim virtus „ perfecta ratio, quod certe in natura „ eſt. Igitur omnis honeſtas eodem modo. Nam ut vera, & falſa, ut conſequentia & contraria, ſua ſponte, „ non aliena judicantur; ſic comitas, „ & perpetua ratio vitæ, quæ eſt virtus: itemque inconſtantia, quæ eſt „ vitium, ſua natura probatur. Nos ingenia juvenum, non ratione ab ingenita naturæ virtute, ſed vitia, quæ „ exiſtunt, ab ingeniis judicamus. An „ ea non aliter, quam honeſta, & turpia, non ad naturam referri neceſſe „ erit? „

Ex his autem duo alia deinde argumenta Tullius elicit, quibus eadem veritas mirifice comprobatur. Primum hoc eſt: *Quod laudabile bonum eſt, in ſe habeat, quod laudetur, neceſſe eſt: ipſum enim bonum non eſt in opinionibus, ſed in natura. Nam, ni ita eſſet, beati quoque opinione eſſent: quo quid dici poteſt ſtultius? Quare, cum & bonum & malum natura judicetur, & ea ſint principia naturæ, certe honeſta quoque, & turpia ſimili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda ſunt.* Alterum vero his verbis declarat: *Sequitur, ut concluſa mihi jam hæc ſit omnis ratio, id, quod ante oculos ex iis eſt, quæ dicta ſunt, & jus, & omne honeſtum ſua ſponte eſſe expetendum. Etenim omnes viri boni ipſam æquitatem, & jus ipſum amant: nec eſt viri boni errare, & diligere, quod per ſe non ſit diligendum. Quod ſi jus, & juſtitia, ſic reliquæ omnes virtutes per ſe colendæ ſunt.*

Quod poſtquam ſummus Orator explicavit multis, quæ ibidem legi poſſunt, idem etiam confirmat ex oppoſito, expendens quorumdam Philoſophorum placita verbis hiſce graviſſimis: *Ac me pudet*, horum nempe Philoſophorum, *qui nullum vitare crimen, niſi judicio ipſo mulctatum, putant. Quid enim? Poſſumus eos, qui ſtupro arceantur infamiæ metu, pudicos dicere, cum ipſa infamia propter rei turpitudinem conſequatur? Nam quid aut laudari rite, aut vituperari poteſt, ſi ab ejus natura receſſeris, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? An corporis pravitates, ſi erunt perinſignes, habebunt aliquid offenſionis, animi deformitas non habebit? Cujus turpitudo ex ipſis vitiis facillime percipi poteſt. Quid enim fœdius avaritia? Quid immanius libidine? Quid contemptius timiditate? Quid abjectius tarditate, & ſtultitia dici poteſt? Quid ergo? Eos, qui ſingulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos miſeros dicimus, an propter vim, turpitudinemque vitiorum? Quod item ad contrariam laudem in virtute dici poteſt. Nam ſi propter alias res virtus expetitur, melius eſſe aliquid, quam virtutem neceſſe eſt. Pecuniamne igitur, an honores? An formam? An valetudinem? Quæ &, cum adſunt, perparva ſunt, & quandiu affutura ſint, certum ſciri nullo modo poteſt.*

eſt. An id, quod turpiſſimum dictu eſt, voluptatem? At in ea quidem ſpernenda, & repudianda virtus vel maxime cernitur.

Hæc & alia, quæ ibidem Tullius elegantiſſime æque, ac ſolidiſſime perſequitur, pudore maximo ſuffundere deberent *Deiſtas* noſtros, qui adverſus lucidiſſimam, eamdemque certiſſimam veritatem nuperrime diſputare, atque ſcribere auſi ſunt, quam ille in Gentilium nocte denſiſſima adeo luculenter perſpexit, eo præſertim, quod non validis ad eam oppugnandam argumentis utantur, ſed ratiunculis quibuſdam, atque officiis, quibus rem, non tam definire, quam implicare ſtudent. Quid enim validius in ſpeciem objicere hactenus, aut objicere quidem valent, quam illud idem argumentum, quod ſibi jam ipſe Tullius oppoſuit, ac pleniſſime ſolvit eodem libro, inquiens: *Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque diſſenſio in iis, quæ honeſta, vel turpia ſunt, conſtituendis: & quia non idem contingit in ſenſibus, hos natura certos putamus, illa, quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur, ficta, ſive ſola hominum opinione pendere dicimus.* Nonne hæc eſt præcipua, & fortaſſis unica objectio, quam adverſarii perpetuo jactant, & tamquam Gorgonis caput ad terrendum ſemper opponunt? Verum accipe, quæ ille reponit ad eam penitus conterendam perquam idonea. *Sed eſt*, ait, *longe aliter*, latiſſimumque verſatur inter ſenſus, reſque alias naturales, animoſque diſcrimen. *Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta, non ſcena depravat, non multitudinis conſenſus abducit a vero. Animis autem undique tenduntur inſidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperint, inficiunt, & flectunt, ut volunt, vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac, & ſcabie carent, non cernimus ſatis.* Quamquam igitur actiones ſint natura ſua honeſtæ, vel turpes, juſtæ vel injuſtæ, ut productis argumentis manifeſtiſſimum eſt, fieri tamen ſæpe poteſt, ut corruptæ mentes pravis affectibus, eas *ſatis non cernant*; quemadmodum nec ægri oculi ſatis cernunt objecta ex ſe fulgentiſſima, quæ iiſdem obverſantur. Sed tamen, dummodo attendas, ante oculos mentis lux aliqua ſemper intermicat, qua bonum a malo, juſtum ab injuſto ſecernat, aut diſcernere facile queat.

Ex his porro conſectaria duo colligere pronum eſt, quæ omnino præterire non lubet, quamvis ab præcipuo inſtituto noſtro aliena fortaſſe videri poſſint. Primum ſcilicet, naturales notiones boni, & mali, virtutis, & vitii, quæ in mentibus noſtris impreſſæ ſunt, non aliunde poſſe originem ducere, quam ab ipſomet Deo, ſive ab æterna Dei lege actiones hominum dirigente, & morum regulas præſcribente mediis quibuſdam judiciis abſolutis, ac neceſſariis de bono & malo, queis volentes, nolentes ad illud amandum, iſtud autem fugiendum inducimur: quod S. Auguſtinus pulcre exponit *lib.14. de Trin. c.* 15. exemplo annuli, cujus imago in ceram tranſit, inquiens: *ubi ergo ſcriptæ ſunt regulæ de bono, juſto, & honeſto, niſi in libro lucis illius, quæ veritas eſt, unde omnis lex juſta deſcribitur, & in cor hominis, non migrando, ſed tamquam imprimendo transfertur: ſicut imago & in ceram tranſit, & annulum non relinquit.* Neque ſane origo alia, quam Deus rerum conditor confingi ulla ratione poteſt notionum hujuſmodi naturalium, ſive veritatum adeo ſublimium, communium, & immutabilium. Nam neque illas habet homo ab æternitate, ut liquet: neque acquirit eas a materia, quæ cum cognitionis, & rationis expers ſit, tribuere certe nequit, quod ipſa non habet: neque ab aliis hominibus accipit, ut Adverſarii frequentius comminiſci ſolent: quoniam, ut probatum abunde eſt, omnem antevertunt inſtitutionem humanam: neque fructus demum ſunt meditationum ſuarum: conſcius ſiquidem ſibi quilibet eſt eas illucere menti ſuæ, antequam ad meditandum ſe paret, neque illas ſibi conferre, ſed in ſeipſo invenire collatas; ac præterea quis ſerio un-

unquam dixerit veritates haſce neceſſarias, immutabiles, communes omnibus hominibus, quæ in intimo cordis percipiuntur, nequicquam obſtrepentibus undique humanis appetitionibus, carniſque deſideriis, quibus omnino adverſantur, ex cogitationibus arbitrariis humani ſpiritus numquam ſibi conſtantis in actibus ſuis, & obnoxii viciſſitudinibus perpetuis, originem ducere? Quid itaque reliquum eſt, niſi ut fateamur fontem hunc, atque principium ſolam eſſe rationem, ſive veritatem æternam, quæ rationalem naturam condens, recti ordinis ideam mentibus imprimit, ut ſe ſe in fines convenientes dirigat, eoſque aſſequatur?

Alterum, illudque maximi momenti conſectarium expoſitæ veritatis eſt, animos noſtros dicendos omnino eſſe ſpirituales, atque adeo ſuapte natura immortales. Spiritualitas animi pluribus, atque invictiſſimis, planeque evidentibus rationibus a melioribus quibuſvis Philoſophis oſtenſa eſt. Nos in iſto tractatu de hoc argumento, ut jam in *præloquio* notavimus, ſaltem data opera diſſerere, haud neceſſe putavimus, ea de cauſa quod nihil emolumenti *Impio* obveniat, tametſi nedum corpus, ſed etiam animam materialem eſſe ſibi perſuaſerit: neque enim illud abnuere poteſt, omnipotentem Deum duas haſce partes hominis corpus & animam, ſive utriuſque materiam ita copulare invicem poſſe, ut eo in ſtatu futurus homo ſit, quo præmium, aut ſupplicium pro meritorum qualitate recipiat: quemadmodum id aliquando futurum in extremo judicii die fides Chriſtiana nos edocet. Certe id fieri a Deo minime poſſe quis unquam probaverit? Et rationes quidem ipſæ naturales, quas proponimus, demum factum eſſe firmiſſime evincunt. At nihilominus, quoniam ex hactenus conſtituta veritate, immaterialitas, ſive ſpiritualitas animi, evidentiſſime ſequitur, ideo conſecutionem hanc luculentius exponere, mihi viſum eſt, cæteris, quæ adduci facile poſſent, argumentis prætermiſſis: atque hoc quidem pacto: Regulæ morum, ſive naturales ideæ, aut notiones, quæ nobis inſunt, de *bono*, & *malo*, de *juſto*, & *injuſto*, de *veritate*, ac *vitio*, atque horum ſpecierum, miſericordiæ, liberalitatis, patientiæ, temperantiæ, comitatis, religionis, fortitudinis, ſicut & avaritiæ, crudelitatis, ingrati animi, intemperantiæ, timiditatis, & hujuſmodi, quas exiſtere in nobis oſtenſum eſt; non ſunt, niſi veritates univerſales, abſtractæ, ſimplices, quæ ſupra res corporeas altius eminent, ut nemo non intelligit, qui vel obiter eas conſiderat. Equidem actiones exteriores virtutum, vitiorumque ſenſus noſtros afficiunt, quoniam circa res externas, atque corporeas exercentur. Verum has non dijudicamus *bonas*, aut *malas*, niſi ex inſitis menti noſtræ judiciis, ſive notionibus abſtractis, & univerſalibus de bono & malo. Sic e. g. cognoſcimus crudelitatem eſſe vitium, manſuetudinem eſſe virtutem ex idea, & notione generali, quam huic, aut illi actioni applicamus, ſine qua nihil plane malum eſſe, vel bonum cognoſceremus. Porro impoſſibile eſt haſce ideas, ſive notiones, eſſe *vel materiam*, *vel proprietatem materiæ*. Etenim nihil aliud in materia concipimus, aut concipere fas eſt, niſi extenſionem, ſoliditatem, figuram, & etiam motum, quæ plane nihil habent commune, aut affine cum notionibus univerſalibus, & ſimplicibus bonitatis, & malitiæ, nec eas ulla ratione præcontinent, aut præcontinere valent. Siquidem materia quocumque modo compingatur, quaſcumque dividatur in partes tenuiores, ac tenuiſſimas, cum ſemper aliquid ſit *ſingulare*, *limitatum*, & *compoſitum*, præcontinere nequit, quod eſt *univerſale*, *illimitatum*, & *ſimplex*, uti ſunt notiones omnes, quas habemus, virtutum, atque vitiorum. Cum igitur axioma certiſſimum ſit apud omnes, *non poſſe haberi effectum ſine cauſa*, *quæ ipſum præcontineat*, alioquin effectus non eſſet, & prodiret ex nihilo, quod repugnare penitus, neque ipſi adverſarii noſtri diffitentur, conſequitur evidenter notiones boni, ac mali, virtutis, ac vitii, eſſe proprietates ſolius ſubſtantiæ intelligentis, ſpiritualis, & ſimplicis, quæ cum partibus careat, neque poteſt diſſolvi, aut corrumpi, adeoque natura ſua incorruptibilis eſt, atque immortalis.

Ut

Ut vis hujus argumenti, quod, ut nemo non videt, urgeri æque poteſt relate ad principia, aut regulas naturalis ratiocinii, amplius eluceat; videamus quo pacto Thomas Hobbeſius, ceterique cum illo Materialiſtæ explicare conentur cognitionum noſtrarum originem. *Cauſa ſenſionis*, (neque aliam admittit, aut admittere poteſt in Syſtemate ſuo cognitionem) ſcribit ille *cap.* 1. Leviatan, *eſt externum corpus, ſive objectum, quod premit organum proprium, & premendo mediantibus nervis, & membranis continuum efficit motum introrſum ad cerebrum, & inde ad cor: unde naſcitur cordis reſiſtentia, & contrapreſſio, ſive conatus cordis liberantis ſe a preſſione per motum tendentem extrorſum, qui motus propterea apparet tamquam aliquid externum: atque apparitio hæc, ſive phantaſma, eſt id quod vocamus ſenſionem*. Nec aliud quidpiam aſſignat ille præter diverſos hujuſmodi motus pro cognitionibus diverſis. Demus quidem Hobbeſio oportere omnino juxta principia ſua, ut *ſenſio*, ſive cognitio nihil aliud ſit, quam *motus & figura*, quod plane cum idea pugnat, quam de cognitione habemus, & abſurdiſſimum eſt. Omittamus, quod ſi eo modo, quo ſtatuit, perficeretur in nobis cognitio, haud magis cognoſceremus objecta, quam cognoſcantur a ſpeculo, in quo objectæ imagines imprimuntur. Uno verbo, largiamur Hobbeſio eo modo ſenſionem, aut cognitionem fieri, quo ipſe contendit; quid aliud inde demum extundet, niſi ea tantum a nobis cognoſci, quæ nerveas organorum fibrillas movere poſſunt, moventque reipſa, hoc eſt objecta materialia, & ſenſilia, nihilque ſupra: neque enim vim aliam ſuperiorem ponit puriores ex his, atque ſimplices ideas conficientem. Porro pluſquam evidens eſt, præter ſenſilia, bonitatem, veritatem, juſtitiam, aliaſque virtutes, ſicut & contraria vitia, definiri a nobis, adeoque cognoſci, & intelligi, non utique intuendo aut percipiendo *lineamenta earum* (ut S. Auguſtini verbis utar (a)) *vel colores, aut quomodo ſonent, aut quid oleant, aut quid in ore ſapiant, aut quid contrectantibus de calore, frigore, mollitudine, ſeu duritie, lenitate, ſeu aſperitate renuncient; ſed alia quadam viſione, alia luce, alia rerum evidentia, & longe ceteris præſtantiore, atque certiore*. Harum proinde notiones, aut ideæ nonniſi in mente, aut ſubſtantia totius materiæ experte recipi, nec niſi a vi aliqua intelligente, quæ ſupra corpus omne ſit, cognoſci valent.

Hoc argumentum vim ſuam omnem exerit adverſum *Materialiſtas* pro ſpiritualitate animorum noſtrorum adſtruenda, quidquid tandem ſentias de brutorum cognitione, a qua illi objectionem contra nos deſumere ſolent. Nam, ut concedamus brutis veram cognitionem, certiſſimum illud eſt, ea non habere ideas illas, aut notiones univerſales bonitatis, & malitiæ, virtutis, & vitii, quæ ſe in nobis clariſſime produnt, intimoque ſenſu percipimus: nec ullum hactenus in ipſis vel leviſſimum deprehenſum veſtigium eſt, unde eas vel ſuſpicari quidem valeamus. Quandoquidem eorum quancumque cognitionem ad ea ſola limitari, ac reſtringi compertiſſimum eſt, quæ ſenſus afficiunt, atque immutant: quod & ipſe Tullius ſapienter advertit, atque expoſuit *lib. 1. de Offic.* his verbis: *Inter hominem, & belluam hoc maxime intereſſe puto, quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, nihil omnino percipiens de honeſtate, aut turpitudine: Homo autem, qui rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, principia, & cauſas..... facile totius vitæ curſum videt.... Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationem, & ad vitæ ſocietatem.... Ex quo propterea cognitionem rerum ad bene, beateque vivendum neceſſariam ducimus, atque intelligimus, quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Unum hoc animal* (ſcilicet homo) *ſentit*, Quid sit Ordo, *quid ſit, quod deceat in factis, dictiſque, qui modus. Itaque eorum ipſorum, quæ aſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pul-*

tri-

(a) lib. 12. ſuper Gen. c. 6.

titudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem natura, ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulcritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis, factiſque conſervandum putat, cavetque nequid indecorum, effœminatumque faciat, tum in omnibus opinionibus, & factis nequid libidinoſe aut faciat, aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur, & efficitur id, quod quærimus, honeſtum, quodque vere dicimus, etiamſi a nullo laudetur, laudabile eſſe natura. Quæ procul dobio nonniſi ex regulis, ſive ideis generalibus *recti & honeſti* proficiſcuntur: ac propterea neceſſe eſt animum noſtrum ſejunctum eſſe ab omni concretione materiæ, prout ſummus idem Philoſophus alibi colligit, inquiens: *Singularis eſt igitur quædam natura, atque vis animi, ſejuncta ab his uſitatis, notiſque naturis: adeoque cæleſte quiddam & divinum eſt, ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt. Nec vero Deus ipſe, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno: Hoc ex genere, atque eadem ex natura eſt humana mens.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Neceſſe eſt concedere hominem eſſe libero arbitrio præditum, adeoque capacem meriti, ac demeriti, præmii, & ſupplicii.

PArum prodeſſet ad ſcopum nobis propoſitum compellere impios homines, quos refellimus, ut agnoſcant naturale diſcrimen bonorum & malorum, virtutis, & vitii, ſi res omnes fatali quadam neceſſitate agerentur, nec homini ea tribueretur prærogativa libertatis, qua deliberet de actibus ſuis, eligatque prout velit, ſive bonum, ſive malum, adeoque capax ſit merendi, & demerendi, præmii & ſupplicii. Ut præclaram hanc dotem nobis eripiant, nullum non lapidem movent tum *Spinoziſtæ*, tum *Hobbeſiani*, aliique *Materialiſtæ*, qui ſemetipſos, ac ceteros homines ad abjectiſſimam brutorum conditionem deprimere non verentur. Quicumque nimirum religionis jugum, Deique noſtrarum actionum ſupremi judicis, impatienter ferunt, illud excutere pertentant, ſublata de medio arbitrii libertate: hac etenim conceſſa, concedi quoque oportere intelligunt, tum naturam hominis plane diverſam eſſe ab extenſione, ſive materia, quæ ſeipſam agere nequit, nec niſi a cauſis externis determinatur; tum inanes leges eſſe, pœnas iniquas, præmia nulla. Quapropter illam negant, pernegantque, nec aliam admittunt in homine libertatem, quam quæ ceteris rebus corporeis convenire poteſt, quæ nonniſi ſimulacrum, & ſpectrum libertatis eſt. Unde impius Spinoza adducto exemplo de lapide ad centrum tendente, qui certe liber non eſt, ſubdit: *Atque hæc humana illa libertas eſt, quam omnes habere jactant, & quæ in hoc ſolo conſiſtit, quod homines ſui appetitus ſint conſcii, & cauſarum, a quibus determinantur, ignari.* Quare nemo non perſpicit, quanti momenti ſit conſtitutam propoſitionem defendere.

Nullum autem pro ea aſſerenda validius, ac certius argumentum credimus, quam quod petitur ab intimo ſenſu, quo de hac veritate penitus convicti ſumus; neque enim pro quacumque alia ex iis, quæ *primæ veritates*, *aut principia* dicuntur, adſtruenda, validiora ex omnium ſapientum conſenſione ſuppetunt, quam quæ ab hoc intimo ſenſu ſumuntur. Cur namque E. C. certi ſumus nos *cogitare, atque vivere?* Cur *actionem præcedere debere exiſtentiam rei; quidquid extenſum eſt, habere partes; ſine cauſa non eſſe effectum; cognitionem quidquam eſſe amplius quam ſimplicem exiſtentiam; falſum argumentum non carere vitio*, & alia id genus, quemadmodum & *Deum colendum eſſe; vitandum mendacium, fraudem, periurium; Deo non placere, nec probari flagitia; bonum amandum, fugiendum malum &c.*, quæ non alio meliore, ac certiore principio comperta, & explorata nobis ſunt, quam ſenſu intimo. Itaque nos ipſi in nobis, dummodo attendamus animo, experimur eximiam hanc libertatis dotem: nos ipſi clare percipimus domi-

nos

nos eſſe actionum noſtrarum, noſque non neceſſitate aliqua ductos, ſed pro arbitrio noſtro ad agendum dirigere, atque determinare. Quis namque vivide non ſentit ita ſe agere, ut poſſit etiam non agere? Quis non animo comprehenſum habet ita C. E. ſe nunc manum movere, vel pedem, ut poſſit etiam non movere, aut a motu ceſſare? Quis non diſcernit actiones, quas ipſe proprio arbitratu elicit, ab iis, ad quas vi aliqua interdum adigitur, nolenſque exercere compellitur? Sed de hoc argumento audire præſtat virum in primis eximium, atque doctiſſimum: cujus gallica verba latine reddita hæc ſunt.

(*a*) „ Ego ſentio, inquit, me eſſe „ liberum, neque de hoc dubitare poſ„ ſum. Hæc mea libertas plane quid„ piam non eſt imaginatione confictum. „ Neceſſe mihi foret dubitare de omni„ bus, quæ intimiora mihi ſunt, atque „ certiora, ſi de libero arbitrio meo du„ bitare fas eſſet. Ego ſentio me libe„ rum eſſe ad permanendum, dum ad „ ambulandum aſſurgo. Id ego in memet„ ipſo experior tanta certitudine, & „ perſpicuitate, ut de hoc ſerio dubi„ tare in me poteſtas non ſit, & ad„ verſus conſcientiam aperte loquerer, „ ſi *me dubitare* auderem aſſerere. Hæc „ veritas & meo, & omnium inſita „ cordi, ne quidem in dubium practi„ ce vertitur vel ab iis Philoſophis, „ qui illam vanis quibuſdam ſpecula„ tionibus excutere abs ſe vellent. E„ videntia intima hujuſce veritatis æque „ effulget in nobis, ac prima illa prin„ cipia, quæ nulla indigent probatione, „ & quibus ceteræ, quæ non ita lu„ cent, probantur veritates. Affirmare „ libertatem hominis ſpectrum eſſe ina„ ne, perinde eſt, ac inſonantem natu„ ræ vocem violenter comprimere, at„ que citra ſenſum pudoris omnem ſe„ metipſum ementiri. Ita plane, per„ git ille, dum impius homo liberum „ arbitrium negat, mentitur adverſum „ cor ſuum, timens Deum agnoſcere „ proviſorem, ac vindicem. Quare ni„ hil illuſtrius pro Religione putandum „ eſt, quam adverſantes habere nefa„ rios hoſce homines, qui in hæc opi„ nionum monſtra neceſſario proruunt, „ ut quæ ab illa docentur, impugnent. „ (*b*)

Ex his ergo colligere omnino neceſſe eſt certitudinem omnimodam atque firmiſſimam veritatis, quam defendimus, libero ſcilicet nos eſſe arbitrio præditos, niſi velimus in iis etiam falli nos poſſe, fallique reipſa, quæ per intimum ſenſum, qui ab Authore naturæ eſt, cognita nobis ſunt, atque comprehenſa, adeoque neminem certum eſſe ne quidem de *exiſtentia ſua*, de *cogitatione*, de *vita*, quod eſt abſurdiſſimum, nec ii ipſi, quos refellimus, plane conceſſerint. Quandoquidem, quæ per idem medium innoteſcunt nobis, pari gaudere opus eſt certitudine, ac firmitate. Egregie propterea humanæ libertatis hoſtes revincit, & ad incitas redigit Recentior Author (*c*) his verbis: „ Unde eſt, quod iſtud *Ego Cogito*, „ prima, & omnium maxime incon„ cuſſa veritas agnoſcatur? Niſi quia „ nullius perceptionis conſcientia iſtam „ perſpicuitatem ſuperat? Huic proxi„ mam annumerant, *Ego Sum*, quod „ exiſtentiæ meæ tam ſim conſcius, „ quam cogitationis, nec ſtare poſſit „ illarum prima, ſi ſecunda tollatur. „ Qua autem evidentia, modo atten„ dam, ſentio, & ſentire, & fateri co„ gor, *me cogitare*, eadem evidentia, „ modo attendam, ſentio me velle, & „ me eum eſſe, qui me ad volendum „ pro lubitu flecto, ſumque actuum il-

lo-

(*a*) D. de Fenelon Archiep. Cameracenſis in lib. edito, cui titulus: *Demonſtration de l'exiſtence de Dieu*.

(*b*) Præclare etiam Euſebius adverſus *fataliſtas* ætatis ſuæ intimum ſenſum in eamdem rem urget *lib. 6. de Præp. Evang.* Cap. 6. inquiens: *Quomodo cum ſentiamus noſtra nos appetitione moveri, non omnino amentiſſimum erit ab exteriore quadam vi, quaſi animi expertes moveri nos credere? Sic enim libera voluntate alia fugimus, alia ſequimur, ut quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, ſed reipſa comprehendimus, ita a noſtro ipſorum conſilio aut ad fugiendum, aut ad ſequendum moveri nos profecto ſentiamus.*

(*c*) Petrus de Croza lib. 1. Logic. Sect. 1.

„ lorum, qui nomine tò *velle* veniunt, „ dominus, cauſa, arbiter. „

At vero quamquam hoc argumentum vel ſolum ſatis eſſe deberet pro veritate liberi arbitrii noſtri adſtruenda, alia tamen præſto ſunt, quæ eamdem undique muniunt, atque confirmant. Quædam affert Doctor Angelicus S. Thomas *lib.* 2. *c. Gentes Cap.* 4., quorum primum *a priori*, ut inquiunt, repetit, atque ita proponit: „ A conceptione „ univerſali non ſequitur motus, & „ actio, niſi mediante particulari ap„ prehenſione, eo quod motus & actio „ erga particularia eſt. Intellectus au„ tem eſt naturaliter univerſalium ap„ prehenſivus (ejus quippe objectum „ verum eſt in communi). Ad hoc igi„ tur, quod ex apprehenſione intelle„ ctus ſequatur motus, aut quæcum„ que actio, oportet, quod univerſalis „ intellectus conceptio applicetur ad „ particularia: ſed univerſale continet „ in potentia multa particularia; po„ teſt igitur applicatio conceptionis in„ tellectualis fieri ad plura diverſa. Ju„ dicium igitur intellectus de agibili„ bus non eſt determinatus ad unum „ tantum. Habent igitur intellectualia „ liberum arbitrium. „ Hoc argumentum alio modo confirmat conſideratione illorum, quæ libertate carere omnes conſentiunt, inquiens: „ Judicii liber„ tate carent aliqua, vel propter hoc, „ quod nullum habent judicium, ſicut „ quæ cognitione carent, ut lapides & „ plantæ: vel quia habent judicium a „ natura determinatum ad unum, ſicut „ irrationalis anima. Naturali enim „ æſtimatione judicat ovis lupum ſibi „ nocivum: & ex hoc judicio fugit „ ipſum. Quæcumque ergo habent ju„ dicium de agendis non determinatum „ ad unum a natura, neceſſe eſt liberi „ arbitrii eſſe: intellectus enim appre„ hendit non ſolum hoc, vel illud bo„ num, ſed ipſum bonum commune. „ Unde, cum intellectus per formam „ apprehenſam moveat voluntatem: in „ omnibus autem movens, & motum „ oportet eſſe proportionata; voluntas „ ſubſtantiæ intellectualis non erit de„ terminata a natura, niſi ad bonum „ commune. Quidquid igitur affertur „ ſibi ſub ratione boni, poterit volun„ tas inclinari in illud, nulla determi„ natione naturali in contrarium pro„ hibente. Omnia igitur intellectualia „ liberam voluntatem habent ex judicio „ intellectus venientem, quod eſt libe„ rum arbitrium habere. „

Huic affinis eſt alia ratio, quam conficit Sanctus Doctor, ſpectata præſertim voluntatis humanæ natura, & objecto, quam ita exponere placet: ſicut intellectus objectum eſt ens univerſale, nullumque peculiare ens, niſi fuerit ipſe Deus in ſemetipſo cognitus, intelligendi amplitudinem definit, & complet; ita objectum voluntatis eſt bonum univerſale, nullumque peculiare bonum eſt, niſi ſit ipſa poſſeſſio Dei clare viſi, quod capacitatem ejuſdem plene ſatiet, ac expleat, ut cuilibet ſe ipſum conſideranti facile conſtat. Porro quandiu objectum voluntatem omnino non ſatiat, nec totam ipſius capacitatem replet, atque amplitudinem, impoſſibile eſt, ut ad amandum illud humana voluntas neceſſario feratur; ſed ſumma ſemper indifferentia arbitrii pollet, & illud reſpuendi, & aliud quærendi: atque adeo mutationi ſemper ſuorum actuum obnoxia eſt, nec unquam ad unum aliquod determinata. Hoc autem quid aliud eſt niſi facultatem habere eligendi, prout ſibi libuerit, & ex conſequenti libero arbitrio potiri?

Sed & abſurda graviſſima, ac prorſus intoleranda, quæ ex adverſariorum commento affatim profluunt, ſummæ dementiæ illos redarguunt, atque convincunt. Quandoquidem, ut ſupra demonſtratum eſt, agnoſcere, ac fateri omnino oportet legem quamdam æternam Dei rectum ordinem præſcribentem, quæ refulget in mente noſtra mediis quibuſdam dictatis, ſive judiciis abſolutis, ac neceſſariis, quibus jubemur exequi, quæ honeſta ſunt, atque juſta, fugere vero, quæ turpia, & injuſta: ſublata autem arbitrii libertate, nihil horum plane conſiſteret. Quis enim bonam actionem, vel malam proprie di-

xerit, juſtam, vel injuſtam, quam neceſſario elicimus? Num Deus has notiones, morumque regulas, quas in agendo ſequeremur, impreſſiſſet in animis noſtris, ſi æque ac belluæ inevitabili fato, aut inſtinctu cuncta ageremus? Profecto, quemadmodum in brutis notiones hujuſmodi non deprehenduntur, nec deprehenſæ unquam fuere, quoniam cum naturali vi, & impreſſione moveantur, nedum haud congruæ, ſed & fruſtraneæ, & inutiles penitus eſſent; ita fruſtra illas Deus indidiſſet homini, ſi vi, & impreſſione eadem determinaretur: fieri namque minime poſſet, ut ad earum amuſſim vitam, moreſque componeret, & honeſte viveret, qui vitam inhoneſte, turpiterque traducit; quemadmodum neque fieri poteſt, ut videat, qui caret lumine, aut recte incedat, qui claudus eſt.

Nec divinæ ſolum, in adverſariorum hypotheſi, ſed omnes etiam de medio tolluntur humanæ leges, quas nec ipſi in quovis regimine recte conſtitui, inficiari audent. Quis enim niſi plane fatuus legem ſtatuat iis, qui libertate carent ita, aut aliter agendi? Nam neceſſitate ducti eodem modo etiam abſque legibus agerent, nec poſſent exequi, quod Legumlatores præcipiunt, aut vitare quod prohibent. Unde neque adverſum tranſgreſſores legum pœnæ ſanciendæ forent, & inique oppido ab ipſis exigerentur. Siquidem (inquit S. Auguſtinus (a)) *peccati reum tenere quemquam, quia non facit, quod facere non poteſt, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ*. Nullus itidem locus eſſet laudibus, aut vituperio: nullus objurgationibus, atque minis: nullus ſuaſionibus, & conſiliis. Si enim cuncta fatali neceſſitate fiunt a nobis, nonne facinoroſus homo ſuadenti vitam ad regulas virtutis compoſitam, reponere jure optimo poſſet, id non eſſe poteſtatis ſuæ, adeoque nec oportere aliquem eſſe Sollicitum de ſuis actibus, ſive boni ſint, ſive mali? Quare cum hæc abſurdiſſima ſint, nec audiri ſine fremitu quodam, & horrore queant: & cum nullam gentem in univerſo invenire liceat, quæ publicos Magiſtratus, publica judicia, certaſque leges non habeat, queis improbos ſupplicio afficiat, defendat, ac tueatur bonos: nullum ſit genus hominum, qui ſuaſionibus, conſiliis, minis, objurgationibus non utatur, aut utendum dubitet: nullum, qui laude dignos non judicet honeſtos viros, impios vero, & injuſtos vituperio, ac ſupplicio; colligere omnino neceſſe eſt homines dominos eſſe ſuorum actuum, ſeque ad agendum, vel non agendum libero arbitrio flectere. Atque hoc erat argumentum præcipuum ex omnium hominum in rebus hiſce firmo conſenſu, quo libertatis oſores ætatis ſuæ proſternebat laudatus S. Auguſtinus (b): *Etiamne*, inquiebat, *libri obſcuri mihi ſcrutandi erunt, unde diſcerem neminem vituperatione, ſupplicioque dignum, qui, aut id vult, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Quid, quod ne ipſi quidem nuperi libertatis hoſtes negare illam haud poſſunt, quin facto ſibimetipſis apertiſſime contradicant? Ipſi namque & hortantur ſive liberos, ſive famulos ſuos, ut honeſte vivant, & regulas bene ſe gerendi præſcribunt, & in eos animadvertunt, qui præceptionibus ſuis non obſequuntur, aut tranquillitatem & pacem ſocietatis perturbant. Præterea nonne ſibi cordi plurimum eſt, nequid agant, unde eorum fama lædatur, aut nocumentum aliquod imminens abs ſe avertant? Nonne ſolliciti ſunt in periculis præcavendis, dubiiſque in rebus apprime cauti? Nonne deliberant, nonne capiunt conſilia, eliguntque media fini, quem intendunt, obtinendo aptiora? Nonne, ut plura alia prætercam, laudant,

(a) Lib. de duabus Anim. C. 17. (b) Lib. de duabus Anim. C. 17.

dant, nonne vituperant, nonne pro meritis puniunt? Uno verbo, ita ſe in cunctis gerunt, ut factis manifeſte prodant, haud ſe reipſa ſentire, quod cæteroqui ſcribunt, aut loquuntur, ſeque riſu plane dignos oſtendunt, dum neceſſitati non impedibili ſubjici omnia infrunite garriunt.

Diſerte admodum & ornate argumentum iſtud pertractant, urgentque duo ſummi viri Euſebius, & Auguſtinus: quorum alter *lib. 7. Præp. Evang. cap. 7.*, hæc habet: „ Quod opinio, „ quæ de fato habetur, penitus falſa „ ſit, inde patet: quia etiam ejus opi„ nionis Authores & docent, & hor„ tantur, & diſcunt, & conſulunt. In„ crepant etiam, caſtigantque ſuos, quaſi „ propria voluntate peccantes. Pluri„ ma quoque conſcribunt, quibus ad „ rectos mores juvenes adhortantur, „ veniaque dignum putant, ſiquis in„ vitus peccat: ſponte autem delin„ quentes puniendos non negant. „ Alter vero *Epiſt. 246.* poſtquam dixiſſet, leges omnes atque inſtituta diſciplinæ *Fataliſtarum* commento penitus labefactari, atque ſubverti, nihilque omnino remanere juſtitiæ, niſi voluntas ſit domina ſui, & cauſa peccati; ita eoſdem malæ fidei in neceſſitate aſſerenda egregie revincit. „ Nam cum „ aliquis eorum, inquit, hominibus num„ matis fatua fata vendiderit, mox ut „ oculum a tabellis eburneis ad domus „ ſuæ moderamen, ac ſollicitudinem „ revocaverit, non ſolum vocibus, ſed „ etiam plagis emendat uxorem, non „ dico, ſi petulantius jocantem, ſed ſi „ immoderatius per feneſtram adſpicien„ tem animadvertit. Quæ tamen, ſi ei „ dicat: *quid me cædis? Venerem cæde,* „ *ſi potes, a qua cogor hoc facere:* Tum „ vero ille non curat, quam vana ver„ ba componat fallendis extraneis; ſed „ quam juſta verbera imponat corri„ gendis ſuis. Quando ergo quiſque.... „ ideo ſe culpari non vult, quia fato „ ſe dicit coactum feciſſe id, quod ar„ guitur, redeat ad ſe ipſum: ſervet „ hoc in ſuis: non caſtiget ſervum fu„ rem: non de contumelioſo filio con„ queratur: vicino improbo non mine„ tur. Quid enim horum faciens juſte „ facit, ſi omnes, a quibus injurias pa„ titur, non culpa ſua, ſed *fato* im„ pellantur, ut faciant? Si autem jure „ proprio, & Patris familias diligen„ tia, quoſcumque homines pro tem„ pore in poteſtate habet, hortatur ad „ bonum, deterret a malo, imperat „ ſuæ voluntati, ut obtemperet, ho„ norat eos, qui ſibi ad nutum obe„ diunt, vindicat in eos, qui ſe con„ temnunt, rependit gratiam beneficis, „ odit ingratos; Egone expectabo, ut „ contra fata diſputem, cum tanta eum „ non verbis, ſed factis eloqui depre„ hendam, ut prope manibus ſuis o„ mnes mathematicorum capillos ſuper „ capita eorum frangere videatur? „ Ha„ ctenus ille.

Adverſum tam præclara, tam apodictica plane, & decretoria argumenta, quid habent adverſarii, quod objiciant pro abſurdiſſimo errore ſuo defendendo? Omiſſis quibuſdam cavillationibus, quibus non tam expedire quæſtionem, quam involvere ſatagunt, nullum aliud revera fundamentum adſtruunt pro ſtatumine cauſæ ſuæ, quam quod ex ſtolidiſſimo ſuo ſyſtemate repetunt, nihil ſcilicet in homine eſſe, quemadmodum & in ceteris rebus, niſi *materiam*, aut *corpoream ſubſtantiam*, quæ ab alio neceſſario movetur, atque adeo nec motus ſui principium & dominium continet, ſicut ad liberum arbitrium omnino requiritur: quod perinde eſt, ac pro fundamento commenti ſui aliud abſurdius commentum ponere penitus dirutum, atque convulſum a clarioribus quibuſvis Philoſophis, qui non mere probabilibus, ſed certiſſimis, evidentibuſque rationibus demonſtrarunt ſubſtantiam cogitantem ab extenſa ſecretam eſſe oportere, nec ullo pacto convenire materiæ poſſe, quæ clariſſime in animo noſtro deprehendimus, ac intimo ſenſu percipimus. Verum ut fundamentum, cui Adverſarii maxime nituntur undequaque ſtramineum eſſe, manifeſtius fiat, fac animi noſtri ſubſtantiam non eſſe a corpore, ſive materia diſtinctam:

num propterea in eorum hypotheſi colligere inde fas erit, poſſibilem non eſſe eam, quam eidem adſcribimus arbitrii libertatem? Minime gentium. Cum enim non adeo plumbei ſint Adverſarii, ut ſibi perſuadeant cogitationem, & voluntatem produci poſſe a *figura* vel *motu*, quæ proprietates nobis notæ materiæ ſunt; dum ponunt actus hujuſmodi eſſe qualitates, ſive affectiones materiæ, illud etiam ponunt, neceſſe eſt, materiam capacem eſſe aliquarum proprietatum, quæ prorſus a *motu* & *figura* differunt, nobiſque incognitæ ſunt. Porro ſi materia capax eſt proprietatum, quæ differunt a *figura*, & *motu*, quo pacto probare poterunt non eſſe pariter capacem activæ virtutis, ac dominii propriorum actuum, ſive actionum? Nam hæ dotes, ſin minus ex *figura* & *motu*, quæ neceſſaria ſunt, profluere queunt, prodire ſaltem poterunt ex aliis materiæ occultis proprietatibus, quas in ipſa comminiſcuntur. Nonne hinc perſpicuum eſt Hobbeſii, Hobbeſianorumque argumentum purum eſſe, putumque ſophiſma, eoſque ludere plane, ac illudere hominibus ſyſtemate ſuo, & conſequentiis, quas ex ipſo deducunt? Quoties namque oſtendimus animum noſtrum a materia ſecerni, reponunt materiam nedum figuræ, & motus eſſe capacem, ſed etiam aliarum proprietatum, quæ ſunt incognitæ nobis, minimeque comprehenſæ: contra vero, ut probent voluntatem non eſſe *dominam ſuarum actionum*, materiam his omnibus exuunt occultis proprietatibus, nec aliud in ea relinquunt, præter meram extenſionem, ſoliditatem, motum, atque figuram. Si proprietates alias occultas in materia ponunt, unde prodeant cogitationes, cur non etiam unde prodeant liberæ volitiones? Nullam ſane, niſi me fallunt omnia, Hobbeſiani, quantumvis mentem ſuam torqueant, atque contorqueant, rationem idoneam invenient, unde altero admiſſo, alterum negare merito poſſint.

PROPOSITIO TERTIA.

Admittendæ omnino in Deo ſunt Providentia, aliæque perfectiones, quæ morales dicuntur.

HÆc poſtrema propoſitio ex iis, quas præmittere viſum nobis eſt, ut argumento, quod allaturi ſumus, pateat undique via, præſumenda potius eſſet, quam probanda. Cum enim adverſus illos præſertim inſtituta diſputatio ſit, qui Deum, ſive ſummum Ens exiſtere, atque etiam rerum omnium Conditorem fatentur, quaſcumque, quæ in idea ſummi Entis reſplendent, perfectiones ſuſpicere, & venerari compelluntur. At quoniam, ut notatum eſt ab initio, non pauci ex iis haud rectam ſibi informant animo de natura divina notionem atque ideam; iccirco conſultum erit ſaltem paucis oſtendere præcipua Dei quædam attributa, quæ argumentum noſtrum proximius attingunt, ea ſcilicet, quæ *moralia* dicuntur, & creaturas a Deo productas aliquatenus ſpectant. Nam de ceteris quibus divina natura prædita eſt, excellentiſſimis perfectionibus parum ſolliciti ſunt impii homines, dummodo ab ea illas auferant, ſi fieri quidem poſſet, quæ relationem ad ſe ipſos habent, maximeque Providentiam, aut rerum humanarum adminiſtrationem, atque curam, quæ eos vehementer exagitat, atque excruciat. Unde eorum Coryphæus Epicurus de iis, qui Deum Proviſorem poſuerant, ita apud Tullium conqueri ſolebat: *impoſuiſtis in cervicibus noſtris ſempiternum Dominum, quem dies, & noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii Deum?* Et perfectiones quidem illas generatim aſſertas Deo denegare a nemine poſſe, duabus firmiſſimis probationibus, iiſque cuilibet ſanæ mentis facile perviis, evincimus: quarum prima hæc eſt: nulla ex perfectionibus, quæ ſimplices

ſint,

ſint, deeſſe poteſt enti ſummo, & infinito; igitur nec ulla ex iis quæ *morales* dicuntur, *bonitas* nimirum, *ſapientia*, *juſtitia*, &c. Has quippe perfectiones & quidem excellentiſſimas eſſe, nemo niſi amens negaverit, nullusque mortalium eſt, qui illas in creaturis ut perfectiones non agnoſcat, & admiretur, & eo majore admiratione, ac reverentia dignum non cenſeat, quo magis iis aliquem excellere cernit. Porro nullam ex iis, & quidem in gradu omnium ſummo, Deo poſſe deeſſe ex idea ſupremi & infiniti entis nitidiſſime conſtat, & communi tum Doctorum, tum Indoctorum ſenſu comprobatur. *Omnes certatim*, inquit S. Auguſtinus, *pro excellentia Dei dimicant: nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt. Itaque hoc Deum conſentiunt eſſe, quod ceteris rebus omnibus anteponunt*. Quæ ratio confirmari hoc modo poteſt. Fieri omnino nequit, ut perfectio ulla, aut prærogativa ſit in effectu, quæ non contineatur, & excellentius quidem, in cauſa. Etenim ab aliqua cauſa illam receperit, neceſſum eſt, alioquin profecta eſſet ex nihilo, quod repugnat. Sapientiam autem, bonitatem, atque juſtitiam exiſtere in creaturis rationalibus, ne Atheus quidem negat, ſenſu omnium intimo alte clamante, & teſtimonium certiſſimum perhibente.

Ratio altera ſumitur ex neceſſitate exiſtentiæ divinæ naturæ, ſive entis perfectiſſimi. Si enim aliqua Deo perfectio deficeret, utique fas eſſet concipere exiſtentiam entis perfectioris, quod alterius exiſtentiam impedire potuiſſet. Quod ſi hujus exiſtentia impediri ab alio potuit, jam neceſſaria non eſſet, ut liquet: ſiquidem impoſſibile non fuiſſet, ut ipſa non eſſet. Quod ſi ſupremum ens neceſſario exiſtit, contineat, oportet perfectiones omnes poſſibiles, adeoque etiam ſapientiam, juſtitiam, atque bonitatem, & abſque ulla quidem penitus limitatione. Quod enim neceſſario exiſtit, neque a ſe, neque ab alio limitari poteſt in aliquo perfectionis genere. Non *ab alio*, cum nullum ens ſit, cui ſupremum ens ſubjiciatur: non *a ſe*, quoniam fieri nequit, ut quod ſibi ratio ſufficiens exiſtendi eſt, ſibi quoque ratio non ſit continendi perfectiones omnes in ſupremo gradu. Hoc adeo certiſſimum eſt, ut inter ipſas craſſiores Gentilium tenebras nemo fuerit, qui non cenſeret, omnino oportere Deum eſſe *ſumme bonum*, *ſumme ſapientem*, *ſumme juſtum*: quandoquidem inter virtutes, ſive prærogativas humani generis percipimus haſce dotes præclariſſimas eſſe, ac majori æſtimatione dignas. Quin immo vel ex antiquis Philoſophis, qui Atheiſmo favebant; æque ac nos, ceterique hominum de re hac perſuaſi fuiſſe videntur. Quodnam enim ſpecioſius argumentum erat, ut divinitatem abnuerent? Nonne illud, quod ex defectibus quibuſdam ducebant, quos animadvertere ſibi videbantur in hoc univerſo, quem propterea indignum ſapiente, juſto, bonoque Opifice perperam aſſerebant? Nullius porro momenti hoc argumentum fuiſſet, ſi vel Athei ipſi non agnoviſſent, ab idea quam de divina Natura concipimus, ſecludi non poſſe perfectiones *bonitatis*, *ſapientiæ*, *atque juſtitiæ*.

Peculiares autem rationes, quæ Dei evincunt Providentiam rerum omnium, in qua ceteræ comprehenduntur laudatæ perfectiones, hæ ferme ſunt, eaque in primis, quam ex productis principiis Tullius intulit, eademque refellit, atque coarguit ſui temporis Atheos, ſive Epicureos, qui divinæ gubernationi mundum ſubtrahebant: *Si aliter eſt*, *lib. 2. de Nat. Deor.*, nempe, ſi a Deo non adminiſtratur mundus, *aliquid profecto ſit*, *neceſſe eſt*, *melius*, *& majore vi præditum*, *quam Deus*, *qualecumque illud ſit*, *ſive inanimis natura*, *ſive neceſſitas vi magna incitata hæc pulcherrima opera efficiens*, *quæ videmus*. *Non eſt igitur natura Deorum præpotens*, *neque excellens: Siquidem ea ſubjecta eſt ei vel neceſſitati vel naturæ*, *qua cælum*, *ma-*

(a) Lib. de Nat. hom. c. 46.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

maria, terræque reguntur. Nihil autem eſt præſtantius Deo: ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi. Nulli igitur eſt naturæ obediens, aut ſubditus Deus. Omnem ergo regit ipſe naturam. Etenim ſi concedimus intelligentes eſſe Deos, concedimus etiam providentes. Quod ſi Deorum Providentia mundus adminiſtratur, neceſſe eſt, ut ibidem Tullius ſubinfert, *ut iidem conſulant rebus humanis, neque ſolum univerſis, ſed etiam ſingulis.*

Ad alias accedo probationes, quarum illa firmiſſima mihi videtur, quod nemo ſit, nedum ſapiens, & honeſtus, ſed etiam indoctus, & impius, qui ſi ad interiores animi ſui motus attenderit, negare queat, unum eſſe Deum, qui ſicut condidit omnia, ita eadem omnia, quæ condidit, virtute moderetur, atque adminiſtret. *Res ſingulas*, ſcribit Chriſtianus Philoſophus in primis illuſtris Nemeſius (a) *regi Providentia, magno argumento eſt, quod naturaliter ejus notitia hominibus ſit inſita. Nam neceſſitate aliqua compulſi, ſtatim ad Numen divinum, & preces confugimus, velut natura nos ſine doctrina ad Dei opera perducente. Non autem ſine doctore natura nos ad id duceret, quod eadem natura non fert, ut fiat. Nam in repentinis perturbationibus, & timoribus ſine electione, neque deliberate, & tamquam aliquid conſideremus, Dei nomen invocamus. Quidquid autem naturaliter quamque rem inſequitur, in eo tanta vis eſt ad demonſtrandum, ut contra dici nihil poſſit.*

Præterea ſicut ipſa rerum pulchritudo ab Artifice ſapientiſſimo mundum hunc conditum fuiſſe demonſtrat; ita rerum earumdem conſtans ordo, ſtabiliſque in ſuis motibus harmonia, evidenter oſtendunt divina Sapientia, ac Providentia regi mundum, atque adminiſtrari: quemadmodum Nemeſius id declarat *Cap.* 42. dicens: „ Omnium „ permanentia, & maxime eorum, quæ „ oriuntur, & occidunt, ſitus item, & „ ordo rerum, qui ſemper conſervatur, „ & aſtrorum curſus, qui nihil unquam „ variatur, & annui circuitus, & anni „ temporum reſtitutio, noctium & die„ rum ſemel in anno æqualitas, utriſ„ que viciſſim neque majore, neque „ minore parte augeſcentibus, & de„ creſcentibus, quomodo, ſi nemo pro„ videat, ſimiliter adminiſtrari, & per„ manere poteſt? „

At quoniam neque Deiſtæ ætatis noſtræ Providentiam quamdam in Deo de rebus ſublimioribus, ac præſtantiſſimis concedere renuunt, eamque ſolum extendi negant ad naturas viliores, & infimas, maximeque ad actiones humanas, Deumque ſibi confingant, veluti terrenum Regem, aut Principem, qui minima non curat, de gravioribus tantummodo ſollicitus; ideo quam abſurda, quam ſtulta ſit imaginatio iſthæc paucis explicemus. Nam ſi Deo cura non eſſet de rebus omnibus, & ignobilioribus, maximeque de humanis actibus, hoc ex altero ex hiſce tribus proficiſci capite oporteret; ideſt, vel *defectu ſcientiæ*, vel *defectu potentiæ*, vel tandem *defectu voluntatis*. Nullum autem ex his in Deo admittere licet, quin ipſum de medio tollamus: cum enim & ſapientia & potentia Dei infinitæ ſint, & optima ipſius voluntas, complectuntur omnia, quæ in mundo fiunt, nihilque ab earum effugit amplitudine, atque cura. In quo Deus maxime differt a quibuſvis terræ Regibus, & Magiſtratibus, qui etiamſi vellent, nec omnia noſcerent, nec proſpicere poſſent omnibus, quæ ſub eorum ditione, ac regimine continentur. Quibus adde Deum omnia condidiſſe etiam viliſſima, ipſis fatentibus adverſariis. Igitur omnia etiam ſub ejus cura, & gubernatione comprehendi neceſſe eſt. Siquidem, ut arguit S. Ambroſius (*a*), *Quis operator negligat operis ſui curam? Quis deſerat, & deſtituat, quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe? Cum aliquid non feciſſe nulla injuria ſit: non curare, quod feceris, ſumma inclementia.*

Quod ſi de omnibus curam Deus habet, apteque cuncta etiam viliora diſponit,

(*a*) lib. 1. de Offic. c. 13.

ponit, atque gubernat; quis niſi fatuus rationales creaturas ab ejus gubernatione ſubtraxerit? Quin immo potior in his ratio conſpirat, ut ipſas curæ, & gubernationi divinæ ſubjiciamus: quod Angelicus Doctor S. Thomas (*a*) egregie oſtendit hoc argumento, poſtquam Dei de ceteris Providentiam multis comprobaſſet. „ Ex his quidem, *inquit*, manifeſtum eſt, quod divina „ Providentia ad omnia ſe extendat: „ oportet tamen aliquam rationem Pro„ videntiæ ſpecialem obſervari circa in„ tellectuales, & rationales naturas præ „ aliis creaturis. Præcellunt enim alias „ creaturas, & *in perfectione naturæ*, & *in* „ *dignitate finis*. *In perfectione* quidem „ *naturæ*, quia ſola Creatura rationalis „ habet dominium ſui actus, libere ſe „ agens ad operandum (quod ſupra „ probatum eſt); ceteræ vero creatu„ ræ ad opera propria magis aguntur, „ quam agant. *In dignitate autem fi*„ *nis*: quia ſola creatura intellectualis „ ad ipſum ultimum finem univerſi ſua „ operatione pertingit, ſcilicet cogno„ ſcendo, & amando Deum; aliæ vero „ creaturæ ad finem ultimum pertin„ gere non poſſunt, niſi per aliqualem „ ſimilitudinis ipſius participationem. „ Omnis autem ratio operis (diſpoſi„ tionis nempe divinæ Providentiæ, „ ac gubernationis modus) variatur „ ſecundum diverſitatem finis, & eo„ rum, quæ operationi ſubjiciuntur ..... „ ſicut oportet in regimine civitatis „ diverſam rationem ordinis obſervari „ ſecundum diverſas conditiones eorum, „ qui ſubjiciuntur regimini, & ſecun„ dum diverſa, ad quæ ordinantur. „ Oportet enim aliter diſponi milites, „ ut ſint præparati ad pugnam, & ar„ tifices, ut bene ſe habeant circa ſua „ opera. Sic igitur & alia eſt ordinis „ ratio, ſecundum quam creaturæ ra„ tionales Providentiæ divinæ ſubji„ ciuntur, & alia ſecundum quam or„ dinantur ceteræ creaturæ. „ Hæc ille ſapientiſſime, qui alia quoque adhibet ad veritatem eamdem confirmandam, quæ brevitatis gratia prætereo.

Non me hercle fugiunt difficultates, quas contra Dei Providentiam congerere Adverſarii ſolent: ſed omnes facillime diſſlantur in auras, ſi illud colligamus animo, quam plures quoque difficultates eſſe, quæ de rebus ceteris naturalibus, iiſque certiſſimis, occurrunt in ſcientiis omnibus, quæ videntur nobis plane inſolubiles, neque tamen ab earum firma aſſenſione vel tantillum dimovemur, ob evidentiam, quam aliunde de iiſdem habemus. Sed præterea cogitandum diligenter illud nobis eſt, perſpecta neutiquam nobis eſſe, quæ neceſſaria forent, ut poſſemus illas diſſolvere, plenam ſcilicet de natura infinita Dei cognitionem, magnitudinem, & extenſionem conſiliorum ſuorum, numerum, naturamque Operum ipſius, res præteritas atque futuras &c. Horum quippe ignorantia, aut obſcuritas, in qua profunde verſamur, difficultatum omnium, quæ ſe objiciunt menti noſtræ, fons eſt & origo; quas iccirco diluere minime poſſumus.

CAPUT III.

Ad argumenta, quæ ex Dei perfectionibus proferuntur pro adſtruenda futura impiorum pœna, quædam prænotantur. Primum argumentum ex ſanctitate promitur divinæ naturæ. Alterum ex prærogativa ſupremi Legiſlatoris Deo maxime conveniente. Tum vero poponuntur ea, quæ ſuppeditant ſanctitas, ſapientia, ac juſtitia divina. Quæ demum deducuntur ex Dei Providentia, validiſſime confirmantur, ac pluribus illuſtrantur. Præcipua Deiſtarum evaſio quaquaverſum præcluſa.

Iam vero ex omni parte principiis firmiſſime conſtitutis, quæ diruere fruſtra moliuntur recentiores Deiſtæ, liquidiſſime fluit vis & efficacia argumenti pro adſtruenda futuræ vitæ retributione, ex attributis, ſive perfectionibus divinis derivati: quod quidem *morale* eſſe non diffitemur, quemadmodum

(*a*) lib. 3. cont. Gen. c. 112.

dum & cetera, quæ deinde proferimus. Sed quis adeo deſipiat, ut mathematicam hac in re, ſive geometricam evidentiam requirat, cum non aliam, quam moralem certitudinem ipſa rei natura patiatur? Profecto ſi mortalitatis, atque adeo retributionis expers cenſenda mens noſtra eſt, niſi evidentia, qua poteſt eſſe, maxima id evincantur, cur eamdem ipſam *Deiſtæ* in rebus omnibus nequaquam poſtulant? Num animus noſter adeo ignobilis eſt, deteriorisque naturæ, ut, cum de eo agitur, illud verum duntaxat judicari debeat, quod evidentiſſime verum eſſe conſtiterit? Aut futuræ vitæ dogma adeo parvi momenti, ſive periculi, ut niſi evidentia urgeat, & cogat neceſſitas, admittendum minime ſit? Itaque ſi prudentiſſime olim dixerat Ariſtoteles, quemadmodum vere dixiſſe nemo dubitat, *ſtultum* eſſe *æqualem in omnibus evidentiam*, *certitudinemque requirere*; ſummæ profecto dementiæ eſt, maximam, cum de animorum noſtrorum futura ſorte agitur, evidentiam poſtulare.

Ut autem paulatim, ac veluti per gradus quoſdam progrediamur in hoc argumento, vimque ipſius plane ineluctabilem omnium veluti ſubjiciamus oculis; illud in primis mihi *Deiſtæ* concedant neceſſe eſt, tamquam *poſſibile*, quod nos reipſa factum eſſe contendimus, ſupremum ſcilicet rerum omnium arbitrum, & dominatorem Deum creaturas rationales ita condidiſſe morum regulis inſtructas, ac libertate præditas, ut ſpatium vitæ præſentis eiſdem conceſſum, tempus eſſet duntaxat probationis, atque laboris in exercenda virtute rectiſque operibus peragendis: alia vero vita deinceps ſequeretur, in qua pro meritorum ſuorum ratione, vel præmium, ac felicitatem reciperent, vel pœnam incurrerent, atque miſeriam. Quis namque in hoc divino conſilio repugnantiam ullam, aut abſurditatem excogitarit? Non profecto ex parte Dei, qui ſicut creaturas omnes ex nihilo eduxit, earumque ſupremus Dominus eſt, ita de iiſdem diſponere valet, prout ſibi viſum fuerit juxta infinitæ ſapientiæ ſuæ regulas. Unde quemadmodum nemo dixerit Principem, ſive ductorem exercitus haud ſapienter ſe gerere, qui milites ſtrenuos, aut ignavos, non tempore pugnæ vel belli, ſed eo finito, remuneratur, aut punit, ita de nobis militantibus in hac vita ſtatuere ſapientiſſime potuit Princeps omnium Deus. Sed neque repugnantia ulla, aut abſurditas confingi poteſt ex parte hominis. Quodcumque enim de natura ejuſdem amplecteris ſyſtema, ipſum capacem futuri præmii, vel pœnæ admittere cogeris. Nam ſi animos noſtros, prout docet major, meliorque Philoſophorum pars, & totius humani generis ſenſus, & apodicticæ plane rationes probant, ſimplices, ſpirituales, adeoque ſuapte natura immortales admiſeris, jam evidens eſt eos non diſſolvi, ſed permanere etiam poſt ſeparationem a corpore. Quod ſi ſtultiſſimam Epicurei, & Materialiſtarum opinionem ſequi malueris, animumque ponas ſubtili materia concretum; neque in hac hypotheſi, ut ſemel, ac iterum notavimus, eum ita interire in hominis morte dixeris, ut etiam neges, omnipotentem Deum, a quo conditus eſt, in ſtatum illum poſſe reſtituere, in quo præmium pro meritis ſubeat vel ſupplicium. Nullo igitur pacto *impoſſibilem eſſe* futurum vitæ ſtatum fas eſt defendere.

Sed & illud deinde nobis *Deiſtæ* concedant, oportet, nihil deeſſe nobis ex iis, quæ neceſſaria creduntur, aut ſaltem credi facile poſſunt ut pro operibus noſtris ſubeamus judicium Dei. Nos etenim præ ceteris cunctis animantibus cognoſcimus Deum: inſitas in mente atque conſignatas habemus ideas honeſtatis, & pravitatis, virtutis & vitii, queis bonum a malo, nativa mentis vi ſecernimus: percipimus etiam naturales hujuſmodi ideas, aut notiones obligationem inducere, ſive debitum alia ſequendi, alia autem fugiendi. Liberos inſuper nos eſſe præditos arbitrio ſentimus, quo noſmetipſos dirigere, ac determinare valemus, bonumque pro lubitu,

bitu, vel malum amplecti, virtutem ſequi, vel vitium, atque adeo etiam novimus actus noſtros laude dignos eſſe, aut vituperatione, præmiumque mereri, vel ſupplicium. Hæc abunde oſtenſa jam ſunt, & ex iis, quæ in rebus humanis contingunt, & politico regimine clariſſime patent. Nec demum aliquis in dubium verterit nos doloris capaces eſſe vel gaudii, quæ præmium, & pœnam conſequuntur: quemadmodum nec eſſe creaturas a Deo dependentes, eique ſubjectas, qui legibus quibuſdam nos regat, omnique poteſtate remunerandi, aut puniendi præpolleat.

Etiam illud præterea certiſſimum eſt apud omnes, Principes, aut Legumlatores humanos nec probis præmia, nec improbis ſupplicia conferre, ſed neque conferre poſſe, quæ meritis cujuſcumque reſpondeant. Nam, ſi de præmiis loquimur, vel nulla prorſus ab ipſis tribui ſolent, vel aliquando adeo exigui momenti, ut plane pro nihilo æſtimanda ſint, præſertim cum arcana cordium introſpicere nequeant, unde bonarum actionum pretium potiſſimum æſtimatur. Si autem ſermo ſit de ſuppliciis, quænam ſodes ſunt actiones pravæ, quas Magiſtratus humani punire ſolent? Plane nonniſi exteriores aliquæ, quæ ſocietatem politicam lædunt, ac Reipublicæ tranquillitatem perturbant: & has quidem non omnes, ſed perpaucas: quoniam pauciſſimæ ſunt, quæ in eorum cognitionem veniant; cetera vero, eademque propemodum infinita, ac ſæpe graviſſima delicta, quæ corde potius, quam externo opere conſummantur, aut minime norunt, aut ipſi non curant, aut de illis nullum judicium pronunciant, aut ea punire non poſſunt. Hoc perviderunt antiqui illi Legumlatores Solon, Charondas, Lycurgus, & alii, qui, ut homines in officio pro virili continerent, veluti baſim quamdam, ac fundamentum legum ſuarum dogma præſtituerunt divinæ Providentiæ, quæ contemplatur omnia, nihilque latet ex iis, quæ ab hominibus fiunt, ſive manifeſta ſint, ſive occulta.

Quæ ſi omnia adeo certiſſima ſunt, ut neque ab Adverſariis noſtris in diſputationem adduci queant: ſi admittere quemquam neceſſe eſt actiones bonas, ac malas, quæ a Creaturis rationalibus libere fiant, atque adeo laudem, aut vituperationem, præmium aut pœnam ſibi debita faciant: ſi hæc a terrenis Principibus pro ratione meritorum nec tribuuntur, nec tribui valent; jam nihil eſt aliud reſiduum, niſi ut ad ſupremum Dominatorem Deum oculos cogitationeſque noſtras attollamus, qui de actionibus hominum æquiſſimum judicium ferat, eaſque, prout merita cujuſcumque exigunt, remuneretur, aut puniat: idque vel in hac vita, vel in futura. Porro Deum non hujus quidem vitæ ſpatium, ſed futuræ pro retribuendis omnium meritis conſtituiſſe, tot argumenta convincunt, ut qui id inficias eunt, non tam Religionis, quam rationis ipſius hoſtes, quam ſe unice ſequi gloriantur, ſe apertiſſime prodant, ipſumque tandem Deum, quem ſe profitentur agnoſcere, conſequentia plane neceſſaria abnegare cogantur. Hæc autem argumenta ſumuntur ex iis, quæ Deo convenire neceſſe eſt, Dei ſcilicet perfectionibus, aut prærogativis *moralibus*, ſanctitate, Legislatoris dignitate, ſapientia, juſtitia, providentia, ex quibus totidem media peridonea nobis ſuppeditantur, unde neceſſitatem ſtatus futuræ vitæ ſive beatæ ſive miſeræ validiſſime comprobemus: quas tamen nemo non perſpicit, ita invicem eſſe connexas, atque implicitas, ut altera ab altera vel nullo modo, vel difficillime de hac re differentibus ſejungi poſſint.

Primum itaque argumentum ſumitur ex ſanctitate Dei, ſive puritate, ac rectitudine perfecta naturæ ſuæ, qua ſicut ſemper approbat, amatque ſeipſum, ſuaſque perfectiones infinitas; ita pretio dignum, & amore reputat duntaxat in creatis rebus, quod divinis ſuis perfectionibus aſſimilatur, aut aliquam habet cum iiſdem relationem conformitatis, reprobat vero, odioque infinito proſequitur quidquid ab iiſdem diſſentit, aut adverſatur. Hinc autem duo ſtatim conſectaria profluunt, & quidem

evidenter, ac neceſſario: quorum primum hoc eſt. Quo magis homo ſollicitus eſt, ut reparet in ſe ipſo, perficiatque imaginem Dei vitæ ſanctimonià, morum rectitudine, virtutum cultu; eo magis accedit ad Deum, ac exprimit in ſe divinas ipſius perfectiones, atque adeo magis etiam approbatur a Deo, atque diligitur: de quo certe dubitare nemo poteſt. Nam & ipſi Gentiles nativo lumine de hac veritate convicti ſunt, unumque iſtud erat, teſte Laertio (*a*), ac Stobæo, ex præcipuis Stoicorum dogmatis: *virtutem, ejuſque opera Dii amant:* quod & Cicero, aliique dixerunt. Porro quo magis Deus aliquem probat ac diligit, eo majore dignum exiſtimat felicitate, vel præmio. Neque enim Dei approbationem, & amorem erga creaturam rationis compotem, boniſque fruendi capacem, concipere fas eſt, veluti ſteriles quaſdam & inutiles affectiones, ſed tamquam firmam voluntatis ſuæ diſpoſitionem, cui effectus reſpondeant, tum Dei bonitati, tum naturæ hominis conſentanei. At vero nemo eſt ex iis ipſis, qui ſanctitate vitæ, morumque candore, ac pietate præfulgent, qui beatitudinem, aut affluentiam bonorum, quam ſibi promeritus eſt, in hac vita percipiat; quin contra pluribus ſæpe miſeriis, & ærumnis ad mortem uſque premi, atque exagitari videmus. Igitur alium concedere oportet ſtatum vitæ, futurumque judicium, in quo Deus piorum opera remuneratur, eoſque efficiat perpetuæ ſuæ felicitatis conſortes.

Alterum conſectarium eſt: quo magis homo perverſe, & obfirmate peccando a Deo recedit, imaginem Dei in ſemetipſo impreſſam inficit, vitiis turpiſſimis ſe tradit, adeoque divinæ ſanctitati, ac perfectioni directius opponitur, eo magis odio habetur a Deo, reprobaturque, magiſque divina ſanctitas, quam contemnit, exigit ut plectatur pœna, quæ culpæ ſuæ gravitatem exæquet, congruatque dignitati ſuæ, malis ſcilicet omnibus obruatur. Nullus autem impius eſt, etiam inter nequiſſimos, qui hiſce malis, & infortuniis obnoxius ſit in hac vita mortali. Immo permultos eorum nonnumquam cernere eſt, qui vitam agunt omni felicitatum genere cumulatam, cunctiſque ſeculi hujus bonis affluentem. Igitur vita alia ſuccedat, neceſſe eſt, aliudque ſeculum, in quo ſempiterna ſit conſtituta eorumdem miſeria. Nam ſi hæc non ponatur, nullo plane ſigno teſtaretur Deus ſummam ſuam diſplicentiam, & odium peccati, quod tantopere contrarium eſt naturæ ſuæ, ſuæque ſanctitati.

Idem amplius explicare, & confirmare præſtat hoc modo. Dubitare minime licet, quin divina voluntas a nobis efflagitet, maximeque deſideret, ut ipſi, quantum in nobis eſt, aſſimilemur in illis perfectionibus, quæ convenire nobis poſſunt, *moralibus* nempe, ſive ſanctitate, bonitate, & juſtitia. Si enim nullus in creatis Pater eſt, qui non vehementer exoptet, ac velit, liberos imitari præclaras actiones ſuas, ſibique in iis præſertim dotibus ſimiliores effici, in quibus videntur excellere; nonne idem potiore ſane titulo ſentire debemus de omnium conditore, atque Patre Deo, ut nimirum ipſi ſimiles efficiamur in iis divinis dotibus, quæ fundamenta ſunt immutabilis felicitatis ſuæ? Quod ſi id ab hominibus requirat ac velit, profecto nequit non diligere eos, qui voluntati ſuæ fideliter obſequentes impenſe colunt pietatem, ſanctitatem, juſtitiam, beneficentiam, aliaſque virtutes, quibus Deum imitamur, ſummeque averſari omnes, qui eas contemptui habentes ad vitia deflectunt, iiſque ſe totos mancipant, adeoque a Dei ſimilitudine longiſſime diſtant. Quod ſi Deus in illis ſibi admodum complacet, hos autem ſumme averſatur, & odit, quid aliud conſequens eſt, niſi ut erga utroſque amoris, vel odii ſigna declaret, & alios quidem ad ſe per-

(a) lib. 7.

ſe perducat, beatoſque faciat, alios autem abs ſe repellat, & miſerrimos reddat? quæ ſane ad hanc vitam neque pertinent, neque pertinere poſſunt. Atque hoc eſt, quod ajebat Regius Propheta alloquens Deum: *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos; odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.... Judica illos Deus: decidant a cogitationibus ſuis: ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te Domine. Et lætentur omnes, qui ſperant in te*, tibique morum, vitæque ſanctimonia continenter adhærent: *in æternum exultabunt, & habitabis in eis.... Quoniam tu benedices juſto: ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eum.* (a)

Sed hæc divina voluntas amplius nobis manifeſta fit ex regulis honeſtatis, atque virtutis, quas menti noſtræ Deum indidiſſe probavimus: unde alterum argumentum ſumitur pro futura retributione adſtruenda, ex prærogativa nempe ſupremi Legiſlatoris Deo convenienter depromptum. Has namque regulas, nedum ex ſeipſis obligationem inducere in creatura rationali, ſed etiam ex ipſa voluntate divina ita ſapientiſſime diſponente, compertiſſimum eſt, atque hac ratione firmiſſima evincitur. Etenim regulæ nobis inſitæ nihil aliud ſunt, niſi Lex æterna Dei nobis communicata, mediis quibuſdam judiciis abſolutis, & neceſſariis de bono, & malo, iiſque præceptivis. Ita ſiquidem eam univerſim definit S. Thomas: *ratio divinæ ſapientiæ ſecundum quod eſt directiva omnium actionum, & motionum creaturarum in ordine ab bonum commune totius univerſi*. Quapropter, quemadmodum Deus præſcribens agentibus neceſſariis leges naturæ eorum conſentaneas, quas conſtanter ſequerentur relate ad finem ſibi præſtitutum, bonum ſcilicet *naturale* univerſi, vult, ut iiſdem ſubjecta ſint, in iiſque ſervandis quidquid virium habent, ac facultatis inſumant; ita perſpicuum eſt Deum ipſum neceſſario velle, ut Creaturæ omnes, quibus intellectum tribuit, voluntatem, ac liberum arbitrium, nobiliſſimas haſce facultates impendant, ut, quantum in ipſis eſt, *morale* bonum ſartum tectumque conſervetur. Quod etiam communitur hoc explorato laudati S. Thomæ principio: *id totum, quod directe, ac certo tendit in commune bonum, ac felicitatem totius univerſi, conforme maxime eſt divinæ voluntati*. Cum enim Deus ſibi ipſi ſufficiens ſit, nec creaturis egeat ad plenam ſui beatitudinem, non ob aliud homines extraxit ex nihilo, niſi ut participes efficeret felicitatis ſuæ, adeoque nec ab iiſdem exigit, aut exigere debet, niſi ut vim ſuam omnem conferant in eumdem finem. Nullum autem conſequendi hujuſce finis certius medium, ac directius eſt, quam diligens & accurata obſervatio legis divinæ, ſive eorum omnium officiorum, quæ ex lege ab ipſo conſtituta proficiſcuntur: idque ne ipſi quidem Religionis hoſtes, & præ aliis Hobbeſius inficiari omnino auſi ſunt; unde ad leges politicas confugerunt, ut ad finem hunc aſſequendum pervenirent. Liquet ergo apertiſſime legis tranſgreſſionibus, ſive peccatis, homines, hoc eſt creaturas finitas, imbecillas, errori ſubjectas, præferre voluntatem propriam rationi æternæ Dei infiniti, omnipotentis, infallibilis, refragari ejus ſupremæ voluntati, eamque pro nihilo habere, penituſque contemnere, quod ſine magna offenſa, & injuria Dei gravi animadverſione puniendа ne concipi quidem valet.

Quæ ſi vera ſunt, ut nemo dubitaverit, num adeo amentes erimus, ut putemus Deum leges quidem nobis conſtituiſſe, eaſque magnopere velle, ut accurate obſerventur a nobis, quin tamen nullum propoſuerit fidelibus obſervatoribus præmium, nullum violatoribus, atque contemptoribus ſupplicium?

(a) Pſal.n. 5.

cium? Immo vero hæc ſtatuiſſe e veſtigio perſpicimus, dum attente perpendimus retributiones hujuſmodi neceſſarias eſſe ad dignitatem ſummi legiſlatoris declarandam, ad majeſtatem & decorem legum ſuarum conſervandum. Quid enim lex eſſet, aut quonam loco haberetur, ſi ad ejus obſervantiam nec præmium urgeret, nec ſupplicium impelleret? Plane imperfecta dicenda foret, inutilis, ſapiente Legiſlatore prorſus indigna, immo ne lex quidem, ſed ſimulacrum potius, aut ſpectrum legis: quoniam vi careret inducendi ſubditos ad executionem eorum quæ præcipit, aut vetat: cumque nec præclarius, nec religioſius colamus Deum, quam fideli obedientia legibus ſuis præſtita, nec abjectius, aut vilius de Deo ſentiamus, magiſque contemnamus, quam audaci earumdem tranſgreſſione, contemptus namque legis in ipſum reſilit Legiſlatorem; non poteſt Deus ſui honoris zelator *non honorare eos*, ut cum ſacra Scriptura loquar, *qui ſe honorant*, ſuaque gratia, favore, atque munificentia dignos efficere: contra vero in eos, qui ſe contemnunt, iram ſuam, atque indignationem oſtendere, debitiſque punire ſuppliciis: unde & in humano regimine cernimus, quemvis Legiſlatorem, qui jure gaudeat ferendi leges & obſervantiam earumdem exigendi, minime pati, ut eæ impune violentur, & contemnantur, quin potius illatæ ſibi injuriæ ſenſum teſtari vindicta ſumpta de earum tranſgreſſoribus. Quis autem aſſerendum arbitretur, dum ad mores hominum oculos convertit, dum inſpicit fraudes, inſidias, aſſentationes, violationes aliorum thalami, hypocriſes, aſtutias, concuſſiones, monſtroſas libidines, oppreſſiones pauperum ac viduarum, crudeles vindictas, blaſphemias, aliaque innumera ſcelera, quibus divinæ leges deſpectæ jacent, ac ludibrio habentur: Quis, inquam, dum hæc cogitat, ſibi perſuadeat pro tot criminibus, & iniquitatibus, pro tot injuriis, & offenſis in ſe commiſſis dignas a Deo de contumacibus legum ſuarum violatoribus repeti pœnas in hac vita mortali? Quamquam enim Deus etiam in hoc ſeculo ob hominum flagitia publicas quandoque calamitates immittat, ſæpiſſime tamen animadvertimus culpas etiam graviſſimas inultas, impunitaſque: immo Dei rebelles, ac refractarios pervicaciſſimos, innocentum oppreſſores, humanæ ſocietatis, ac totius Religionis hoſtes, & contemptores, florere maxime, omnique bonorum temporalium abundantia, opibus, honoribus, deliciis, voluptatibus circumfluere, nullaque digna tot ſcelerum pœna perſoluta ex hoc mundo demigrare. Contra vero fideles, ſtudioſoſque cultores Dei, ſuarumque legum, eximiæ integritatis, & innocentiæ, juſtitia inſignes, beneficos, miſericordes, manſuetos, patientia, pietate, ceteriſque virtutibus ornatiſſimos, variis hujuſce vitæ calamitatibus continenter affligi, dieſque ſuos in egeſtate, in ægritudine, in ærumnis, in inopia bonorum omnium miſerrime tranſigere, nulla unquam perfectæ obedientiæ mandatorum Dei temporali retributione percepta. Nonne igitur vitam aliam cogitemus omnino neceſſe eſt, in qua Legiſlator ſupremus & horum obedientiam cumulatiſſime compenſet, & illorum contumaciam meritiſſimis ſuppliciis plectat, atque ita divinum honorem ſuum incolumem ſervet, legum ſuarum majeſtatem tueatur, reparetque graviſſimas injurias, & contumelias ſibi ab impiis, & peccatoribus irrogatas?

Novum robur accedit huic argumento relate ad punitionem malorum, dum attentius intuemur humanæ naturæ conditionem. Etenim ſi dubitandum non eſt voluiſſe Deum, ut ſuæ leges ab hominibus obſervarentur, proſpectu, ſive comminatione futurorum ſuppliciorum illos in officio continere præſertim debuit. Nam cum ſenſibus maxime ſubjecti ſint, ab iis, quæ ſenſus magis afficiunt, commoveri validius ſolent, magiſque ad parendum urgentur timore pœnæ, quam amore virtutis. Pulcritudo honeſtatis, quamquam ex ſe maxima, vim habet admodum exiguam ad eos alliciendos, tormenta

vero

vero & cruciatus fortius illorum animos concutiunt, & a ſcelere avocant, quam dulcedo præmiorum, ut ipſa experientia compertum eſt: magiſque videmus deterreri homines a vitiis, atque peccatis, dum contemplantur inferni flammas & acerbitatem pœnarum, quam ad ſtudium pietatis accendi, dum proſpiciunt paradiſi gaudia, ac bonorum, quæ promittuntur, amplitudinem. Unde & Legiſlatores humani ſuarum legum obſervantiam promovere ſolent, nonniſi ſeveriſſimis pœnis adverſum tranſgreſſores denunciatis, veluti mediis ad obtinendum finem aptioribus. Supremus itaque Legiſlator eadem voluntate, qua leges præſcripſit hominibus ad bonum univerſi, velit etiam oportet pœnas, & ſupplicia eorum, qui eas violare audent, tamquam medium ad præſtitutum ſibi finem aſſequendum efficacius: atque adeo colligere debemus, peccatores & impios deſtinatos eſſe ad ſubeunda in alia vita ſupplicia, quibus certe in præſenti addicti non ſunt.

Tertium argumentum, aut argumentorum genus ſuggerit conſideratio divinæ ſapientiæ, quæ de rebus cunctis ordinat, atque diſponit, prout exigunt cujuſcumque relationes, ac merita: *ordinare* quippe, ut ex Ariſtotele obſervat S. Thomas, *ſapientis eſt: ordinatio enim aliquorum fieri non poteſt, niſi per cognitionem habitudinis, & proportionis ad invicem, & ad aliquid altius, quod eſt finis eorum*. Ex quo profundam hanc rationem in rem noſtram eruit idem S. Doctor *lib. 3. c. Gen. c.* 140. „ Sicut res naturales ordini divinæ ſa„ pientiæ ſubduntur, ita & actus hu„ mani: utrobique enim convenit de„ bitum ordinem ſervari, vel etiam „ prætermitti. Hoc tamen intereſt, „ quod obſervatio, vel tranſgreſſio de„ biti ordinis eſt in poteſtate humanæ „ voluntatis conſtituta; non autem in „ poteſtate naturalium rerum eſt, quod „ a debito ordine deficiant, vel ipſum „ ſequantur. Oportet autem effectus „ cauſis per convenientiam reſpondere. „ Sicut igitur res naturales, cum in „ eis debitus ordo naturalium princi„ piorum, & actionum ſervatur, ſe„ quitur ex neceſſitate naturæ conſer„ vatio, & bonum in ipſis: corruptio „ autem, & malum, cum a debito, „ & naturali ordine receditur; ita etiam „ in rebus humanis oportet, quod cum „ homo voluntarie ſervat ordinem le„ gis divinitus impoſitæ, conſequatur „ bonum, non veluti ex neceſſitate, „ ſed ex diſpenſatione gubernantis: „ quod eſt præmiari: & e converſo „ malum, quum ordo legis fuerit præ„ termiſſus: & hoc eſt puniri „. Duplex ſcilicet *ordo* diſtinguitur in rebus creatis, *naturalis* alter, alter vero *moralis*: & quemadmodum ex conſervatione utriuſque *bonum* reſultat, ita ex perverſione *malum*: hoc tamen diſcrimine, quod cum conſervatio *ordinis moralis* pendeat a libera poteſtate hominis ſubditi morum regulis a Deo præſcriptis, non autem *naturalis*, qui pendet ab agentibus neceſſariis, hæc imputetur homini ad laudem, & meritum; perverſio vero ad culpam, & demeritum: atque adeo *bonum*, aut *malum*, quod ex hoc *ordine* vel conſervato, vel perturbato conſequitur, præter actum vel laudabilem, vel culpabilem, inducit etiam jus vel ad præmium, vel ad pœnam ab Authore totius recti *Ordinis* inferendam. Cum autem experientia nimium lugenda manifeſtet perverſiones hujus *ordinis* frequentiſſime fieri ab hominibus, quin *malum pœnæ*, quæ illas conſequi deberet in hoc mundo cernamus, quid aliud ſupereſt, niſi ut proſpiciamus animo vitam aliam, in qua retributio eorum fiat, quam quiſque promeritus eſt?

Duabus aliis rationibus ex ordine a divina ſapientia conſtituto depromptis eamdem veritatem comprobat Angelicus idem Doctor. Priorem habet cap. laudato his verbis: „ Ubicumque „ eſt aliquis ordo ad finem, oportet, „ quod ordo ille ad finem ducat: re„ ceſſus autem ab ordine finem exclu„ dat.... Deus autem impoſuit acti„ bus hominum ordinem aliquem & re„ ſpectum ad finem boni. Oportet igi„ tur,

„ tur, quod ſi ordo ille recte poſitus „ eſt, quod incedentes per illum ordi- „ nem, finem boni (ideſt bonorum o- „ mnium fontem) conſequantur: quod „ eſt præmiari: recedentes autem ab „ illo ordine per peccatum, a fine boni „ excludi: quod eſt puniri „: quam quidem excluſionem, cui certe locus non eſt in hac vita, pœnam eſſe omnium terribillimam, ex iis, quæ dicemus in ſequenti libro apertum erit. Alteram profert 1. 2. *qu.* 87. *art.* 1. inquiens: „ Manifeſtum eſt, quod quæcunque continentur ſub aliquo ordi- „ ne, fiunt quodammodo unum in ordi- „ ne ad principium ordinis. Unde „ quidquid contra ordinem aliquem in- „ ſurgit, conſequens eſt, ut ab eo or- „ dine, & a Principe ordinis deprima- „ tur. Cum autem peccatum ſit actus „ inordinatus, manifeſtum eſt, quod „ quicumque peccat, contra aliquem „ ordinem agit, & ideo ab ipſo ordine „ conſequens eſt, quod deprimatur: „ quæ quidem depreſſio pœna eſt, &c. „ Subditur autem homo univerſali or- „ dini divini regiminis: ordo autem „ per peccatum pervertitur, dum ille, „ qui peccat, agit contra legem divi- „ nam &c. unde pœnam incurrit a Deo „ irrogandam: & quidem in futura vita, ſi in hac non expietur: nam ut præclare oſtendit *art.* 3. ejuſdem quæſtionis: *ut ordo ſervetur*, quo *voluntas hominis ſubditur Deo*, neceſſe eſt, ut tandiu peccator deprimatur a Deo per pœnam, quandiu adverſus ordinem ab ipſo conſtitutum peccator inſurgit per culpam. Nam ſi manente ordinis perverſione inducta per culpam pœnæ reatus finiretur, jam aliquid in rebus inordinatum ſubſiſteret, ipſe nimirum ordo perturbatus abſque ulla reparatione nec per pœnitentiam facta, neque per pœnam, minuſque pulcritudinis, atque decoris reſtitueret ſapientia Dei, quam hominis culpa deſtrueret: neque enim, pœnitentia ſublata, hujuſmodi reſtitutio haud aliter fieri poteſt, quam per pœnam inflictam, qua peccator deprimitur, ac veluti ad ſtatum ſibi debitum revocatur.

Alio ſub aſpectu hoc argumentum ex divina ſapientia ductum fortaſſe ſenſibilius, niſi fallor, effici poteſt hoc pacto. Nemo profecto mortalium eſt, aut unquam fuit, qui Deum agnoſcens aliam ſibi de illo informarit animo ideam, quam entis *ſapientiſſimi*, qui & nobiliſſimos ſibi fines ſemper præſtituat, & aptiora media adhibeat ad eos obtinendos. Porro quis unquam hanc ideam ſerio & attente contemplatus eſt, aut contemplari poteſt, quin ſtatim colligat vitam futuram? Ens infinite *Sapiens* perverſionem quidem, & inordinationem ferre poteſt in opere ſuo, ſed ad tempus aliquod determinatum, ac neceſſe eſt, ut ſerius, aut citius ordinem tandem reſtituat, ac vigere faciat. Hoc plane vel primo intuitu facile concipimus omnes, deducimuſque ex idea *ſapientiæ infinitæ*, quæ una pollet infinita omnipotentia. Nullus autem eſt, qui oculos in hoc mundo circumferat, eaque ſedula mente perpendat, quæ ſe nobis inceſſanter objiciunt, ſimulque non amare defleat ex una parte horribilem morum corruptelam, quæ in hominibus eſt, in hominibus, inquam, Creaturis videlicet, quæ quibuſcumque aliis operibus Dei nobilitate naturæ longe præſtant: ex alia vero animo perquam moleſto non videat ſummam, quæ ubique obtinet confuſionem bonorum, atque malorum. Nam & virtus frequentius in nullo pretio eſt, contempta, ludibrio, & ignominiæ habita, atque infortuniis continuis nonnumquam exagitata: vitium vero ſæpiſſime floret, in dignitate eſt atque honore, neque ſolum citra punitionem liberrime vagatur, laudes etiam ſibi ſæpenumero conciliat, & plauſus. Quis hæc tantummodo volvens animo non alte admiratur, & obſtupeſcit? Cui noſtrum ſi alius vitæ ſtatus non ſuccederet, fas non eſſet de Deo conqueri, quod cum *ordinem naturalem tanta ſapientia* regat, atque diſponat, ut cuilibet manifeſtum eſt, *ordinem moralem*, qui tanto pretioſior eſt, atque excellentior, omnino prætereat ac deſpiciat? Quandoquidem virtutibus deberi præmium, ac felicitatem;

tem; vitiis vero ſupplicium, & miſeriam, indito ab ipſomet Deo nativo lumine cognoſcimus; quæ tamen utriſque non rependi in hac vita non minore perſpicuitate videmus. Verum plane omnis admiratio evaneſcit, dum cogitamus vitam hanc *non eſſe retributionis tempus*, *ſed probationis*, illamque ad futuram reſervari, in qua hæc confuſio, & inordinatio de medio tollenda ſit. Tunc enim extemplo lux quædam clariſſima emicat, quæ nobis oſtendit, virtuti hic expectandum non eſſe præmium ſuæ dignitati, ac merito conveniens, quod hujus vitæ tempus homini conceſſum fuerit, ut eam exerceat, & exercendo animum ſuum perficiat, piiſque operibus theſaurum ſibi meritorum acquirat. Statim etiam perſpicuum fit ex oppoſito neque impio, & facinoroſo homini par delictis ſuis infligendum eſſe, ſed neque infligi poſſe, tormentum, atque ſupplicium: quoniam iſtud eſt quodammodo libertatis ſuæ tempus, quo præclaro munere dum abutitur, ſibi debitam efficit pœnam, quam demum ſubiturus ſit, in altera ſcilicet vita.

Eamdem rationem juvat amplius proponere ex recenti Scriptore, & illo quidem in primis illuſtri (*a*): „ Idea, inquit gallico idiomate, quod in latinum verto, entis infiniti ſejungi „ minime poteſt ab idea vitæ futuræ „ beatæ, vel miſeræ. En principia tria, „ quæ hoc ſolidiſſime evincunt, extra „ omnem dubitationis aleam poſita. „ Nos procul dubio *relationes* aliquas „ habemus *cum Deo*, & cum *aliis creaturis* ab ipſomet Deo *ſapientiſſime conſtitutas* in hoc univerſo, quas a nobis „ *ſervandas omnino eſſe decernit*, *ac præcipit*. Quis aliquod horum trium negaverit, aut in diſputationem adduxerit? Negabimus ne relationem, aut „ reſpectum nos habere *cum Deo*, & „ *cum aliis creaturis*? Sed hoc perinde eſſet, ac negare, quod ſimus, „ ſive exiſtamus. Negabimuſne reſpectus hoſce fuiſſe *a Deo* in univerſo „ *conſtitutos*? At hoc idem eſſet, ac „ negare ipſum Deum. An ſaltem negabimus *decreviſſe* Deum, ac præcepiſſe, ut exacte ſervarentur a nobis? „ At quis hoc neget, quin negare cogatur velle Deum, quod jam ab ipſo factum eſſe evidenter conſtat? „ Porro ſemel ac vitam alteram ponimus, in qua qui fideliter in hac „ Deo obtemperarit, remunerationem „ accipiat; qui autem Dei legibus obedire noluerit, pœna mulctetur, ſatis admirari non poſſumus conſilium, „ & diſpoſitionem ſapientiſſimam Dei „ erga creaturam ſuam: quam cum libero arbitrio donaverit, æquum erat „ ut ſpatio temporis illi conceſſo, quo „ beneficiis ſuis recte utens, majora „ promereri, & adipiſci valeret, leges „ ſuas, atque præcepta eidem duntaxat imponeret, miniſque ac promiſſis excitaret, ſuo illam arbitrio relinquens abſque ulla vi, & coactione, ſive neceſſitate. Quod ſi ponamus nullam, poſt hanc, vitam eſſe „ futuram, jam nullum amplius videre licet in Dei circa nos diſpoſitione divinæ ſapientiæ ordinem, ac rationem. Quid enim emolumenti percipimus ex cognitione *relationum* omnium, quas Deus in univerſo conſtituit? Quem fructum ex minis, „ ac promiſſis haurimus? An forte dixeris, ut urgeant nos, atque impellant ad parendum Deo? Verum quid „ minæ proſunt, & promiſſiones, quæ „ nullum unquam effectum ſunt habituræ? Nam ſi vitam hanc tantummodo ſpectant, evidens nimirum eſt „ perſæpe vitium non punitionem conſequi, ſed felicitatem potius illam, „ quæ deberetur virtuti. Quod ſi aliquando vitium punitur, pœna haud „ plane æquat gravitatem criminum, „ ac tandem finem habet cum morte, „ bonis æque maliſque communi „. Atque hinc nemo non colligat, neceſſe eſſe, ut quicunque contendit, vitam hanc

(*a*) M. Francois T. 2. Defen. de la Rel. natur. p. 2. c. 3.

hanc ultimum eſſe totius hominis terminum, adeo ut nec probi, nec improbi aliud poſt ſe relinquant niſi vanam, & inutilem recordationem recte vel male factorum, cogatur omnino repudiare, & negare ſapientiam infinitam Dei cum ſumma omnipotentia conjunctam: hæc enim cum ea perverſione quam cernimus ordinis moralis conſiſtere nequaquam poteſt.

Sed neque poteſt conſiſtere cum idea *juſtitiæ divinæ*, unde aliud in rem noſtram ſumimus argumentum. Idea juſtitiæ, prout peculiaris quædam virtus eſt, hoc neceſſario exprimit, atque expoſcit, *ut unicuique reddatur, prout ſibi debitum eſt*. Equidem Deus nihil debet creaturis ſuis: ſed tamen hoc debet ſibi ipſi, quod de creaturis diſponat, prout unaquæque exigit, eoque modo, qui Deum maxime deceat. Porro exigentia creaturarum rationalium hæc eſt, ut unaquæque meritis ſuis digna recipiat, præmium nempe, quæ bene ſe geſſit virtutemque coluit, & exercuit; ſupplicium autem, quæ inique egit, vitiumque ſecuta eſt. Nam ut ſcite animadvertit. Vir Clar. Grotius, *etiamſi lex nullam pœnam expreſſiſſet, naturaliter tamen ipſe actus humanus, ſive intrinſecam habens pravitatem ex rei natura immutabili, ſive extrinſecam ob contrarium Dei præceptum, eo ipſo pœnam aliquam, & quidem gravem meretur, nimirum par eſt hominem peccatorem puniri* (a). Deus igitur æquiſſimus diſtributor omnium, quemadmodum nec virtutem ſine præmio, ita multo magis nec vitium ſine punitione relinquere debet: quam certe in hac vita pro tot, tantiſque ſceleribus rependi nemo ne ſuſpicabitur quidem, dum ea, quæ hic contingunt, attenta mente revolvat. Quod ut manifeſtius intelligas, pone tibi, quæſo, ante oculos duo hominum genera, quæ terræ hujus faciem inhabitant. Hinc conſidera hominem juſtum ex iis plurimis, quos Religio Chriſtiana ſinu ſuo fovet, juſtum hominem dico, qui Deo in omnibus placere ſtudet, ejus leges exactiſſime obſervat, ab eiſque vel tantillum deſciſcere reformidat, imaginem Dei in proximo ſuo effulgentem honore debito proſequitur, neminem lædit, benefacit omnibus, juſtitiam, manſuetudinem, temperantiam, cæteraſque virtutes, & corde impenſe diligit, & operibus continenter manifeſtat: a ſancto propoſito, quod ſemel concepit, nunquam revocatur, non blanditiis flectitur, non minarum aſperitate terretur, non ſuppliciorum quorumlibet crudelitate dimovetur, adeo ut poſt vitam in miſeriis ductam, in anguſtiis, in perpetua adverſum ſeipſum, pravaſque appetitiones pugna, poſtremo pro juſtitia, pro pietate, pro religione inter diriſſimos cruciatus vitam ipſam cum ſanguine profundit. Atque hinc conſidera hominem nequiſſimum, qui nullam prorſus Dei, ac religionis curam gerit, divinas leges liberrime, ac impudenter contemnit, ſuperbum, avarum, crudelem, furore tumentem, impotentis libidinis, vitiis omnibus deditum, qui nihil non refert in ſuam utilitatem, & commodum, qui omnia jura ſubvertit, ut cupiditatibus ſuis licentius indulgeat, uno verbo qui flagitia flagitiis accumulat, delicta delictis, in iiſque totum vitæ ſuæ ſpatium inſumit, quorum plurimos in hiſtoriis legimus, non pauci etiam in oculos noſtros quotidie incurrunt: quin tamen de ſceleribus ſuis pœnas luant in hoc mundo, immo potius proſpere agunt in omnibus, boniſque, quæ appetunt, affatim perfruuntur ad extremum uſque diem vitæ ſuæ. Dum hæc ſerio contemplaris, nec ad futuram vitam meditationem convertis, in qua utrique homini tam diverſam vitæ rationem tranſigenti, pro meritis præmium tribuatur, aut pœna, nonne plane neceſſe eſt injuſtum tibi videri Deum, qui hæc in univerſo permittat, nec majorem curam habeat de tam probatiſſimo viro, quam de tam inſigniter

(a) De ſatisf. Chriſti C. 2. T. 4. Op.

gniter impios? Si quivis terrenus Princeps & Rector nullas pœnas de delictis ſubditorum exigeret, eaque impunita dimitteret, quin potius ſceleſtos muneribus cumularet, probis civibus abſque ulla remuneratione neglectis, quis illum apertæ injuſtitiæ reum non traduceret, non vituperaret? Num igitur hoc de ſummo Deo cogitabimus, qui natura ſua juſtus eſt, immo juſtitia ipſa perfectiſſima?

Robur huic argumento majus accedit ratione S. Thomæ, quam ex conditione *meriti*, ac *demeriti* ſive reatus, quem peccatum inducit arceſſit, (*a*) atque ita proponi poteſt: Equidem actibus hominum, ſive boni ſint, ſive mali, nihil additur Deo, nihil ab eo tollitur: ſed tamen homo, quantum eſt de ſe, aliquid vel Deo ſubtrahit, vel exhibet, cum ſervat, vel pervertit ordinem ab ipſo ſtatutum in rebus. Hinc autem oritur actum omnem deliberatum hominis bonum, & malum habere rationem *meriti vel demeriti* apud Deum, *quantum eſt ex ipſa ratione actus*, inquit S. Doctor: *quia totum, quod homo eſt, & poteſt & habet, ordinandum eſt ad Deum, tum ratione ſui, in quantum eſt ultimus hominis finis*, tum ratione totius communitatis univerſi, cujus ipſe eſt Rector, & Princeps. Quapropter, *cum meritum, & demeritum dicantur in ordine ad retributionem, quæ fit ſecundum juſtitiam*, ex utroque capite *ad Deum pertinet retribuere pro his, quæ bene vel male fiunt in communitate*: quod confirmat, & magis explicat *q.* 87. *art.* 6. his verbis: *actus peccati facit hominem reum pœnæ, in quantum tranſgreditur ordinem divinæ juſtitiæ, ad quem non redit, niſi per quamdam recompenſationem pœnæ, quæ ad æqualitatem juſtitiæ reducit, ut ſcilicet, qui plus voluntati ſuæ indulſit, quam debuit, contra mandatum Dei agens ſecundum ordinem divinæ juſtitiæ aliquid contra illud, quod vellet, ſpontaneus, vel invitus patiatur. Quod etiam in injuriis hominibus factis obſervatur, ut per compenſationem pœnæ redintegretur æqualitas juſtitiæ*. Ita igitur poſtulat ordo & ratio juſtitiæ, ut peccator per pœnam reducatur ad illam æqualitatem, a qua deflexit per culpam, ſive puniatur juxta meritum ſuum, &, dum voluntati ſuæ liberius indulgens, quam debuit, egit contra mandatum Dei, contra ſuam voluntatem patiatur pœnam, quam per pœnitentiam non ſubivit. Nullus ergo non videt, injuſtum (quod abſit omnino ſuſpicari) futurum Deum, ſi tot præſertim ſceleſtiſſimos homines, qui ex hac vita decedunt abſque pœnitentia, & culparum ſuarum expiatione, pœna pro meritis minime plecteret in vita futura. Hac unica ratione ſartam tectam conſiſtere juſtitiam ſummi Dei perſpexit Propheta Jeremias, dum ea, quæ contingunt in præſenti vita, contemplaretur. Cum enim prius dixiſſet alloquens Deum: (*b*) *juſtus quidem es tu Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen juſta loquar de te: quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt?* Ab iis præſentibus mentem abſtrahens, & quę tandem eventura erant, animo proſpiciens, *congrega eos*, ſubjecit, *quaſi gregem ad victimas, & ſanctifica eos in die occiſionis*, ſive ut ex hebræo, *divelle eos tamquam gregem deſtinatum lanio*, ſepone ad diem occiſionis, quaſi ad diem ſacrificii juſtitiæ Dei, quæ brevem eorum proſperitatem in perpetuam miſeriam convertet, atque ita locus erit omni creaturæ laudandi Deum in omnibus viis ſuis, ac perpetim dicendi; *juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*.

Atque hæ quidem perfectiones bonitatis, ſapientiæ atque juſtitiæ confluunt omnes ad firmandum quaquaverſum ſupremum, illudque in rem noſtram robuſtiſſimum, ac ſplendidiſſimum argumentum, quod ex ſumma ducitur rerum omnium, maximeque

E hu-

(*a*) p. 2. quæſt. 21. artic. 4. (*b*) C. 12.

humanarum Dei Providentia: quam præcellentem prærogativam nemo in Deo non agnoſcere poteſt, quin ipſum neget exiſtere: *aut enim*, ut perpulcre Tullius jam ſupra laudatus, *negandum eſt Deos eſſe.... aut qui Deos eſſe concedunt, iis fatendum eſt eos aliquid agere, idque præclarum. Nibil autem præclarius mundi adminiſtratione: Deorum igitur providentia adminiſtratur mundus. Quod ſi aliter eſt, aliquid profecto ſit, neceſſe eſt melius, & majore vi præditum, quam Deus: nibil autem eſt præſtantius Deo: ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi.*

Providentia, prout eam egregie definit Boetius, *eſt illa ipſa divina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit, & apte gubernat.* Hanc jam ſuperius probavimus limitari non poſſe ad res naturales hujus univerſi, ſed ad creaturas rationales, aćtuſque humanos extendi debere, quin immo ſpecialem de his curam habere Deum ob rationem a S. Thoma productam, quæ hic recolenda eſt, & ob oculos ſemper tenenda: nimirum quia *Creaturæ rationales præcellunt alias creaturas, & in perfectione naturæ, & in dignitate finis. In perfectione quidem naturæ, quia ſola creatura rationalis habet dominium ſui actus, libere ſe agens ad operandum..... In dignitate autem finis: quia ſola creatura intellectualis ad ipſum ultimum finem univerſi ſua operatione pertingit, ſcilicet cognoſcendo, & amando Deum.... Omnis autem ratio operis variatur ſecundum diverſitatem finis, & eorum, quæ operationi ſubjiciuntur.* Quod illuſtrat exemplo *medici* diverſimode ſe gerentis in morbis pellendis, in ſanitate conſervanda, & corporum diverſa complexione: & ſimiliter *Rectoris* alicujus civitatis vel regni, *diverſam rationem ordinis obſervantis* in militibus, in artificibus, aliiſque civibus, prout eorum exigit diverſa conditio. *Sic igitur*, concludit ille, *& alia eſt ordinis ratio, ſecundum quam creaturæ rationales Providentiæ divinæ ſubduntur, & alia ſecundum quam ordinantur ceteræ creaturæ:* ſpecialior illa ſcilicet, nobilior, atque excellentior.

Hoc poſito affero in primis tria argumenta ab eodem S. Doctore ex Providentia divina deducta *lib. 3. cont. Gen. c. 140.*, ut generatim probet oportere, *quod actus hominis puniantur, & præmientur a Deo*. Primum eſt: „ad perfectam Dei bonitatem pertinet, quod „ nihil inordinatum in rebus relinquat: „ unde in rebus naturalibus videmus „ contingere, quod omne malum ſub „ ordine alicujus boni concluditur..... „ Cum igitur actus humani divinæ „ Providentiæ ſubdantur, ſicut & res „ naturales; oportet malum, quod accidit in humanis actibus, ſub ordine „ alicujus boni concludi. Hoc autem „ convenientiſſime fit per hoc, quod „ peccata puniuntur: ſic enim ſub ordine juſtitiæ, quæ ad æqualitatem „ reducit, comprehenduntur ea, quæ „ debitam quantitatem excedunt. Excedit autem homo debitum ſuæ quantitatis gradum, dum voluntatem ſuam „ divinæ voluntati præfert, ſatisfaciendo ei contra ordinem Dei: quæ quidem inæqualitas tollitur, dum contra voluntatem ſuam homo aliquid „ pati cogitur ſecundum ordinationem „ (divinæ providentiæ). Oportet igitur, quod peccata humana puniantur „ divinitus: & eadem ratione bona facta remunerationem accipiant. „

Alterum: „ divina providentia non „ ſolum diſponit rerum ordinem, ſed „ etiam movet omnia ad ordinis ab „ eo diſpoſiti executionem. Voluntas „ autem a ſuo objecto movetur, quod „ eſt bonum vel malum. Ad divinam „ igitur providentiam pertinet, quod „ hominibus bona proponantur in præmium, ut voluntas ad recte volendum moveatur: & mala proponat „ in pœnam, ad hoc, quod inordinationem vitet.„ Poſcebat nempe ſuavis Dei providentia, ut cum homo ſenſilibus objectis præcipue inducatur ad amorem virtutis, & fugam vitii, præter pulcritudinem ipſius virtutis, & vitii deformitatem, ſicut & rationes

nes alias ſublimiores, bona promitteret in præmium bonorum operum, & mala comminaretur in pœnam malorum, ut ita ad illa avidius amplectenda allicere-tur, & ad hæc fugienda fortius moveretur.

Tertium: „ Divina providentia hoc „ modo res ordinavit quod una alteri „ proſit. Convenientiſſime autem homo „ proficit ad finem boni tam ex bono „ alterius hominis, quam ex malo, „ dum excitatur ad bene agendum per „ hoc, quod videt bene operantes præ-„ miari: & dum revocatur a male a-„ gendo per hoc, quod videt male a-„ gentes puniri: ad divinam igitur Pro-„ videntiam pertinet, quod mali pu-„ niantur, & boni præmientur. „ Hoc autem confirmat tum illo Pſal. 61: *reddes unicuique juxta opera ſua:* tum alio Rom. 2. *reddet unicuique* (Deus) *ſecundum opera ſua: his quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem; his autem, qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio:* hoc ſiquidem pacto ſuam Deus Providentiam oſtendit erga bonos, & malos.

Hæc argumenta ſancti Doctoris, ad ſtatum futuræ vitæ adſtruendum trahi facillime poſſunt. Verum ut ex hoc capite validius, & evidentius convincantur impii, qui illum pertinaciter abnuunt, ita ratiocinari conſultius duco: aut negandum eſt Deum eſſe, ut ex Tullio præmiſimus, aut fatendum ipſum eſſe proviſorem, ac gubernatorem optimum rerum omnium, maximeque creaturarum rationalium: neque enim aliter Deum concipere licet. Porro in idea optimi proviſoris, & gubernatoris tria hæc maxime reſplendent, ſumma nempe ſapientia, ſumma potentia, ſummaque juſtitia: *Sapientia* quidem, ut nihil eorum lateat, quæ geruntur in univerſo: *potentia*, ut de omnibus diſponere valeat, prout ſibi libuerit: *Juſtitia* demum, ut recte de omnibus reipſa diſponat, ac unicuique tribuat, prout ejus natura, aut conditio exigit, ſive juxta omnium dignitatem & merita. Atque adeo, dum peculiariter de creaturarum rationalium providentia, & gubernatione ſermo eſt, oportet, ut quemadmodum Deus actiones hominum tum bonas tum malas perſpectas habet, deque ipſis arbitrio ſuo diſponere poteſt; ita ſecundum æquitatis leges reapſe diſponat, boniſque præmium, malis autem ſupplicium rependat. Hoc enim pacto optima, & perfecta adminiſtratio, & Providentia conſiſtit, ut exemplo humani cujuſque regiminis perſpicuum eſt. Nam nulla omnino Reſpublica, niſi duabus hiſce rebus, præmio & pœna, contineri poſſe, experientia docet, & ſapientes omnes tradidere. Hinc Solon ſapientiſſimus Græcorum percontactus, *quid magis Reipublicæ ſaluti prodeſſet;* reſpondit: *ſi boni præmiis invitantur: mali autem pœnis coercentur*. Cicero ad Brutum *Epiſt.* 157., & Stobæus *Serm.* 41. referunt, *Lycurgum dicere ſolitum duabus potiſſimum rebus contineri Rempublicam, præmio ſcilicet, & pœna*. Tullius idem ad eumdem: *Socrates civitates optime gubernari dicebat, cum injuſti dant pœnas*. Plutarchus lib. 2. de legib. *Pythagoras civitatem optimam eſſe* dixit, *quæ poſtquam malos pœnis coercet, viros tantum bonos admitteret*. Stobæus loco cit. *Anacharſis dicere ſolebat, eam optimam eſſe Rempublicam, in qua virtutis potior, vitii deterior ſit conditio*. Atque eodem modo cæteri locuti ſunt, ipſa rei veritate aperte nimium alteque conclamante. Talem ſane mihi Rempublicam finge, ubi civibus optimis nullum ſit propoſitum præmium, nullum honoris inſigne, nullum monumentum laudis: improbi vero nulla vindicatione, nullo timore pœnæ coerceantur, eam tu profecto dices peſſime conſtitutam, ipſumque adeo, qui eam poſuit, improvidum, ſtultiſſimumque judicabis. Qui ergo talem Deo rerum humanarum procurationem, adminiſtrationemque tribuas, quam nemo vir prudens ſibi tribui pateretur?

Quæ ſi vera ſunt, ut eſſe veriſſima nullus dubitaverit, jam quilibet convincatur oportet de alio futuræ vitæ ſtatu,

quem divina Providentia complectitur, ut juxta rectæ adminiſtrationis, & procurationis leges virtutum, vitiorumque præmium, vel pœnam conſtituerit, quemadmodum revera conſtituiſſe ex intimo quodam naturæ ſenſu ſemper omnes homines crediderunt. Quandoquidem, dum mores hominum perluſtramus, eaque colligimus animo, quæ contingunt in hoc univerſo, e veſtigio intelligimus ſuum Providentiæ divinæ quoad curam bonorum atque malorum, locum, & exercitium in hac vita non eſſe, quod ideæ ſapientis, juſtique Gubernatoris rerum omnium, maximeque humanarum, exacte, immo ne ullo quidem pacto conſentiat. Nam dignum virtutibus præmium hic haud conferri conſpicimus, & publicis calamitatibus ob ſcelera mortalium quandoque immiſſis, æque affici tum juſtos, tum impios, immo illos ſæpe gravius, atque frequentius: hos vero aut minus affligi, aut nihil omnino: quin & inter eoſdem plurimos nequiores, projectæ conſcientiæ, vitiorum labe inquinatos, humani generis peſtes deterrimas, uno verbo (piget enim eadem toties reſumere) ſcelerum omnium reos: conſpicimus, inquam, omni temporalium bonorum copia abundare, mulaque delictorum ſuorum perſoluta pœna ex hac vita decedere.

Hæc adeo comperta ſunt omnibus, ut Gentilium nonnulli, qui ab his præſentibus ad futura animum non avocabant, ex impiorum felicitate, bonorumque miſeria turbarentur magnopere, atque etiam ad negandam, aut in dubium revocandam Providentiam Dei, Deumque ipſum nonnunquam adducerentur. Democritus Abderites, Laberio teſte, *clypeo contra exortum hyperionis conſtituto, ſe oculorum luce privavit, malis bene eſſe ne videret civibus*. Euripides in Bellerof. ajebat (*a*): *emoriar: indignum eſt enim aſpicere lucem, videndo malos immerito, & injuſte honoratos*. Eademque dicebant apud eumdem, Menander, Teognides, & Sophocles. Atque hinc poeta Sulmonenſis cecinit, aut potius inſanivit: (*b*)

Cum rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.

Quibus paria effutiit alius ſpectata infelici Catonis, magnique Pompeii morte, ac funere. Quin & ipſe Vir Sanctiſſimus Job plurimum ſe commotum fuiſſe ſignificat, dum Impios felices videns, boniſque omnibus affluentes ait: *quare impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum? Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, & non eſt virga ſuper illos*. Quod & David, aliique dicebant ſtupentes ob proſperam improborum ſortem. Cum itaque certiſſimum ſit, ſupremum omnium, juſtiſſimumque Proviſorem Deum in hac vita nec juſtis præmia, nec impiis ſupplicia, pro ratione meritorum ſuorum tribuere, ne hæc *ataxia*, ſive improvida perturbatio ordinis, & dignitatis utriuſque generis hominum in æternum maneat, ut ſcelera nimirum inulta, impunitaque ſint, virtuſque irremunerata: neceſſe eſt vitam aliam fateri, in qua perficiatur retributio hujuſmodi, ac utrique vel ad præmium bonorum operum, vel ad malorum pœnam percipiendam adjudicentur.

Illuſtriſſimus vir, idemque ætatis noſtræ eloquentiſſimus D. Maſſilonus ita pondus, & vim hujus argumenti ſub oculos ponit in *ſelectis ſuis cogitationibus*, cujus gallica verba ita latine reddo: „ Futuræ vitæ dogma nititur idea „ Providentiæ Dei, quam ab infinita „ ejus ſapientia, ſimulque juſtitia divi„dere nec poſſumus, nec debemus. „ Ecquis unquam aciem mentis ſuæ „ defigere potuit in Providentiam di„vinam *infinite ſapientem*, unaque ſua„dere ſibi, hominem, creaturam illam „ ſcilicet præ cæteris, quæ ſe nobis in „ hoc mundo conſpicuas præbent, no„biliſſimam, quæ in ſemetipſa ſubli„mes

(a) Apud Stobæum Serm. 104. (b) lib. 3. Amor. El. 8.

„ mes adeo cogitationes invenit, adeo
„ ampla deſideria, ſenſus adeo præcel-
„ lentes, capacem amoris, veritatis,
„ juſtitiæ, cæterarumque inſigniorum
„ virtutum, ac dotum: hominem, di-
„ co, qui ſolus inter omnes adſpecta-
„ biles creaturas, cognoſcere Deum va-
„ let, colere, atque diligere, & ad i-
„ pſum ſe ſe referre, tamquam ad ſuum
„ principium, finemque ultimum; ſua-
„ dere, inquam, ſibi potuit talem ho-
„ minem conditum a Deo non fuiſſe,
„ niſi ut inſtar ceterarum belluarum
„ brevi temporis intervallo in hac mi-
„ ſera tellure vitam ageret, levibus hiſce
„ frivoliſque negotiis intentus, aut vi-
„ liſſimis ſenſuum captandis oblectatio-
„ bus occupatus? Ecquis animum ſerio
„ intendit in ideam Providentiæ divi-
„ næ *infinite juſtam*, ſimulque induci
„ potuit, ut crederet, fas eſſe homini
„ in ſcelera omnia proruere ſine ulla cul-
„ pa culpæque reatu, aut virtutes omnes
„ amore impenſo complecti ſine ullo
„ merito, & meriti fructu? At vero
„ nonne hæc perſuadere ſibi quiſque de-
„ beret, ſi nec alia bona præter hujus
„ vitæ, ſperanda ſuppeterent, nec alia
„ mala metuenda ſupereſſent? dum in-
„ tuetur adulteria, ſacrilegia, & crimi-
„ na horribilia tutela, ac potrocinio
„ perfrui, innocentem turpiter de thro-
„ no dejectum ab iniquo tyranno, pa-
„ rentem crudelis filii victimam effe-
„ ctum illacrymabilem, ſponſum ſub in-
„ fidelis atque immitis uxoris vulneri-
„ bus efflantem animam, & id genus
„ permulta. „

Quam abhorreant hæc a provida rectaque gubernatione divinæ Providentiæ, quæ hic in mundo morali contingunt, niſi cogitationes convertamus ad ſtatum vitæ futuræ, clarius effulget inita comparatione cum mundo materiali, qui aſpectui noſtro ſubjectus eſt. Hunc etenim mirifice a Deo regi, ſummaque ſapientia gubernari, vel ipſi quos refellimus, diffiteri non audent, experientia rerum nimium manifeſta convicti. Profecto quiſnam ſanæ mentis de tam perſpicua veritate addubitaverit, dum conſiderat *æquabilitatem motus*, ut verbis Ciceronis utar, (*a*) *converſionem cæli, ſolis, lunæ, ſiderumque omnium diſtinctionem, varietatem, pulcritudinem, ordinem: quarum rerum aſpectus ipſe ſatis indicat non eſſe fortuita? Ut ſiquis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poſſit ea ſine cauſa fieri judicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui præſit, & cui pareatur; multo magis in tantis motibus, tantiſque viciſſitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immenſa, & infinita vetuſtas mentita ſit, ſtatuat, neceſſe eſt ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari..... Hæc ita fieri omnibus inter ſe concinentibus mundi partibus, profecto non poſſent, niſi ea uno divino, & continuato ſpiritu*, ſive divina mente, *continerentur*, & regerentur. Si igitur Providentiam Dei ſapientiſſime regentem & gubernantem materialem hunc, & aſpectabilem mundum concedere omnino neceſſe eſt; quis niſi penitus delirus, & amens dixerit, rejectum a ſummo Deo fuiſſe ſine cura, & adminiſtratione nobiliorem mundum, *moralem* ſcilicet, & *rationalem*, qui, ut nuper adnotatum eſt, & ratio ipſa evidenter oſtendit, longe *materialem* præcellit, ob intimiorem, quam habet cum Deo, conjunctionem, atque reſpectum? Quod ſi hoc aſſerere ſtultiſſimum eſſet, & alias in hac vita hujuſce divinæ procurationis ſigna, aut teſtimonia non eniteſcunt, vitam aliam expectemus, oportet, in qua locum ſibi magis congruentem habitura eſt. Cum enim *moralis* mundus neceſſarium nexum habeat cum toto, atque integro *ſyſtemate* Providentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatiſque Dei; tunc illud veluti evolvetur, & explicabitur ante oculos noſtros, cernemuſque apertiſſime admira-

ra-

(a) lib. i. de Nat. Deor.

rabilem Dei diſpoſitionem erga pios, & impios, curamque, quam gerit, de humanis actionibus.

Ex abſurdis quoque, quæ ſponte, & neceſſario conſequuntur ex adverſariorum hypotheſi, idem argumentum efficaciſſime comprobatur. Nam ſi nulla poſt mortem ſit humanorum actuum retributio, ſi cuncta prorſus intereunt, atque finiuntur; non ſolum erunt homine beatiora pleraque animalia, quæ ſine dolore, ac moleſtia fere ulla vitam agunt; ſed etiam inter homines beatior erit, qui cupiditatibus ſuis explendis diutius indulget, carniſque voluptatibus captandis totum ſe tradit, quam qui nunquam intermiſſa virtutum exercitatione, corporis maceratione, ſuique ipſius abnegatione, ut Deo impenſius inſerviat, ac placeat, ærumnoſam vitam in terris traducit. Quare, quo ſanctior quis fuerit, eo erit infelicior, quo nequior, eo beatior. Hoc autem citra quemdam horrorem animi audiri, nec ſine injuria Dei, ſuæque providentiæ pronunciari valet. Atque huc recidit illud, quod ajebat Apoſtolus Paulus *1. Corinth. c.15.* *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus*, hoc eſt: ſi nulla merces alia ſupereſt expectanda nobis Deo fideliter obſequentibus, ultra mortalem hanc vitam; *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Cum enim nunc temporis nonniſi inter anguſtias, miſerias, perſecutioneſque vivamus improborum hominum, quo toto mentis ſtudio, atque diligentia ſerviamus Deo; nullum tamen pietatis, ac laborum fructum percipimus. E contra vero, ſi nulla impiis pœna reliqua eſt, præter hoc ſeculum, beatiores ipſi ſunt, felicioreſque, qui aliquo ſaltem tempore, tota videlicet præſenti vita, deliciis, ac voluptatibus abſque ullo angore animi, abſque perturbatione ac moleſtia potiuntur.

Hoc ferme argumentum, licet alio modo, perſecutus eſt Lactantius Firmianus *lib. 7. de Vind. juſt. c. 9.*, eoque refellit ſui temporis incredulos oſtendens *mentem noſtram in morte diſſipari non poſſe, quin contra naturam, ideoque malum ſit ipſa virtus*, (quod nec illi aſſerere audebant, nec Nuperi Deiſtæ concedere audent) his verbis: „ „ Præſenti vitæ, ait eloquens Orator, „ nocet virtus. Nam vita iſta terrena, „ quam communem cum mutis animalibus ducimus, & voluptatem expetit, „ cujus fructibus variis, & ſuavibus delectatur, & dolorem fugit, cujus aſperitas naturam viventium acerbis „ ſenſibus lædit, & ad mortem perducere nititur, quæ diſſolvit animantem. Si ergo virtus & prohibet his „ bonis hominem, quæ naturaliter appetuntur, & ad ſuſtinenda mala impellit, quæ naturaliter fugiuntur: ergo „ malum eſt virtus, & inimica naturæ, „ ſtultumque judicare neceſſe eſt, qui „ eam ſequitur: quoniam ſeipſum lædit „ & fugiendo bona præſentia, & appetendo æque mala ſine ſpe fructus amplioris. Nam cum licet nobis jucundiſſimis frui voluptatibus, nonne ſenſu „ carere videmur, ſi malimus in humilitate, in egeſtate, in contemptu, in „ ignominia vivere, aut ne vivere quidem, ſed dolere, cruciari, & mori (ut „ in innumeris martyribus quam maxime conſtat) ex quibus malis nihil „ amplius aſſequamur, quo poſſit voluptas amiſſa penſari. Si autem virtus malum non eſt, facitque honeſte, „ qui voluptates vitioſas, turpeſque contemnit, & fortiter, qui nec dolorem, „ nec mortem timet, ut officium ſervet: ergo majus aliquod bonum aſſequatur, neceſſe eſt, quam ſunt illa, „ quæ ſpernit. At vero morte ſuſcepta, „ quod aliud bonum ſperari oportet, niſi „ æternitas „? Hactenus ille diſertiſſime: quod plane argumentum ut quiſquis facile perſpicit, æque contra fieri poteſt *de vitio*: quandoquidem, ſi nulla poſt mortem timenda pœna eſt homini vitiis dedito, jam vitium, quod ceteroqui naturæ hominis contrarium eſſe conſentiunt omnes, vitioſo magnopere prodeſt: nam & bonis, quæ naturaliter appetuntur, & avidiſſime quærit, voluptatibus, ſuavibuſque ſenſuum omnium oblectamentis, fruitur, quam ubertim poteſt, & a malis ſuſtinendis, quæ naturaliter fugiuntur,

Digitized by Google

tur, quovis etiam officio poſthabito, diligentiſſime cavet. Ergo bonum eſt vitium, & naturæ hominis conſentaneum, ac ſapientem judicare neceſſe eſt, qui illud amplectitur, eoque ſapientiorem, quo magis ejus illiciis, turpibuſque delectationibus ſe abripi ſinit: quoniam multum ſibi ipſi prodeſt & appetendo bona præſentia, & fugiendo æque mala abſque metu amplioris miſeriæ. Quod ſi vitium malum eſt, facitque inhoneſte, qui vitioſis, turpibuſque voluptatibus aucupandis ſtudet, & inſipienter, qui officium deſerit, metu doloris, & mortis: ergo majus aliquod malum demum conſequatur, oportet, quam ſint illa, quæ timet. At vero morte ſuſcepta, quod aliud malum timeri poteſt, niſi futuræ vitæ a Deo juſto judice, ac ſupremo retributore infligendum? Cum itaque hæc omnia ſint abſurdiſſima, Deique bonitati ac providentiæ repugnent, alia admittenda vita eſt, qua juſtorum & bona, quæ fugiunt, & mala quæ perferunt pro ſectanda virtute, plena felicitate; & impiorum, quæ hic inquirunt, bona, & mala, quæ vitant; ne officium ſervent, vitiumque ſequantur, ſumma miſeria compenſentur.

Hoc ſolum pacto ſanctiſſimam, atque rectiſſimam Providentiæ divinæ de rebus humanis diſpoſitionem conſiſtere cenſuit memoratus Regius Propheta, nec quæſtionem, quam propoſuerat de felici iniquorum hominum ſtatu aliter expediri poſſe, niſi ad fines bonorum, & malorum referretur: ex præſentibus autem non modo non ſolvi, ſed etiam implicari. *Mei*, inquit, (a) *moti ſunt pedes: pene effuſi ſunt greſſus mei: quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns...... in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis &c. Poſuerunt in cælum os ſuum &c. & dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt divitias. Et dixi: ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas &c. Exiſtimabam, ut cognoſcerem hoc: labor eſt ante me.* Sed nullane ex hac animi perturbatione evadendi via? Utique, dum in ea, quæ poſtremo futura ſunt, tranſacta hac vita mortali, oculos intendo: *labor eſt*, inquam, *ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in noviſſimis eorum &c. Quia ecce, qui elongant ſe a te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te*, in exitio ſcilicet ſempiterno eis pro meritis deputato. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*, fideli mandatorum ſuorum obſervantia: *& ponere in Domino Deo ſpem meam*, ſpem, inquam, percipiendi aliquando uberem mercedem juſtis omnibus præparatam.

Paucis itaque, quæ latius dicta ſunt, colligendo, ita argumentum ex omnibus conficio. Si Deus eſt, (ut ii, adverſum quos diſputamus eſſe fatentur, nec niſi plane *inſipiens in corde ſuo* negat); *ſanctus* ſit, oportet, *ſapiens*, *juſtus*, rerumque humanarum *proviſor optimus*. Hæ quippe perfectiones in idea Dei nitide, diſtincteque relucent. Si *ſanctus* eſt, non poteſt non amare virtutem, non odiſſe, ac deteſtari vitium, & iniquitatem. Si *ſapiens*, neceſſe eſt, ut ordinem in omnibus ſervet, exaltetque qui illum recte vivendo cuſtodit, deprimatque, qui ſubvertit, atque peſſundat. Si *juſtus*, oportet, ut juxta meritorum rationem, & exigentiam, unicuique tribuat, quod ſibi debitum eſt. Si denique *humanarum rerum proviſor optimus*, præmium recte factis rependere debet, ſupplicia peccatis, ſine quibus nulla reſpublica recte conſtituta, & adminiſtrata conſiſtit. Porro ſpectato vitæ hujuſce curriculo, evidentiſſime patet, nec juſtos dignum bonorum operum fructum in hac vita percipere, nec impios malorum pœnam. Concludendum igitur nobis eſt, vitam aliam poſt brevem hanc ſupereſſe, in qua Deus æquam pro meritis

(a) Pſal. 72.

ritis retributionem omnibus conferat.

Ut argumentum hocce decretorium, & in re morali plane apodicticum, infringant, aut potius eludant Adverſarii, non aliud proferunt, nec aliud oppido proferre poſſunt præter illud veterum Stoicorum placitum, *virtutem ipſam ſibi ipſi* pulcherrimam eſſe mercedem, præmiumque ſufficiens: improborum autem vindictam ipſam eſſe *turpitudinem criminum*, quæ perpetrant, *cruciatuſque animi*, & *conſcientiæ remorſus, quos patiuntur*.

Cum hæc evaſio frequentiſſima ſit penes Deiſtas, atque unica, quæ ſpeciem aliquam, aut veri colorem præſeferat; nam aliæ quædam, quas videre licuit, adeo ineptæ ſunt, atque futiles, ut neque referri mereantur; ideo in ea refutanda, & in nihilum penitus redigenda paululum immorari præſtat, pluribuſque uti, iiſque graviſſimis, animadverſionibus. Primumque ab Adverſariis noſtris mihi ſciſcitari lubet, de impiorum ſtatu præcipue agenti, num ipſi putent, peccatum ſibi eſſe pœnam *adæquatam*, vel ſolum *inadæquatam*? *Adæquatam* porro eſſe quis afferat, niſi communibus prænotionibus hominum, quin & intimo aperte reluctetur ſui ipſius ſenſui vivide renuncianti pœnam aliam peccato debitam. *Inadæquatam* ergo, ut ſummum credant & judicent, neceſſe eſt. Quod ſi hoc fateantur, ut fateri coguntur: ergo aliam poſt mortem corporis vitam concedant, oportet, ne ſcilicet aut inſignis improbitas ſine debita pœna maneat, quoniam eam improbi minime ſubeunt in hac vita: nec eximia virtus ſine ſolatio præmioque ſibi conveniente relinquatur. Si enim peccatum ipſum adæquata ſibi pœna non eſt, neque profecto virtus ſibi erit ſufficiens præmium: ex quo ita ratiocinatur Lactantius Firmianus *lib.* 3. *Divin. Inſtit. c.* 12.: *Si virtus per ſe ipſam beata non eſt: quoniam in perferendis malis tota vis ejus eſt: Si omnia, quæ pro bonis concupiſcuntur, negligit: ſi ſummus ejus gradus ad mortem patet: quandoquidem vitam, quæ optatur a ceteris, ſæpe reſpuit, mortemque, quam ceteri timent, fortiter ſuſcipit: Si neceſſe eſt aliquid magni boni pariat: quia ſuſcepti, & ſuperati uſque ad mortem labores ſine præmio eſſe non poſſunt: Si nullum præmium, quod ea dignum ſit, in terra reperitur: quandoquidem cuncta, quæ fragilia ſunt, & caduca ſpernit; quid aliud reſtat, niſi ut cæleſte aliquid efficiat, quia terrena univerſa contemnit; & ad altiora nitatur, quia humilia deſpicit. Id vero nihil aliud poteſt eſſe, quam immortalitas.*

Ulterius quis adeo cæcus eſt, ut non videat *præmium virtutis*, *ſupplicium vitii*, eſſe non poſſe id, quod eſt naturale, & intimum ipſi virtuti, vel vitio, ſed fructus aliquos ab extraneo fonte prodeuntes, ſive ab extranea manu conferendos? Pax ſiquidem cordis, ac tranquillitas animi a virtute dimanant, veluti naturales quædam proprietates ordinis cuſtoditi: quemadmodum e contra turpitudo, pudor, & infamia a vitio profluunt, veluti proprietates ordinis perturbati cum ipſo neceſſario implicitæ, atque connexæ. Quæ autem ſunt proprietates actionum ſive bonarum, ſive malarum, præmium, aut pœnam earumdem velle conſtituere, abſonum omnino eſt, omnium hominum conceptioni aperte diſſentaneum. Omnes quippe ab ipſa natura inditum habemus, ac veluti conſignatum, conditionem præmii mercedem eſſe honeſto viro tribuendam, ſicut & pœnam ſceleſto, ab aliquo ſuperiore principio, cui recte facta placeant, male geſta diſpliceant, quodque & illam ſequendam præcepit, & iſtud vitandum. Adverſariorum evaſio rerum ideas plane perturbat, atque confundit, efficitque, quod virtus ſit ultimus ſui ipſius finis, ſicuti *Stoici* falſo afferebant. Quicumque enim Deum agnoſcit, principium omnium finemque ſupremum, fateatur, oportet, adeoque & virtutem ipſam ad Deum referri tamquam ad ultimum finem, a qua relatione totum virtus accipit, quidquid habet æſtimationis, & pretii.

Hoc liquidius erit humanæ Republicæ

cæ exemplo. Nulla ſiquidem Reſpublica eſt: nullus Reipublicæ Princeps, aut Rector, qui honeſtis civibus honeſtatem ipſam pro præmio conſtituat, aut peſſimis, ac nefariis ſcelerum turpitudinem, aut pravæ conſcientiæ ſtimulos inde ſuborientes pro digno eorum ſupplicio: planeque improvidus, immo & inſipiens haberetur ille, qui non alia probis calcaria, non alios improbis frænos adhiberet. Fingamus animo ſervum aliquem fidelem, militem ſtrenuum, ac impigrum, ſupremum exercitus ducem præſtantiſſimum, invictæque fortitudinis. Hi omnes ſibi gloriæ vertunt famulatum, quem Regi, vel Principi ſuo ſtudioſiſſime præſtant, inter anguſtias atque labores, quos idcirco alacriter ſubeunt, ut illi toto virium conatu, ac diligentia inſerviant, jucundam quamdam perſentiunt oblectationem animi, pulcrumque ſibi videtur, vel ipſam vitam, ſi res ferat, cum ſanguine profundere, ut officia omnia, quæ Domino ſuo debent, accuratius adimpleant. Interim vero Princeps, aut Dominus pro congrua horum omnium mercede, ita ſtatuat, ac loquatur: *bene habet, vobiſque admodum gratulor, quod præmium meritis veſtris, ac laboribus dignum receperitis. Oblectatio illa jucunda, quam ex ſervitute mihi fideliter præſtita affatim hauſiſtis, congrua merces laborum veſtrorum eſt. Ea igitur læti perfruimini, quoniam quidquid debitum vobis eſt, abunde conſecuti eſtis*. Ad infideles autem ſervos, milites ignavos, Duceſque rebelles converſus ita illos affetur: *Quoniam vos mandata mea non ſervaſtis, ſed ut appetitionibus veſtris obſecundaretis, ea perpetim fregiſtis: fœdus cum hoſtibus meis iniiſtis, ut bellum gereretis adverſum me legitimum, & amantiſſimum Dominum veſtrum, meque de ſolio conatu penitus iniquo deturbare conati eſtis; patimini modo pœnam veſtris reatibus congruam: & hæc ſit ultio, quæ a vobis meritiſſime exigitur, turpitudo ipſa veſtrorum ſcelerum, atque ignominia, pudor, cruciatuſque animi, quæ culpas veſtras conſequuntur*. Si hæc eſſet ſententia, aut locutio, quam in ſubditos ſive fideles, ſive perduelles proferret terrenus Gubernator, & Princeps, nonne contemptione, riſu, atque ſannis exciperetur ab omnibus? Nonne ut ſtupidiſſimus homo, nulliuſque plane mentis traduceretur? Quid vero? Hæc omnino ſententia eſt, ſi nuperos *Deiſtas* audimus, quam pronunciat ſupremus, ſapientiſſimus, juſtiſſimus Rector omnium ac Princeps Deus in omnes homines tum fideles, & pios, tum rebelles, & impios, ſi verum eſt, quod ipſi audenter affirmant, virtutem ſibi ipſi mercedem eſſe, nec aliam promereri, vitium quoque ſibi pœnam congruentem, nec aliud, præter ipſam, deberi vitioſo homini ſupplicium. Cum ergo abſurdiſſimum ſit de Deo cogitare, quod de humano Principe ſine riſu cogitari non poſſet, aſſerere cogimur omnes præmium aliud ſummum Deum poſuiſſe virtuti, ac vitiis ſupplicium, præter virtutis ipſius pulcritudinem, ac delectationem, aut vitiorum deformitatem, animique, quos relinquunt, angores.

Sed & aliud, illudque obſervandum ſummopere, ex *Deiſtarum* hypotheſi abſurdum enaſcitur, quod ſane concoquere numquam poterunt. Nam ſi ſola ipſa peccati fœditas, ac ſtimulus, cruciatuſque conſcientiæ, ſufficiens pœna peccati eſt, illud neceſſario, ac ſponte conſequitur homines, quo nequiores, & ſceleſtiores ſunt, magiſque obſirmati in flagitiis, & iniquitatibus, eo minus puniri pro delictis ſuis. Quamquam enim ab initio, ubi quis in vitia ac ſcelera ruit, aut quidpiam impie, injuſteve commiſerit, acres perſentiat conſcientiæ ſtimulos, cruciatuſque, qui illum dies, noctesque haud quieſcere ſinunt; decreſcunt ii tamen ex ipſa peccandi aſſuetudine, eoque leviores fiunt, quo ſcelera amplius augentur, adeo ut demum ferme concidant omnino, ac extinguantur. Hinc ſæpenumero videmus homines inſigniter impios, vitiiſque omnibus deditos, qui non modo nullo plerumque ſenſu afficiuntur delictorum ſuorum, ſed potius, ut utar ſcri-

F ptu-

pturarum verbis, *lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*. Hi ergo nullam tot ſcelerate geſtorum punitionem reciperent, judexque omnium ſupremus Deus acerbius, & iniquius ſe gereret erga eos, qui minore, quam qui majore ſupplicio digni eſſent: quod nec ſine fatuitate ſumma cogitari, nec ſine horrore quodam audiri poteſt.

Alia plura in eamdem evaſionem animadverti facile poſſent: ſed neceſſe non eſt, cum ad eam præcludendam, quæ dicta ſunt, abunde ſufficiant. Unum illud præterire piaculum foret, ex iis conſcientiæ ſtimulis, curis, atque angoribus, quibus animus, perpetrata culpa, excruciari ſolet, inferri potius alium ſupereſſe hominibus vitæ ſtatum, in quo, ſicut bonis præmia, ita improbis ſint parata ſupplicia. Si enim cruciatus ille, aut remorſus conſcientiæ, qui ex peccato, veluti proprietas quædam, ſubnaſcitur, intimius, & attentius perpendatur, nihil aliud eſſe deprehendemus, quam naturalem quemdam ſenſum, aut quamdam anticipatam perceptionem juſti judicii Dei, ſive vindictæ de peccato ipſo aliquando exigendæ a ſuperiore aliqua Poteſtate, cui ſubjicimur, omniumque, quæ geſta a nobis ſunt, rationem referre debemus. Naturalis namque hujuſmodi ſenſus, atque perceptio penitius inſpecta, nonniſi in quadam ejuſdem juſtitiæ vindicis naturali notitia radicem, & fundamentum habere cognoſcitur, aut potius eadem intima, & ab ipſo naturæ Authore menti inſculpta notitia eſt, eademque tam certa, atque indelebilis, unaque tam vivida, & efficax, ut vix aliam vividiorem, efficacioremque in ſe ipſo deprehendat homo, dum a turbidis paſſionum motibus paulifper recolligit animum; atque a rebus exterius inſonantibus attentionem avocat. Nititur enim ipſo rationis lumine, quo naturaliter agnoſcimus aliquod eſſe in univerſo *principium ordinis*, *& honeſtatis*, cui creatæ quæcumque mentes ſubjectæ ſunt, omnium ejuſdem ordinis perverſionum teſtem, ac vindicem. Quapropter nedum ex animi angore, quem improbi poſt commiſſum ſcelus experiuntur, minime inferre debemus, nullam aliam eſſe pœnam, quæ impios maneat in vita futura, quin potius longe ſeveriorem ultionem ſempiterni ordinis perturbati ab iiſdem aliquando repetendam a ſupremo numine, & Moderatore Deo: cum naturales cognitiones fallaces nunquam ſint, ſed objectum aliquod reale ſemper inſpiciant: prout in loco fuſius declarabitur.

CAPUT IV.

Præcedens argumentum quam firmum & efficax creditum ſit ab Eccleſiæ Patribus, ad adſtruendam alterius Vitæ retributionem. Plurium eorum proferuntur hac de re ſententiæ, præcipue Juſtini Martyris, Athenagoræ, Cyrilli Hieroſolym., Auguſtini, maximeque Johannis Chryſoſtomi, qui illud frequentius adhibuit, ac luculentius illuſtravit.

I. Quamquam argumentum late ſuperius expoſitum, quemadmodum firmum & efficax, ita ſatis perſpicuum ſit; placet nihilominus illud ulterius proponere ac illuſtrare tum Sanctorum Eccleſiæ Patrum, tum gentilium Philoſophorum verbis: Ut & robur ipſius magis appareat, dum multiplici ſub aſpectu exhibetur; & quanti ponderis ac momenti a ſapientiſſimis viris judicatum ſemper fuerit, innoteſcat. Horum teſtimonia tum hoc, tum inſequenti capite proferam: nec erit ſane cuiquam, ut arbitror quidem, moleſtum, ſummos viros audire de tam nobili tamque utili argumento differentes. Atque in primis quod Sanctiſs. Eccleſiæ Patres plurimum illud valere crediderint ad alterius vitæ præmiorum, pœnarumque veritatem demonſtrandam, ex eo liquet, quod eodem frequentiſſime uſi ſunt, dum præſertim Chriſtianæ Religio-

ligionis dogmata adverſus gentiles & incredulos tuebantur, eorumque quamplures afferre poſſem, ſed paucis contentus ero.

II. Prodeat primo loco antiquiſſimus Chriſtianæ Doctrinæ defenſor & Martyr inclytus S. Juſtinus. Is in Apol. 2. pro Chriſtianis ad Senatum Romanum (*a*) ita præfatum argumentum proponit: „ Sed ne quis forte idem dicat, quod „ ii, qui exiſtimantur Philoſophi, ſtre- „ pitus inanes eſſe, ac terricula, quæ de „ improborum in igne æterno cruciatibus „ dicimus, ac noſtram eo ſpectare ſen- „ tentiam, ut virtutem homines metu „ conducti colant, non propter ipſius „ pulcritudinem, nec quia illis pla- „ cet; paucis reſpondebo, niſi ita ſe res „ habeat, vel Deum non eſſe, vel ſi „ ſit, nullam hominum curam gerere, „ nec quidquam eſſe virtutem, & vi- „ tium, ac inique a Legum latoribus „ puniri, qui præclara inſtituta tranſ- „ grediuntur. Sed quia iniqui non ſunt, „ eorumque parens eadem, quæ ipſe facit, „ facere per verbum præcipit, iniqui „ ſunt, qui eis non obſequuntur. Quod „ ſiquis diverſitatem legum humanarum „ variantium inter ſe objiciat allegans, „ quæ a quibuſdam hominibus vel pul- „ cra, vel turpia exiſtimantur, ab aliis, „ quæ illis ſint pulcra, turpia, & quæ „ turpia pulcra cenſeri: audiat quæ de „ hac quoque re dicamus. Leges etiam „ malitiæ ſuæ congruentes Angelos pra- „ vos conſtituiſſe ſcimus, quibus illo- „ rum ſimiles gaudent homines. Ve- „ rum recta accedens ratio non omnes „ ſententias, neque præcepta omnia ho- „ neſta eſſe commonſtrat: ſed hæc qui- „ dem prava, illa autem bona.„

III. Fortius urget hoc eodem argumento Gentiles, ſimulque corporis reſurrectionem aliquando futuram probat defenſor alter eximius Chriſtianæ Religionis Athenagoras Athenienſis, cujus hæc ſunt verba: (*b*) „ Igitur adverſum „ eos, qui Providentiam confitentur, & „ eadem ac nos admittunt principia, „ deinde propriis ſententiis neſcio quo „ pacto excidunt, his utatur quis ſer- „ monibus..... Sed adverſum eos, qui „ de principiis diffident, optimum for- „ te fuerit aliud iſtis principium præ- „ mittere, ſimul cum ipſis dubitantes, „ de quibus ipſi rebus opinantur, & ad „ hunc modum una diſceptantes, num „ tota prorſus hominum vita deſpicia- „ tur, ac denſa quædam caligo terris dif- „ fuſa tum ipſos homines, tum eorum „ actiones ignoratione & oblivione in- „ volvat? An multo tutius ſit exiſtimare „ ſuis Creatorem præeſſe operibus, o- „ mnium, quæcumque ſunt, aut fiunt, „ inſpectorem, & cogitationum judi- „ cem? Nam ſi nullum omnino homini- „ bus rerum geſtarum judicium datur, „ nihil homines amplius habent, quam „ belluæ: imo iſtis infelicius agunt, ut „ qui perturbatos animi motus in ſervi- „ tutem redigant, ac pietatis & juſtitiæ „ virtutumque ceterarum curam gerant. „ Belluarum autem & ferarum vita opti- „ ma, virtus vero inſipiens, judicii minę „ res perridicula, voluptati autem indul- „ gere maximum bonum, commune au- „ tem horum omnium decretum, atque „ una lex amica illa intemperantibus & „ laſcivis ſententia: *manducemus, & bi-* „ *bamus: cras enim moriemur*. Talis e- „ nim vitæ finis ne voluptas quidem, ut „ nonnulli opinantur, ſed ſtatus omnis „ ſenſus expers. Quod ſi hominum Crea- „ tori aliqua eſt operum ſuorum cura, „ ac bene aut male actæ vitæ ſervatur a- „ licubi diſcrimen, vel in præſenti ad- „ huc viventibus, qui virtutem aut vi- „ tium ſectantur, vel poſt mortem iiſdem „ in ſeparatione & diſſolutione verſanti- „ bus. At in neutro ſervata judicii æ- „ quitas reperiri poteſt. Nam nec boni „ in præſenti vita virtutis præmia reſe- „ runt, nec mali nequitiæ. Illud enim „ prætermitto, natura, in qua nunc ſu- „ mus, ſervata, non poſſe naturam mor- „ talem pares pluribus aut gravioribus „ peccatis pœnas ſuſtinere. Nam qui „ innumeros ex innumeris occidit in- juſte,

(a) Edit. Monach. S. Maur. num. 9. (b) Lib. de Reſurr. mortuor. num. 19.

Digitized by Google

„ juſte, vel latro, vel Princeps, vel „ Tyrannus, is ſane una morte horum „ ſcelerum pœnam non perſolverit. Sic „ etiam qui de Deo nihil veri opinatus eſt, ſed in omni convicio & blaſphemia vixit, divina contemſit, leges infregit, ſtupra pueris æque ac mulieribus intulit, urbes evertit injuſte, domos una cum hominibus incendit, regionem vaſtavit, ſimulque populos & incolas, aut etiam univerſam gentem extinxit, quonam is pacto in corpore corruptioni obnoxio, pari his ſceleribus pœnæ ſuffecerit, cum mors debitam meritis mercedem præripiat, ac ne uni quidem alicui facinorum mortalis natura ſufficiat? Neque igitur in præſenti vita judicium pro meritis demonſtratur: Neque etiam poſt mortem.

„ Vel enim mors totius eſt omnino vitæ interitus, anima ſimul cum corpore diſſoluta, & corrupta: vel per ſe, ipſa manente anima, diſſolutionis, & diſſipationis, & corruptionis experte, corrumpitur & diſſolvitur corpus, nullam jam retinens rerum geſtarum memoriam, nec eorum, quæ ob animam toleravit, ſenſum. Extincta omnino hominum vita, nulla jam videtur hominum non exſtantium procuratio, nec eorum, qui ſecundum virtutem aut vitium vixerint, judicium: Iterum autem revolventur exlegis vitæ incommoda, & abſurdorum ex ea conſequentium examen, & quod hujus perverſitatis caput eſt, *impietas Dei negatrix*. Quod ſi corrumpatur quidem corpus, & partes quæque diſſolutæ ad congrua elementa migrent, anima autem per ſe ipſa, utpote incorrupta, maneat: nec ſic quidem locum habebit animæ judicium, quippe cum juſtitia deſideretur. Siquidem nefas eſt ſuſpicari ullum ex Deo, aut a Deo judicium fieri, cui non adſit juſtitia. Judicio autem abeſt juſtitia, non exſtante eo, qui juſtitiam, aut injuſtitiam exercuit. Nam qui unumquodque eorum, de quibus judicium inſtituitur, in vita egit, homo erat, non anima per ſe ipſa, &c.„ Hæc ille & alia plura.

IV. Eadem preſſius tradit S. Cyrillus Hieroſol., remque ſatis idoneo exemplo declarat. „ Reſpice, inquit, ad ipſam juſtitiæ rationem, atque in teipſum reflecte. Diverſos habes famulos, quorum alii boni ſunt, alii pravi. Bonos ſane in pretio habes, & lædis malos. Quod ſi etiam judex fueris, bonos laudas, & improbos punis. An vero apud te mortalem hominem æqui ratio cuſtoditur, apud Deum vero Regem omnium, cui a nullo ſucceditur, non erit rependens unicuique juſtitiæ modus? Atqui impium ſit hoc inficiari. Reſpice enim quid dicam. Multi homicidæ in lecto impuniti deceſſere. Ubinam ergo Dei juſtitia? Plerumque homicidiorum reus ſemel abſciſſo capite pœnas luit. Ubinam ergo quadragintanovem cædium pœnas daturus eſt? Niſi poſt hanc vitam fuerit judicium ac retributio, injuſtitiæ Deum arguis.„ Nil clarius, nil urgentius dici potuit. Si enim tum in privata familia Dominus ſervos malos cædit, tum in Rep. Judex pro meritis facinoroſos punit, ita exigente juſtitiæ lege; id negare non poſſumus de omnium Supremo Domino, ac Judice, quin eum injuſtitiæ labe aſpergamus. Porro hanc juſtitiam ſcelera vindicantem non exercere Deum in hoc mundo, compertum eſt, inquit S. Pater: Cum plures exempli cauſſa homicidæ vel ex vita impuniti decedant, vel ſi quandoque violenta morte puniantur, una mors non ſufficiat pro digna multorum homicidiorum pœna: adeoque concludit, non admiſſa in alia vita ſcelerum retributione, neceſſario conſequi Deum injuſtitiæ arguendum fore: quod vel ſuſpicari nefas.

V. Pluribus in locis verſat id argumentum S. Auguſtinus. Unum tantum affero ex Serm. 1. in Pſ. 36. n. 3. „ Hoc te perturbat (Chriſtianum hominem alloquitur) quia vides male viventes felices, rerum iſtarum copia circumfluere, ſanos eſſe, ſuperbis dignitatibus eminere, incolumem habere domum, gaudia ſuorum, obſequia clientum, excellentiſſimas potentias, nihil triſte „ inter-

„ interpellare vitam ipſorum : Mores „ nequiſſimos vides, facultates copioſiſſimas: & dicit cor tuum, nullum eſſe „ divinum judicium, omnia caſibus ferri, & fortuitis motibus ventilari. „ Nam ſi Deus, inquis, res humanas „ reſpiceret, floreret illius iniquitas, & „ mea innocentia laboraret ? .... *Noli* „ *æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem : quoniam* „ *tamquam fœnum cito areſcent, & ſicut* „ *olera prati cito cadent:* „ Ad finem nempe, ut fuſe perſequitur, reſpiciendum eſſe ait bonorum & malorum, & ad Dei judicium cito futurum de omnibus, ut hujuſmodi moleſta ſollicitudo amputetur, & hoc pacto ſartam tectam ſervari divinam Providentiam. Quod & enarratione in Pſalm. 91., & 93., & in lib. 33. quæſt. 82., & lib. 20. de Civ. Dei cap. 2. uberius exponit.

VI. Eodem argumento uſi ſunt vel ad animæ immortalitatem, vel ad futuram retributionem comprobandam S. Clemens Romanus, ſive quicumque ſit Auctor Recogn. lib. 3., S. Theophilus Antioch. lib. 3. ad Autolycum, Origenes ſuper Cantica, Tertullianus lib. 3. de falſ. Sap., Lactantius lib. 3. Divinar. inſtitut., & alii. At nemo ex Patribus illud vel frequentius adhibuit, vel luculentius expoſuit, quam Eccleſiæ Græcæ, imo Catholicæ lumen fulgentiſſimum Sanctus Johannes Chryſoſtomus. Selectiora quædam hujuſce Sancti Patris loca in medium produco, ut aurea ipſius eloquentia propoſita ratio vividius illuſtretur. Primus habetur homil. 4. de Lazaro, ubi cum prius accurate perpendiſſet latiſſimum vitæ diſcrimen tum a divite Epulone, tum a paupere Lazaro peractæ, ex eo ſubinfert, ſecluſa etiam divina Revelatione alium vitæ ſtatum admittendum eſſe, in quo paria pro meritis uterque reciperet, idque naturali lumine omnes pervidiſſe Philoſophos teſtatur. „ Quamquam, inquit, „ non quemadmodum decet, de reſurrectione philoſophantur omnes; attamen de judicio, deque pœnis, deque „ tribunalibus, quæ illic ſunt, omnes „ conſentiunt, illic eſſe aliquam eorum, „ quæ hic geruntur, remunerationem. „ Quod ni eſſet, qua de cauſſa Deus „ cælum tam amplum extendiſſet, terram ſubſtraviſſet, mare dilataſſet, aerem diffudiſſet, tantam Providentiam declaraſſet, niſi ad finem uſque „ noſtri curam habiturus eſſet? Nonne „ vides multos, qui cum virtute vixerunt, innumeraque mala paſſi ſunt, „ deceſſiſſe, nulla re bona percepta? „ Alios contra cum multam pravitatem „ commiſerint, alienas facultates rapuerint, viduas & orphanos ſpoliaverint, „ oppreſſerintque, opibus, deliciis, & „ innumeris bonis fruiti fuerint, deceſſiſſe ne tantulum quidem mali paſſos? „ Quænam igitur vel illi priores virtutis præmia recipient, vel iſti pravitatis ferent ſupplicia, ſi noſtræ res ultra vitam hanc non protendantur? „ Nam ſi Deus eſt, ſicut revera eſt, eum „ juſtum eſſe nemo non fatebitur. Atqui ſi juſtus eſt, & his & illis reddet „ pro meritis: Et hoc in confeſſo eſt. „ Quod ſi & his & illis rependet pro „ meritis, hic vero nullus eorum recepit, neque ille improbitatis, neque hic „ virtutis præmia, perſpicuum eſt reſtare tempus aliquod, in quo congruens „ præmium horum uterque feret „.

VII. Uberius idem argumentum proponit Homil. 4. de Fato, & Provid. inquiens: „ Quidam ſunt, qui poſtquam „ hos de Philoſophia ſermones moverimus, ſuum, hircorumque inſtar abdomini addicti, rebuſque præſentibus „ ſervientes, nihil poſt deceſſum ſupereſſe „ arbitrantur. Alii vero ſupereſſe quidem aliqua putant, ſed præſentia futuris anteponunt. Contra eos autem, „ qui nihil ſupereſſe putant, ſed extinctam animam nullam reddituram eſſe „ rationem, nec pœnam ſubituram eſſe „ arbitrantur, utpote contra inſanos, & „ furioſos, rediculum forte eſſet dicere. „ Neque enim ſiquis in die dubitet, num „ dies ſit, & de omnibus, quæ in confeſſo ſunt, quæſtionem moveat, e re „ fuerit illi verbis perſuadere, & ad eam „ ſententiam adducere. Attamen caritatis veſtræ cauſſa cum illo quoque diſputabimus. Quid dicis o homo? Nihil

„ poſt

„ poſt hanc vitam eſſe putas? Id enim „ neceſſe eſt dicere. Quomodo ceu malorum quorumdam gradibus eum, qui „ ſemel a veritatis tramite dejectus fuerit, in deteriorem ſemper ſententiam „ projecit Diabolus!...... Nihil ne „ poſt hanc vitam erit o homo? & tu „ hanc ſententiam oppugnas? Græci, „ qui tot in rebus delirarunt, hujus tamen dogmatis veritati non reſtiterunt. At tu nulli horum obtemperare vis, ſed ſemel errori deditus impudenter agis. Itaque propter eos, qui „ etiamnum ſapiunt, ſermo inſtituendus „ eſt. Eum enim, qui nihil poſt hanc „ vitam eſſe profiteatur, neque Deum „ etiam eſſe fateri neceſſe eſt. Viden, „ quemadmodum dixi, conſequenter opiniones prioribus ſemper deteriores „ gradatim ab illis admitti? Si enim „ poſt hanc vitam nihil illic reſiduum „ eſt, nec Deus etiam eſt. Nam ſi „ Deus ſit, juſtus eſt: ſi juſtus, unicuique pro merito retribuit. Si „ porro nihil poſt hanc vitam eſt, ubinam pro merito quiſque recipiet? „ Animadvertas velim: multi præter „ meritum, ut ipſi jam confeſſi ſunt, „ bonis honoribuſque fruuntur in hac „ vita: alii vero, qui in juſtitia vivunt, cruciantur. Si ergo nullum ſit „ poſtea tempus, inique accepti juſti, „ præter meritum bene habiti injuſti „ diſcedent. Si autem res ita ſe habeat, „ quomodo eſſe juſtitia poſſit? Neceſſe „ enim eſt aliquod tempus poſt hanc „ vitam, in quo ſingulis pro merito tribuatur: in hac vita enim hoc non „ invenitur. Sin tale tempus non ſit, „ quomodo quiſque pro merito recipiet? „ Si vero nullus pro merito recipit, „ ergo Deus ſecundum te juſtus non eſt. „ Si Deus juſtus non ſit, neque Deus „ eſt. Sed blaſphemia in caput eorum, „ qui nos ad hæc dicenda compulerunt, „ retorqueatur. Videte, in quantam „ blaſphemiam oratio provecta ſit. Verum quod Deus ſit, res ipſæ clamant: „ & conſequenter ille juſtus eſt. Si juſtus „ ſit, unicuique pro meritis retribuit. Si „ unicuique pro meritis retribuit, neceſſe eſt poſthæc aliud quoddam eſſe tempus, quo unuſquiſque pro merito accipiet, & pro geſtis ſuis vel pœnas „ dabit, vel præmium accipiet.„

VIII. Immenſus forem, ſi alia quæcumque de hoc argumento diſſerit S. Pater huc corrivare vellem. Illud ſiquidem declarat præterea & urget tum homil. de perf. carit., tum in Pſ. 111. explicans illa Prophetæ verba, *miſericors, & miſerator, & juſtus Dominus*, tum homil. 49. ad popul. Antioch., tum aliis in locis. Unum tantum penitus præterire nolo, quod ex homil. 6. in epiſt. ad Philipp. ducitur, ubi & argumentum idem paucis exponit, unaque hortatur fideles, quos alloquitur, ut eo ſemper utantur, & ad infideles revincendos, & ſeipſos de futura reſurrectione perſuadendos his verbis: „ Juſtus eſt „ Deus. Omnes fatemur & Græci, & „ Judæi, & Hæretici, & Chriſtiani. At „ hinc multi, qui peccaverunt, abierunt impune: multi, qui cum virtute vixerunt, tum demum abierunt, „ cum ſexcentas ſubiiſſent calamitates. „ Ergo ſi juſtus Deus, ubinam his quidem præmia, illis vero ſupplicia tribuat, ſi non eſt gehenna, ſi non eſt „ reſurrectio? Hanc igitur rationem & „ illis, & vobis ipſis ſemper canite: nec „ ſinet vos de reſurrectione non credere.„

CA-

CAPUT V.

Eodem argumento de Animæ immortalitate futuræque vitæ retributione perſuaſi ſunt præſtantiores, inter Gentiles Philoſophi, Socrates, Xenophon, atque etiam Ariſtoteles. Placuit illud quammaxime Platoni, cujus nonnulla inſignia loca producuntur: quemadmodum & Plutarcho, Marco Tullio, aliiſque.

I. SPlendidiſſimam ejuſdem argumenti lucem vel ipſi perviderunt in errorum tenebris obvoluti gentiles Philoſophi. Teſtatur Nemeſius (*a*) doctiſſimos quoſque Græcorum de Animæ immortalitate fuiſſe convictos, eandemque in ſcriptis ſuis comprobaſſe ex divina erga juſtos & impios Providentia, quam & omnino admittendam eſſe, & in hac vita non unicuique pro meritis tribuere perſpectum habebant. Horum teſtimonia adverſum Deiſtas & incredulos diſputante, eo a me afferuntur libentius, quod nullam eiſdem exceptionem adhibere jure valeant: cum non jam Religionis, & infantiæ præjudiciis, ut de Chriſtianis Authoribus effutire ſæpe ſolent, ſed nativo tantum mentis lumine ad rem perluſtrandam acceſſerint.

II. Ex his itaque Philoſophis, quorum tum apud antiquos, tum apud ceteros alios celebrior fama & authoritas ſemper obtinuit, in primis eſt Socrates, omnium ſapientiſſimus ab ipſo Oraculo judicatus. Plura refert de ipſo in ejus vindiciis, eaque perilluſtria, Xenophon ejuſdem diſcipulus (*b*), quæ eum immortalitatem animorum tanquam certiſſimam habuiſſe evidenter oſtendunt. Porro veritatem hanc ex iis præſertim principiis inferebat ille: *Deum, non caſum, hujus univerſi, rerumque omnium conditarum cauſſam eſſe: ipſum omnia cognoſcere, quæ hic aguntur, non quemadmodum vulgus opinatur: Hi enim opinantur quædam Deos ſcire, quædam autem ignorare: ac ubique adeſſe, deque omnibus conſulere. Omnia præterea gubernare, & imprimis hominum curam gerere, ſive corpus ſpectes, ſive animum, qui omnium aliorum facultates excellit.* Atque exinde colligebat, *præmia manere illos, qui Deo placuerint: iis autem qui Deo diſplicent, pœnas decerni: idque probare ejus idipſum faciendi potentiam, humanique animi conſcientiam.* Quæ præmia pœnaſque a Socrate conſtitutas clarius enarrat Plato in Phædone referens doctrinam ejus fuiſſe, *poſt mortem bonorum animos beatitudine perfrui cum Deo in loco jucundo, ad quem acceſſus mortalium nemini pateat, conjunctos: malos in locis convenientibus pœnis promeritis affici.* Quibus in teſtimoniis videas Socratem iis principiis innixum, quæ ſuperius a nobis ſunt expoſita, animæ immortalitatem, ejuſque poſt mortem præmia, vel pœnas pro certo habuiſſe. Egregium aliud ejuſdem Socratis de hac re teſtimonium infra dabimus ex Tullio.

III. Viam eandem preſſiſſe Xenophontem ipſum Socratis diſcipulum ac vindicem, nec hiſtoricum modo, ſed Philoſophum celebratiſſimum conſtat tum ex vindiciis ab eo factis Præceptoris ſui, tum ex Epiſtola 5. a Leone Allatio inter Socraticas relata, & a Stanslejo producta, in qua hæc habet: *Operæ pretium eſt viros probos fieri, & admirari eum,* (Socratem nempe) *quod caſte pie ac juſte vitam tranſegerit: fortunam vero incuſare, & vituperare eos, qui in eum mala machinati ſunt: brevi enim pœnas dabunt*, poſt breve ſcilicet hujuſce vitæ ſpatium a ſupremo omnium juſto Judice exigendas.

IV. Principium idem atque ſententiam amplexum fuiſſe Ariſtotelem probat Auguſtinus Eugubinus (*c*) ex iis, quæ tradit ille lib. 10. Moral. his verbis: *Qui ſecundum mentem operatur, & hanc*

(a) lib. de Natur. hominis cap 41. (b) lib. de factis & dictis Socrat. ex interpret. Bellar.
(c) lib. 4. de peren. Philoſ. cap. 6. & cap. 9.

hanc excolit, optimeque affectus eſt, is videtur Deo acceptiſſimus. Si qua enim cura rerum humanarum eſt a Diis, ſicut apparet, utique rationabile eſt delectari eos re optima, ſibique proxima. Hæc autem mens eſt, quam qui diligent, maxime & colent, redamari eos a Diis tanquam rerum ſibi acceptarum curatores, & recte & probe agentes fas eſt. At num forte hujuſmodi Dei erga bonos amor, adeoque & erga malos odium, ſterilis quædam & inefficax affectio erit? abſit: idque oſtendit Ariſtoteles ipſe eodem loco ex Dei Providentia inquiens: *numquid in moralibus fortuna quaſi Providentia quædam eſt Deorum? an potius id non eſt probabile? quippe Deum, cum Dominus ſit hujuſcemodi rerum, arbitramur tribuere merentibus bona & mala: fortuna vero, & quæ a fortuna ſunt, vere fortuito eveniunt. Quam rem ſi Deo tribuamus, Judicem improbum eum facimus, aut injuſtum: quod Deo non convenit. Itaque neque bonam fortunam, Providentiam, aut benevolentiam Dei eſſe probabile eſt: quia improbis etiam datur. Deum autem curare improbos non eſt probabile.* Hoc eſt, probabile non eſt Deum improbis bona hujus vitæ elargiri ob amorem, & curam ſpecialem, quam de ipſis gerat. Si igitur Ariſtoteles Deum utpote juſtum Judicem bona & mala rependere debere ſanxit, & alias, ut animadvertit, bona iſta fortunæ æque probis & improbis in hoc mundo obveniunt, imo ſæpius probi miſeriis & calamitatibus ſunt obnoxii, improbi vero, qui a Deo non amantur, ſed odio potius habentur, his abundant fortunæ bonis; quid aliud ſupereſt, ut tribuatur utriſque juxta meritorum rationem, niſi alterius vitæ bona vel mala: bona quidem longe præſentibus excellentiora, mala vero longe graviora?

V. At enimvero quemadmodum inter Chriſtianos Patres Chryſoſtomus, ita inter Gentiles Philoſophos hoc argumentum in deliciis habuit Divinus, ut vocabatur, Plato. Pluribus in locis illud diſerte pertractat, ſed præcipue in lib. 10. de Rep. Summa eorum, quæ ibi fuſiſſime diſſerit, ac totius pulcherrimæ diſputationis *de præmiis juſtitiæ*, ac *injuſtitiæ pœnis*, hæc eſt. Præfatur primum rem, quam præ manibus habet, maximi eſſe momenti, in qua videlicet univerſæ vitæ noſtræ recte inſtituendæ cardo vertitur. Juſtitiæ autem præmia imprimis ita proponit, ut magna quidem eſſe doceat in hac vita, ſed longe majora in altera. Quam egregiam doctrinam ab ipſo diligenter expoſitam juvat accuratius notare. *Quid*, inquit, *eſt hujus vitæ ſpatium, ſi cum univerſo comparetur?* Plane nihil. *Igitur*, ſubjicit, *non valde attendendum eſt iis præmiis, quæ virtutem in hac vita comitantur: ſed ea ſpectanda ſunt, quæ vitam immortalem manent*. E contra ea ſupplicia præ præſentibus metuenda, quæ improbos poſt mortem expectant. At numquid revera futura ſunt hujuſmodi præmia vel ſupplicia? Ita omnino credendum commonſtrat. Quoniam ſi de juſtis ſermo ſit, juſtitia, ſeu probitas hoc exigit, ut & apud Deum, & apud homines præmia conſequantur: injuſtitia vero aut improbitas ſupplicia. Quamvis enim profligatæ conſcientiæ homines ad tempus triumphant, infeliciſſimus tamen eſt illorum exitus, in hac quidem vita frequenter, ſemper autem in futura. Quod ita probat: *Primum hoc mihi reddetis* (ſive ut exploratum concedetis) *Deos haudquaquam latere, qualis ſit uterque* (juſtus nempe, & injuſtus.)*.... Si Deos id non latet, ille quidem a Deo amabitur, hic odio habebitur. Concedemus quoque quæcumque a Deo proficiſci poſſunt bona religioſo illi, & juſto viro optime ſucceſſura ...... Sic itaque de juſto viro exiſtimandum eſt, ſive paupertate, ſive morbo, ſive quibuſvis aliis quæ vulgo habentur, malis prematur, huic & vivo, & mortuo ad certam utilitatem omnia ſucceſſura*. Cujus rei non aliam promit rationem, niſi quæ a Dei Providentia, & bonitate arceſſitur: *neque enim*, inquit, *a Diis immortalibus ejus res unquam negligentur, qui cupit juſtus eſſe, & quantum in hominem cadere poteſt, dat omnem operam, ut virtutis officiis ſimilis Diis reddatur...... at de injuſto homine nonne contraria ſtatuere debemus?* Omnino. Oſtendit ſubinde exter-

ternam omnem felicitatis ſpeciem in improbis eſſe tantum larvam, & umbram felicitatis cito deſituræ etiam in hac vita, quod non paucis contingere experientia compertum eſt. Sed num in hac tantum vita, Providentia divina præmia bonis, & malis ſupplicia diſtribuet? minime gentium: nam etiam non ſemper hanc bonorum, malorumque pro meritis diſtributionem conſpicimus. Sed ut ut etiam hic aliqua quandoque pro merito conferantur; *hæc omnia*, ſubdit Plato, *nihil plane ſunt & numero & magnitudine, ſi cum iis comparentur, quæ utrumque hominum genus poſt hanc vitam manent*. In vita ſiquidem immortali certa, cumulataque felicitas futura eſt juſtorum merces, ut contra certa, cumulataque infelicitas ita impios obvolvet, ut perpetuæ cujuſdam miſeriæ cruciatus ſentiant. Quod ut magis declaret, atque corroboret, affert in confirmationem hiſtoriam, aut Apologum, ſi appellare mavis, Heri cujuſdam Armenii genere Pamphili, qua & juſtorum, & injuſtorum in altera vita ſtatus graphice repræſentatur. Summa eſt, Dei juſti Judicis, coram cujus majeſtate omnes homines ſiſtentur διαδικασμὸν futurum ut bonis ſit optime, malis peſſime: demumque concludit juſtitiam omni ſtudio, & ratione colendam, ut felices aliquando cum Deo vivamus, malaque vitemus, quæ impiis reſervantur.

VI. Preſſius eamdem doctrinam tradit in *Theæteto*, *in Phædro*, *& in Gorgia*. Primo loco ſic ait: *quicumque dementiæ ſtultitiæque aſſueverint, dabunt meritas pœnas vitam ſtultam degentes. Quod ſi dixerimus fore, ut nunquam eos pœniteat flagitiorum, vita qui idem functos locus ille ſceleris, malorumque purus non recipiet, ſed ſimilitudinem vitæ conſequentur ſemper mali cum malis habitantes*. In Phædro autem poſtquam idem aſſeruit quoad homines juſtos, rationem hanc appingit, quia nempe *nefas eſt*, *nec ulla lex* (divina certe) *permittere*, *ut ad tenebras ſubterraneas*, loca impiis deſtinata, *hi proficiſcantur, qui ſemel iter cæleſte carpere cœpiſſent*. Ecce divinæ Providentiæ diſpoſitio, quæ juxta merita retribuit omnibus. Quod præclarius exponit *in Gorgia*, ubi propoſita ſententia de felicitate cæleſti, deque pœnis futuris, ſubjicit, *legem fuiſſe ſub Saturno* (Saturnum maximum deum appellat) *eamque adhuc ſemper vigere apud Deos, ut qui juſte & ſancte vitam tranſegiſſent poſt ad inſulas beatas profecti, beate vivant, nullis malis obſtrepentibus. Qui vero ſcelerate, & impie vixiſſent, ire ad pœnarum, & vindictæ carcerem, quem vocant Tartarum*. Hic palam eſt diſcrimen præmiorum, varietas locorum, Tartarus carcer ultionis, & pœnarum ſedes, in quo injuſti omni ævo habitaturi dicuntur, non ob aliam rationem, niſi ob legem illam, quæ viget apud Deum, ſine qua rerum, quam habet, humanarum cura, & Providentia nequaquam conſiſteret.

VII. Mirifice cum Platone conſentit, ejuſque rationem declarat & urget Plutarchus, inſignis & Philoſophus, & Hiſtoricus in libro præſertim *de tarda Dei vindicta*. Plura ibi docet, quæ rem hanc ſummopere illuſtrant. Tradit primo mirum non eſſe, quod ignoremus conſilia Dei, alium quidem peccatorem impune dimittentis, alium vero ſtatim punientis, cum ſæpe ignoremus conſilia ipſorum hominum, cur ab uno delinquente pœnas exigant, ab altero non exigant, ſed in aliud tempus protrahant. Secundo: non eſſe item cur miremur, ſi Deus, cum cæteroquin poſſit, vindictam tamen celerem in impios non exerceat: *quippe*, inquit, *non veretur, ne ſibi evolent*, ſeu ne manus ſuas effugiant. Tum poſtea ſubdit, eamdem eſſe de divina Providentia, atque de animorum immortalitate ſententiam, nec alterum poſſe dogma relinqui, altero ſublato. *Una eſt ratio* (verba ejus ſunt) *Dei quæ Providentiam, & animæ humanæ aſtruit immortalitatem, neque conſiſtere, ſublato uno, poteſt alterum*. Porro, ait, immortalitatem animorum neceſſe eſt conſequi præmia, & ſupplicia, tribus hiſce invicem una ratione conjunctis. Exiſtit Providentia, idque veris apparet exemplis: Hæc infert animos immortales: atque hos poſt mortem manere vel coronas, vel ſupplicia. *Jam ſi poſt lethum*

 ani-

anima ſupereſt, propius fidem eſt & honores ei, & pœnas reddi. Ea etenim eſt ratio, cur Providentia inducat immortalitatem animorum, ne vel probitas contempta jaceat, vel improbitas triumphet impunis. Quemadmodum autem Plato in hujus veritatis comprobationem, ſive declarationem Ardiænum quemdam induxit, qui e mortuorum locis reverſus aliqua de miſera impiorum ſorte referret; ita Plutarchus tradit fuiſſe quemdam, Theſpeſium nomine, qui cum omnem vitæ ſuæ curſum in libidine, & intemperantia tranſegiſſet, ex edito tandem loco delapſus miſerrime interiit: At cum poſt dies aliquot revixiſſet, longe priore diverſam vitæ rationem iniit, ita ut Cilices neque juſtiorem alium noverint, neque ſanctiorem. Cum itaque interrogatus eſſet undenam tanta vitæ mutatio? Retulit ea, quæ poſt obitum ipſe viderat, tormentaque, quibus impii acerrime plectuntur; quorum fuſa deſcriptio legi poteſt apud eumdem Plutarchum.

VIII. Hoc quoque immortalitatis animorum validiſſimum argumentum non prætermiſit ſummus Orator, & Philoſophorum illuſtre ſydus Marcus Tullius Cicero, ut ex iis, quæ ſparſim tradit, colligere pronum eſt. Lib. 3. de Natura Deorum primum in medium ponit id, unde de divina erga res humanas Providentia dubitari poſſe videtur. „ Telamon, inquit, uno verſu „ locum totum conficit, utrum Dii „ homines negligant. Nam ſi curent, „ bene bonis ſit, male malis: quod nunc „ abeſt. Debebant illi quidem omnes „ bonos efficere, ſiquidem hominum „ generi conſulebant. Sin id minus, „ bonis quidem conſulere debebant. „ Cur igitur duos Scipiones, fortiſſimos, & optimos viros, in Hiſpania „ Pœnus oppreſſit? Cur Maximus extulit filium conſularem? Cur Marcellum Annibal interemit? „ Atque ita pluribus aliis commemoratis exemplis „ dies, ſubdit, deficiat, ſi velim numerare, quibus bonis male „ evenerit; nec minus, ſi commemorem, quibus improbis optime. Cur „ enim Marius tam feliciter ſeptimum „ Conſul domi ſuæ ſenex eſt mortuus? „ Cur omnium crudeliſſimus tandiu „ Cinna regnavit? .... Anaxarchum „ Democritium a Cyprio Tyranno excarnificatum accepimus, Zenonem „ Eleatem in tormentis necatum. Quid „ dicam de Socrate? cujus morti illacrymari ſoleo Platonem legens. Videſne igitur Deorum judicio, ſi vident res humanas, diſcrimen eſſe ſublatum? Diogenes quidem Cynicus „ dicere ſolebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, „ contra Deos teſtimonium dicere, „ quod in illa fortuna tandiu viveret „ &c. „ Quid igitur dicendum? Non plane ſine ullo diſcrimine bona æque ac mala fieri ab hominibus. „ Ut enim, „ pergit ille, nec domus, nec Reſpubl. „ ratione quadam & diſciplina deſignata videatur, ſi in ea nec recte factis „ præmia extent ulla, nec ſupplicia „ peccatis; ſic mundi divina in homines moderatio profecto nulla eſt, ſi „ in ea diſcrimen nullum eſt bonorum, „ vel malorum. „ Opponit ſibi deinde, quod aliqui dicebant, *Deos non omnia animadvertere, ſicut neque Reges*. Verum reſpondet, *non eſſe ſimile. Reges enim, ſi ſcientes prætermittunt, magna culpa eſt. At Deo ne excuſatio quidem eſt inſcientiæ*: Deus enim omnia novit: ac præterea *divina Providentia fictrix, & moderatrix eſt* univerſarum rerum, *& efficere poteſt, quidquid vult*. Itaque ſequeretur Deum *aut neſcire quid poſſit, aut negligere res humanas*: *aut quid ſit optimum non poſſe judicare*: quæ omnia utique falſa ſunt.

IX. Hæc poſtquam Tullius eloquenter de more diſſeruit, promittit ſe alio in congreſſu dicturum contra hoc argumentum, proque vindicanda divina Providentia ab impiorum calumniis, *quaſi pro aris & focis*, ut ipſe ait, *& pro Deorum templis, atque delubris, proque urbis muris certaturum*. Equidem liber iſte, quem pollicetur, non extat. Verum neque alia via poterat hanc expedire quæſtionem, quam præmia, & futura ſupplicia conſtituendo: neque alia

reipſa

reipſa expediri poſſe putavit, ſi ex iis, quæ alibi tradit, quid ipſe ſenſerit, colligamus. Id maxime apparet ex verbis, quæ habet lib. 1. quæſt. Tuſc. ubi ex ſententia Socratis, quam laudat, & approbat, docet, *vias duas eſſe, duplicesque curſus animorum e corpore excedentium. Nam qui ſe humanis vitiis contaminaſſent, & ſe totos libidinibus dediſſent, quibus cæcati vel in domeſticis vitiis ac flagitiis ſe inquinaſſent, vel in Republica violanda fraudes inexpiabiles concepiſſent, iis devium quoddam iter eſſe ſecluſum a Concilio Deorum. Qui autem ſe integros, caſtosque ſervaviſſent, quibusque fuiſſet minima cum corporibus contagio, ſeſeque ab his ſemper ſevocaſſent, eſſentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum; his ad illos, a quibus eſſent profecti, reditum facilem patere*, utique cum ipſis felicem, & beatam vitam ducturis. Quorum omnium non aliam poſtea rationem reddit, *niſi quod juſti hominis*, adeoque etiam injuſti, *res a Diis immortalibus non negliguntur. Non enim* (ut habet in fine libri) *temere, nec fortuito facti, & creati ſumus; ſed profecto fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano: nec id gigneret, aut aleret, quod cum exantlaviſſet omnes labores, tum incideret in malum ſempiternum* abſque ullo bonorum operum fructu percepto. Quod etiam tradit *in ſomnio Scipionis*, aliisque locis. En igitur, Authore Tullio, ratio conciliandæ divinæ Providentiæ cum iis, quæ videntur adverſa contingere in rebus humanis hujuſce vitæ: ſi alium nempe vitæ ſtatum admiſerimus, in quo Deus unumquemque compenſet pro meritis, & bonis præmia, malis autem digna ſupplicia, quæ in hoc mundo non perceperunt, rite diſtribuat.

X. Præter hos Philoſophos Græcæ vel Romanæ Sapientiæ clariſſima lumina, alios ex antiquis habemus, qui eodem divinæ Providentiæ ac juſtitiæ principio ad alium poſt hanc vitam retributionis ſtatum ponendum permoti ſunt. Horum plures allegat S. Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autol. Aliquos etiam proferunt S. Clemens Alexandrinus in libris Strom., & S. Juſtinus, & alii, ex quibus duorum teſtimonia tantum recenſeo.

XI. S. Juſtinus, vel quicumque eſt Auctor libri de Monarchia hæc Euripidis carmina recitat:

Cavete, qui non eſſe creditis Deum
Errore non recte implicati duplici.
Eſt ille: ſed ſiquis malum patraverit,
Male natus ut temporis lucrum ferat,
Pœnas tamen graves dabit in tempore.

XII. Luculentius eſt teſtimonium Diphili Comici, quod producit S. Clemens lib. 5. Strom., ſive Philemonis, ut apud Juſtinum loco laudato:

Tu ne arbitraris mortuos, Nicerate,
Qui ſe omnibus dedere vitæ gaudiis,
Fugiſſe Numen, & latere poſtea?
Eſt juſtus oculus, cuncta qui ſolus videt.
Hinc inferorum ponimus duplicem locum:
Hunc deſtinatum impiis, illum piis,
Uterque quamvis conditus terra latet.
Tu, ſi lubet, furare, quodlibet rape.
Errare noli, Judicem inferi dabunt,
Deum ſupremum Regem, & Authorem omnium.
Cujus nec horridum ipſe nomen dixerim.

Plura alibi referemus.

CAPUT VI.

Alterum argumentum ex omnium gentium conſenſione depromptum. Quædam prænotantur. Illud non enervant variæ & commentitiæ de alterius vitæ ſtatu opinationes: nec aliquorum haud cohærentes cum eo dogmate ſententiæ de animi natura. Admiſſo bonorum præmio, conſequens plane eſt, ut & malorum admittatur punitio. Authoritate tum Gentilium Scriptorum, tum Sanctorum Patrum oſtenditur communem ſemper fuiſſe hominum perſuaſionem aliam extare vitam vel beatam, vel miſeram. Eadem quoque evincitur ex hominum Apotheoſi, quæ apud Gentes invaluit.

I. ALterum argumentum ad futuræ retributionis exiſtentiam demonſtrandam ſumitur ex omnium nationum, atque gentium in ea veritate unanimi, & perenni conſenſione. Validiſſimum eſſe hoc argumenti genus, planeque peremptorium, cum de moralibus maxime veritatibus quæſtio eſt, ſapientes quique aſſentiuntur, ipſique adeo Deiſtæ, & increduli vel repugnantes fatentur, dum nullum aliud magis reformidant. Quare nullum non movere lapidem, ut illud, ſin penitus dejicerent, aliquo ſaltem pacto debilitarent, caſſo tamen hactenus, irritoque labore. Tribus porro conſtat argumentum propoſitionibus, quas fuſe, & luculenter evincam, ut ipſius robur quam maxime pateat. Prima eſt, quod omnes ab orbe condito, ſive quarum ad nos notitia aliqua pervenit, nationes, atque homines ex ipſis ſapientiores, in hac perſuaſione ac dogmate conſenſerint, *præmium aliquod juſtis paratum eſſe poſt mortem, & aliquod impiis ſupplicium*: quam per plura capita manifeſtam faciam. Altera: *quod hujuſmodi in hoc dogmate communis conſenſio nonniſi ab ipſa natura, ſeu naturali quadam vi ac veluti impreſſione originem ducat* (a). Tertia tandem: *quod hæc vox, ſive impreſſio naturæ ab ipſo Deo ſit, atque adeo veraciſſima, nec errori obnoxia.*

II. A priore igitur incipiamus, quæ cæterarum fundamentum eſt, & qua ſemel conſtituta, reliquæ duæ ſua veluti ſponte conſequuntur. Quædam vero prænotare conſultum erit, eaque diligenter animadverti velim, ut omnis vitilitigandi aditus in anteceſſum occludatur. Primo nempe fabulas, & commenta, quibus vel Poetæ, vel Philoſophi futuræ vitæ ſupplicia, aut præmia deformarunt, variaſque etiam populorum in iis exponendis abſurdas opinationes, nullum inferre poſſe aut debere præjudicium præcipuæ, quam modo propugnamus, veritati, ſive, ut ita loquar, rei ipſius ſubſtantiæ, homines videlicet poſt mortem pro meritis vel præmio affici, vel pœna. Liquet hoc aperte alterius certiſſimæ veritatis exemplo, ſupremi ſcilicet cujuſdam Numinis exiſtentiæ. Nemo quippe neſcit, quam varia, quam fabuloſa, quam abſurda de Deo ſenſerint miſeri mortales: quibus figmentis obvolutam divinitatem repræſentarint, quibus erroribus Dei naturam, & attributa fœdaverint vel ipſi cultiores populi, & ſapientiores Philoſophi. *Qui Deos*, inquit Tullius libro primo de Natura Deor. *eſſe dixerunt, tanta ſunt in varie-*

(a) Cum dico *naturalem vim aut impreſſionem*, non excludo traditionem a primis parentibus in filios, & ex his a Noeti familia in alias nationes propagatam. Quinimo eam complector. Verum arida & jejuna ſola traditio fuiſſet *ſine voce aut teſtimonio naturæ*. Conſenſus enim generis humani circa creditam animi immortalitatem, & futuræ vitæ præmia vel ſupplicia, ex ſolius traditionis virtute pendere nequit: cum plane non appareat quomodo ubique locorum hæc perſuaſio conſervari potuerit tot ſeculis, atque inter tantas orbis gentiumque viciſſitudines, niſi eadem contineretur intimis ipſius naturæ receſſibus. Et hæc de vita animæ poſt mortem ſententia ipſis animi humani perturbationibus admodum inimica jam pridem periiſſet.

Digitized by Google

varietate ac diſſenſione conſtituti, ut eorum moleſtum ſit annumerare ſententias. Nam & de figuris Deorum, & de locis, atque ſedibus, & actione vitæ multa dicuntur, deque his ſumma Philoſophorum diſſenſione certatur: Quæ fuſius perſequitur lib. 2. Neque tamen propter has de Deo opiniones, & commenta quiſpiam ſapiens non agnoſcit efficaciſſimum eſſe ad probandam Dei exiſtentiam, quod ab omnium gentium conſenſione ducitur, argumentum: ut fatetur Tullius idem tum lib. 2. laud., tum lib. quæſt. Tuſcul. his verbis: *ut firmiſſimum hoc afferri videtur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava ſentiunt; id enim vitioſo more effici ſolet: omnes tamen eſſe vim, & naturam divinam arbitrantur.* Si igitur fabulæ & abſurdæ opiniones hominum, quibus ſummi Dei notionem ſæpe corruperunt, atque corrumpunt, nihil omnino officiunt argumento, quod ex omnium conſenſione in aliquo ſupremo Numine ac moderatore agnoſcendo deſumitur; neque officere quidpiam poterit eidem argumento, quo alterius vitæ ſtatus veritatem adſtruimus, opinionum in eo explicando varietas, fabulæque quamplures, quibus illam adſperſerunt vel Poetæ, vel nationes. Quamquam enim in diverſa commenta veluti membratim diſcerpta ſit veritas, recolligi tamen, unique formæ reſtitui facile poteſt, ſecluſis fabulis, ita ut in re ipſa omnes convenerint, ſolumque in ea proponenda diſſenſerint. Hinc Plato in libris de Republ. Poetarum fictiones contemplans, vult quidem contemni, & tamquam aniles fabulas haberi, quæ de Cocyto, Styge, vel Tartaro confinxerunt, retinendam nihilominus eſſe ſententiam de ſceleſtorum ſuppliciis commentis hiſce purgatam, quam & ipſe Plato profitetur ac celebrat, & ipſi profitentur ac celebrant Poetæ, dum fabuloſis narrationibus obvelatam, atque obductam proponunt.

III. Animadverto præterea lubenſque concedo ea, quæ plures, maxime Philoſophi, de animæ natura tradiderunt, haud ſatis quandoque cohærere cum iis, quæ ſpectant futurum vitæ ſtatum, animæque ipſius immortalitatem, ſine qua ille ne concipi quidem valet. Permulti ſane veteres Philoſophi, ac integræ etiam nationes falſa, & abſurda non pauca de animæ natura credidere. Alii etiam dixerunt vel puriorem quemdam aerem, vel ignem, vel quintum corpus ab elementis diverſum, vel aliud aliquid ſimile: quæ placita cum animæ ipſius immortalitate pugnare videntur (ut plures ſaltem exiſtimant, quorum ſententiam ego non probo) quæ ex ejus ſpirituali natura maxime pendet. Neque tamen ex hoc ſtatim colligere fas eſt illos animæ immortalitatem, aliumque vitæ vel beatæ, vel miſeræ ſtatum non agnoviſſe: quemadmodum perperam idem quiſpiam inferret ex doctrina aliquorum Patrum, puta, Tertulliani, quod animam ſubtili quadam materia conſtare opinatus ſit. Illud itaque ut ſummum ex hoc colligi poteſt eos germanam non habuiſſe de intraneo immortalitatis principio notionem, & in eo fuiſſe deceptos, ſi alias de eorum mente ſatis liqueat quoad futuram animæ conditionem.

IV. Demum animadverto: ſi id ſolum aliquando conſtiterit aliquos poſuiſſe poſt mortem bonorum operum præmia, jure optimo concludi poſſe, poſuiſſe etiam malorum pœnas: vitium namque & virtus ſibi contraria ſunt: adeoque ſi hanc præmium manet, illud manere pœnam neceſſaria conſecutione omnibus manifeſta deducitur. Quin immo potior ratio, magiſque evidens militare videtur pro pœna, quam pro præmio admittendo. Ad exercenda enim virtutis opera, legeſque a Deo præſtitutas obſervandas, pluribus aliis titulis tenentur homines, quacumque etiam ſpe remunerationis ſecluſa. Tenentur utique Deo obtemperare, fideliterque deſervire, ut rerum omnium Principio & Conditori, ut Conſervatori, ut temporalium bonorum largitori, ut ſupremo Domino, ut Ultimo fini, aliiſque qui ſatis eſſe deberent ad noſtrum erga ipſum obſequium, & cultum extorquendum,

etiamſi

etiamſi nullum poſtea præmium expectandum a nobis foret. Non ita ſe res habet de operibus malis, legumque divinarum tranſgreſſionibus, pro quarum juſta compenſatione nihil aliud occurrit quam pœna pro eiſdem ſubeunda, per quam ea ponatur in rebus æqualitas, quam pulcre declarat S. Thomas libro 3. Con. Gen. cap. 140. Hinc majore quadam nos indignatione commoveri ſolemus, dum in humana ipſa Republica nefarii homines nullam recipiunt ſcelerum ſuorum vindictam, quam cum viros honeſtos ac probos ſine honorum, ac dignitatum præmio conſpicimus. Quin immo addo vel ex animæ immortalitate a quibuſdam tantum expreſſa ſatis veriſimili ratione colligi, recte quoque de futura pœna ac præmio ſenſiſſe: neque enim intelligi poteſt quin ſuperſtes anima vel ad felicitatem permaneat, vel ad miſeriam.

V. His itaque pro rei dignitate merito animadverſis, conſtanter affirmo communem eſſe, ſemperque fuiſſe apud mortales fidem, aut perſuaſionem poſt hanc vitam aliud extare vitæ genus, ſicut piis juſtiſque feliciſſimum, ita miſerrimum impiis, ac ſceleſtis hominibus. Cum id aſſero, non eo in ſenſu propoſitionem accipi volo, ac ſi neminem admitterem, qui contra opinatus fuerit. Fateor fuiſſe ſemper, & etiamnum eſſe Atheos, & incredulos. Novi Epicurum, ejuſque gregales Lucretium, Galenum, Plinium, Alexandrum, alioſque animos poſuiſſe mortales, atque adeo omnem futuræ vitæ ſpem, metumque ſuſtuliſſe. Id unum itaque contendo, eam perſuaſionem prævaluiſſe ſemper in omni populo ac gente, & apud meliores cordatioreſque Philoſophos, ita ut ſi cum iis qui in adverſam iere ſententiam conferantur, nec eam habituri ſint proportionem, quam mille ad unum: quod ad generalem conſenſum adſtruendum ſufficere, atque inde naturæ vocem eruendam nullus jure diffitebitur. Propoſitionis itaque noſtræ ſic expoſitæ veritatem quamplurium teſtimonio, & authoritate prius oſtendo, tum deinde inita per omnes gentes, de quibus quidpiam litteris proditum eſt, excurſione, manifeſtiorem reddo.

VI. Igitur communem fuiſſe hominum perſuaſionem impios poſt mortem ſuppliciis plecti, ſicut & pios præmio donari, conſtare videtur ex veterum plurium, eorumque graviſſimorum Scriptorum authoritate, qui eam tamquam indubitatam vel aſſerunt, vel ſupponunt. Id in primis diſertiſſimis verbis teſtatur Seneca, qui Epiſt. 117. ait: *cum de animorum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac perſuaſione publica*: paremque facit hujuſmodi conſenſum cum eo, qui Dei exiſtentiam ſpectat. Teſtatur id etiam Sextus Empiricus libro 7. contra Mathemat. affirmans *de inferis, ſicut de Diis, omnes homines habere notionem*. Idem quoque habet Plato in Apolog. opinionem de vita functorum ſtatu apud omnes communem proponens: & lib. de Repub., ubi impiorum ſupplicia refert, tamquam non ſibi credita, ac perſuaſa modo, ſed a ſuperioribus ſæculis, & antiquis nationibus manantia. Diſertum item eſt de hac conſenſione teſtimonium, quod ſuppeditat liber *de ſecretiori parte divinæ ſapientiæ ſecundum Ægyptios* inſcriptus, qui Ariſtoteli a quibuſdam adjudicatus fuit, at certe antiquiſſimi eſt Authoris (a). Nam lib. 1. cap. 4. ſic differit: *Veterum, recentiorumque Theologorum, philoſophorum, ac populorum ſumma fuit conſenſio animum corporis illecebris captum, inde odium ſtatim incurrere: atque iccirco peccata eſſe fugienda, & illas corporis illecebras tollendas: Sic enim Deum nobis futurum propitium. Neque vero ſi majores de animi immortalitate dubitaſſent, ad eam confirmandam, dictante natura, legem poſuiſſent, cui nemo adverſatur, niſi qui vitiis detinetur.*

VII. His ſuffragatur Cicero lib. 1. quæſt. Tuſc. ubi ſic loquitur: *Authoribus quidem ad iſtam ſententiam* (de animæ immortalitate) *quam vis obtinere, uti optimis poſſumus: quod in omnibus cauſſis & debet, & ſolet valere plurimum. Et pri-*

(a) vide Jacob. Carpent. præf. ad hunc librum.

primum quidem omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat. Itaque illud unum erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus intereat: idque tum multis aliis rebus, tum e Pontificio jure, & cæremoniis ſepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis prediti nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili Religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus mortem non interitum eſſe omnia tollentem, atque delentem, ſed quamdam quaſi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris, ac fœminis dux in cælum ſoleret eſſe, in cæteris humi & retineretur, & permaneret tamen.

VIII. Teſtes etiam communis hujus notionis locupletiſſimos habemus Sanctos Eccleſiæ Patres. S. Joan. Chryſoſtomus Homil. 6. de perf. charit. poſtquam ſupplicia memoravit, quæ juſtiſſimus Judex improbis luenda reſervat, hæc ſubdit: *num contradicentibus perſuademus, quæ de illa* (Gehenna) *narrantur non eſſe fabulam? Ita enim vera ſunt, ut non nos tantum, ſed etiam Poetæ, Philoſophi, & fabularum Scriptores de futura pro merito ſorte philoſophati ſint, & improbos in inferno cruciari dixerint. Nam etiamſi hæc vere ut ſunt, enarrare non potuerunt, utpote qui ex ratiocinio tantum, & ex noſtra doctrina male accepta ad id permoti fuerint; attamen illi imaginem quamdam judicii adepti fuerant. Cocytos enim memorant, pyriphlegethontas fluvios, & ſtygis aquam, & Tartarum tantum a terra diſtantem, quantum ipſa a cælo, multos quoque alios ultionis modos.* Et homil. 4. de Fat. & Provid. de Græcis, ac cæteris idem ſenſiſſe generatim affirmat, ita incredulum hominem alloquens: *nihilne poſt hanc vitam eris, o homo? & tu hanc ſententiam oppugnas? Græci, qui tot in rebus delirarunt, hujus tamen dogmatis veritati non reſtiterunt. Quod ſi illos ſequaris, aliquam certe illi vitam poſt hanc eſſe conceſſerunt, & rationes reddendas, & judicia apud inferos, & ſupplicia, & honores, calculos, atque judicia. Si Judæos interroges, atque hæreticos, ſi quemvis hominem, reverebitur ille hujus dogmatis veritatem. Etſi in aliis differant homines, in hoc tamen omnes conveniunt, & dicunt eorum, quæ hic geſta ſunt, rationem ibi reddendam eſſe.*

IX. Idem teſtatur S. Clemens Alexandrin. lib. 5. ſtromat. dicens: *Supplicia poſt mortem, & pœnas, quæ igne luuntur a barbara philoſophia, & univerſa Muſa poetica, & Græca etiam ſurripuit philoſophia.* Eadem etiam tradunt S. Teophilus Antioc. *lib.* 1. *ad Autol. n.* 14., Minucius Felix *in Octavio n.* 35., Lactantius Firmianus *lib.* 3. *n.* 3., S. Gregorius Nazianzenus *orat. in Julian.*, & alii.

X. Præter hæc ſummorum virorum teſtimonia efficax argumentum ſumitur ad eamdem de futuro immortalis vitæ ſtatu communem hominum perſuaſionem comprobandam, ex plurium Deorum cultu, qui totum olim ferme orbem pervagabatur. Nam utcumque idololatriæ origo explicetur, illud exploratum eſſe debet homines præſertim fuiſſe, quos a morte tamquam Deos gentes colebant. Id fuſe commonſtrat S. Auguſtinus in libris de Civitate Dei, confirmatque authoritate Gentilium Scriptorum. Lib. 6. cap. 7. tradit Euhemerum Meſſenium *omnes tales Deos non fabuloſa garrulitate, ſed hiſtorica diligentia homines fuiſſe, mortaleſque conſcripſiſſe.* Et lib. 8. cap. 26. idem veluti extra dubium omne conſtitutum proponit inquiens: *tanta homines impii cæcitate in montes quodammodo offendunt, ut non adtendant in omnibus litteris Paganorum aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non homines fuerint, mortuiſque divini honores delati ſint. Omitto, quod Varro dixit, omnes ab eis mortuos exiſtimari manes Deos, & probat per ea ſacra, quæ omnibus fere mortuis exhibentur.* Idemque probare pergit authoritate Hermetis, ſive Mercurii Triſmegiſti.

XI. His omnino aſſentitur Cicero lib. 1. de Nat. Deor. dicens: *quid, qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt poſt mortem ad Deos perveniſſe, eoſque ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus.* Ac deinde: *quæ ratio maxime tractata ab Euhemero eſt, quem noſter & interpretatus, & ſecutus eſt præter cæteros Ennius. Ab Euhemero au-*

tem & mortes & ſepulturæ demonſtrantur Deorum. Libro item 2.: *Suſcepit autem vita hominum, conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama, ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor, & Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber.... hinc etiam Romulus, quem quidem eumdem eſſe Quirinum putant. Quorum cum remanerent animi, atque æternitate fruerentur, Dii rite ſunt habiti, cum & optimi eſſent, & æterni*. Hinc Tullius ipſe lib. 2. *de legib.* commendat hanc legem: *colunto & illos, quos in cælum merita vocarunt, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum*. Hinc etiam Apotheoſis Cæſarum & Auguſtorum, de qua frequens in Romana hiſtoria mentio.

XII. Equidem non inficias eo, alios præter homines fuiſſe apud gentes Deos, ac præſertim *Solem*, *lunam*, *aſtra*. Sed illud tamen ratum firmumque eſt morem hunc conſecrandi homines in Deos apud omnes ferme nationes invaluiſſe, nempe veteres Etruſcos, Romanos, Pelaſgos, Ægyptios, Aſſyrios, Phryges, Cilices &c. de quibus legi poteſt Jo. Gerardus Voſſius lib. 1. de Orig. Idololatriæ, ubi rem hanc erudite admodum pertractat.

XIII. Ex his itaque hoc conficitur argumentum: Non poterant tot tamque variæ nationes homines in Deos conſecrare, atque una tamquam Deos colere & precari, niſi perſuaſum ipſis fuiſſet eorum animas a morte ſupereſſe, eaſdemque in ſtatu plane beato ac feliciſſimo reperiri, unde etiam cultores ſuos juvare poſſent, ac ornare beneficiis. Talem porro vitæ ſtatum non alia ratione aſſecutos eſſe putabant, quam ob ſingularia merita, quæ ſibi in hac mortali vita præclaris virtutum operibus comparaverant. Igitur ex oppoſito inferre licet alium quoque miſerrimæ vitæ ſtatum credidiſſe, qui iis pro merito deberetur, qui pravis actionibus ſe in hoc mundo dedidiſſent, Reipublicæ pacem ſceleribus, ac flagitiis perturbaſſent, humanoque generi damna, ac ruinas intuliſſent. Alterum quippe ſine altero, ut jam prænotavimus, non videtur poſſe conſiſtere. Verum a generalibus hiſce argumentis ad peculiaria deſcendamus, omniumque præcipuarum nationum, ſive quæ olim extitere, ſive quæ hodieque extant, ſenſum hac de re perſcrutemur. Ab ea exordium ſumo natione, quæ omnium jure meritoque habetur antiquiſſima, Judæorum videlicet, cujus libris cum Deiſtis diſputans non aliam fidem tribui poſtulo, quam quæ probatis cæterarum gentium monumentis tribuitur.

CAPUT VII.

Judæorum ab Excidio Hieroſolymitano ad hæc tempora firma de alterius vitæ ſtatu perſuaſio, nemine refragante. Quid cenſeant aliqui de vetuſtioribus Judæis. Concordes in eadem veritate eos ſemper fuiſſe pluribus manifeſtum fit. Fruſtra opponitur Moſaicæ legis de præmiis, pœniſque ſequuturis ſilentium. Legis illius indoles, & ingenium declaratur. Egregia de hac re S. Auguſtini diſtinctio. Eccleſiaſtæ locus late expoſitus. Quam futile ſit argumentum, quod a Sadducæis adverſarii promunt.

I. Judæorum itaque de futura impiorum ſorte ſententiam primo loco veſtigaturus, triplicem eorum ſtatum diſtinguo: alterum a prima eorum Origine ad uſque Chriſti ſervatoris noſtri & excidii Hieroſolymitani ævum: alterum a Chriſto, & everſa Hieroſolymorum urbe ad hæc uſque tempora: ac demum ſtatum, quem nunc obtinent in univerſo mundo. Judæos ævi noſtri animarum poſt mortem vel præmia vel ſupplicia profiteri, nullus dubitat: noſque infra de horum placitis aliqua diſſeremus. In eadem quoque fuiſſe ſententia eos, qui præceſſerunt ad Hieſolymæ uſque everſionem, & Chriſtianæ Religionis initia, res adeo comperta eſt, ut plane & otio meo, & Lecto-

rum

rum patientia abuterer, ſi id latius oſtendere vellem. Conſtat id apertiſſime de Judæis, qui Chriſti, & Apoſtolorum ætate vixerunt, tum ex Evangeliis, & canonicis Epiſtolis, tum ex Joſepho hiſtorico in libris *Antiq. Judaic.*, & *de bello Judaico*, ubi enarrat quid de pœnis poſt obitum, vel præmiis ſentirent ſectæ inter Hebræos celebratiſſimæ Eſſenorum, & Phariſæorum piis nempe animabus amœna loca aſſignaſſe, vitamque feliciſſimam, malis vero procelloſa, ac triſtia, gemitibus æternisque cruciatibus damnata: cujus Authoris verba opportunius alibi proferam. Conſtat id etiam de cæteris, qui ſucceſſere, Judæis tum ex libris Talmudicis, qui plurimis in locis & *terram viventium*, & *Gebennam* prædicant, tamquam ſedes piis, impiisque paratas, & impiorum ſupplicia varia deſcribunt: tum ex aliis libris Rabbinorum ſequioris ætatis, qui ipſa inferni loca diſtinguunt, pluraque tormentorum genera proponunt ad ſceleſtos plectendos. Qua de re conſentiunt omnes, nec ullum inveni, qui eam in dubium vocare auſus fuerit.

II. Ex horum Judæorum poſt legem abolitam, poſt templum everſum, eorumque in varias gentes diſperſionem in alterius vitæ ſtatu profitendo firma conſenſione, legitimam conjecturam informare ſtatim licet, non tum primum ipſorum animis hanc inſediſſe ſententiam, ſed eam a ſuis majoribus continenti ſerie accepiſſe, ſemperque ab illis fuiſſe probatam. Quis enim ſibi perſuadeat melius de animæ ſorte, divinaque Providentia ſenſiſſe Judæos ex eo tempore, quo ſuis pulſa ſedibus miſera gens, extorris ac profuga aliarum nationum imperio ubique paret, ſine templo, ſine ſacerdotio, ſine ulla Reipublicæ facie; quam dum eorumdem florebat imperium, ac Sacerdotibus, Dei Prophetis, viriſque ſanctiſſimis, in iis, quæ Religionem ſpectant, inſtruebantur?

III. Nihilominus id ſibi, aliiſque perſuadere non verentur aliqui, ſi fides Baſnagio (*a*) & Calmetto (*b*). Putant hi nimirum Judæis olim ſolas innotuiſſe pœnas vel præmia temporalia pro juſtorum, pravorumque operum merito: quorum præcipuum fundamentum illud idem eſt, quo veteres quidam Hæretici ad legem Moſaicam reprobandam adducti ſunt, quod nempe non alia præter iſta lex illa polliceatur, aut comminetur, ut in Moſis Pentateucho, maximeque in libro Deuteronomii videre eſt.

IV. Alii vero opinantur ſola Machabæorum ætate ex commercio cum Græcis didiciſſe Judæos diligenter inquirere in ea, quæ ab Homero, & Heſiodo ſcripta fuerant de inferis, Tartaro, campis elyſiis &c. ac tunc primo Judæorum Doctores in ſectas varias diſtractos eſſe. Plures enim Græcorum dogmata approbarunt, adeoque & vitam aliam, in qua tum probi, tum improbi pro meritis reciperent, poſuere: cæteris vetera gentis præjudicia retinere viſum eſt. Atque inde ſubortas credunt eas ſectas, quæ poſtremis Reipublicæ Judæorum ſæculis Judæos ipſos inter ſe diviſerunt: Phariſæis, & Eſſeniis Græcorum doctrinæ maxime conſentientibus: Sadducæis autem in vetuſta Hebræorum traditione perſeverantibus.

V. At quam longe a vero abludat utraque ſententia, innumera ſunt, quæ evidenter oſtendunt. Plurima dabimus in ſecunda ac tertia hujus operis diſſertatione, ubi de qualitate, ac duratione pœnarum differetur. Pauca interim, ſed prorſus decretoria, argumenta ſufficiant. Primum ſumitur ex tribus hiſce principiis, quæ rata ſemper apud Hebræos fuiſſe, dubitare nefas. Primo ſcilicet quod mortui ad vitam revocari poſſunt, ac omnes demum revocandi forent, ut patet ex mortuis ab Elia, & Eliſeo ſuſcitatis, ſicut lib. 3., & 4. Regum legitur, & ex eo, quod non infrequenter ſacri Prophetæ, ac præſertim Ezechiel, & Oſeas de reditu agat e captivitate Babylonica, & He-

H

(*a*) Tom. 4. lib. 6. cap. 31. Hiſt. Jud. (*b*) in Dict. o.

Hebræorum liberatione ſub nomine & emblemate univerſalis reſurrectionis, quam omnibus perſpectam ſupponebant. Secundo, quod iidem mortui per viſum mortalibus interdum apparerent: de quo ſacræ litteræ nonnulla exempla ſubminiſtrant. Tertio, quod de futuris eventibus conſulerentur, de quo plura occurrunt in iiſdem ſacris codicibus, qui procul dubio longo ante Homerum, cæteroſque Græcos Poetas, intervallo conſcripti ſunt, egregia documenta. Nam & in Levitico cap. 19., & 20. damnantur, qui mortuos conſulentes interrogant, & lib. 1. Regum, ut alia prætermittam, celebris refertur hiſtoria Saulis Pythoniſſam conſulentis, ſciſcitantiſque ut colloquio cum Samuele jam demortuo, frui ſibi liceret: quod neutiquam feciſſet, niſi defuncti Prophetæ animam tum fuiſſe ſuperſtitem exiſtimaſſet. Quorſum autem manerent animæ poſt diſceſſum a corpore, niſi vita ſive felici, ſive miſera pro ratione eorum, quæ in corpore geſſerint, fungerentur?

VI. Ulterius dum de Patriarcha Abraham dicitur: *mortuus eſt in ſenectute bona* &c. *congregatuſque eſt ad populum ſuum*, haud certe Moſes intellexit de ſui corporis ſepultura, ſed de congregatione cum animabus ceterorum Patrum, quorum nemo in valle Mambre ſepultus fuerat. Paria verba dicuntur de Iſmaele, nempe *appoſitus eſt ad populum ſuum*: eademque leguntur de Jacob. Præterea dum idem Patriarcha Jacob jam letho proximus ſemetipſum ſpe ſalutis ac redemptionis ſolabatur inquiens: *ſalutare tuum expectabo Domine*, non temporariam quidem, ſed æternam ſalutem animo proſpiciebat. Eamdem etiam contemplabatur vir ſanctiſſimus Job cum diceret: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Balaamus quoque cur tam ardenter optaſſet ſe *mori morte juſtorum, fierique noviſſima ſua horum ſimilia*, ſi nihil poſt obitum ſibi ſperabant metuebantque Judæi? Quid ſignificabat Regius Propheta cum diceret: *educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo: me expectant juſti donec retribuat mihi*: & rurſus: *credo videre bona Domini in terra viventium*: aut *placebo in regione vivorum*, niſi præmia illa in patria Cæleſti juſtis omnibus a Dei munificentia parata? Ut e contra quid ipſe, aliique nomine *terræ oblivionis*, *terræ miſeriæ*, *Regionis umbræ mortis*, *Putei abyſſi*, *Perditionis* ſimiliumque intelligebant, niſi locum illum calamitoſiſſimum, ſive Gehennam aut infernum, ad quem impii a Dei juſtitia damnantur? Abigail etiam dum ſic Davidem affata eſt (a): *Erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viventium apud Dominum Deum tuum. Porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi in impetu, & faſciculo fundæ*; nonne tropica hac locutione deſignavit, quod in populi opinione jam erat, diverſam nempe in altera vita juſtorum, injuſtorumque ſortem? Quid enim *faſciculus viventium*, niſi futura piorum felicitas, quid *animæ rotatio*, niſi impiorum in inferno cruciatus?

VII. At fine tropis, ac metaphoris loquuti ſunt alii plures. Tobias cap. 2. v. 18. ſic reponebat parentibus, & cognatis, qui eum irridebant, quod nullum ex bonis operibus, quæ faciebat, fructum perciperet: *Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Judith cap. 16. 20. ita de ſceleſtis pronunciabat: *Dominus omnipotens vindicabit in eis: in die judicii viſitabit illos: dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum.* Daniel etiam cap. 12. 2. de futuro judicio loquens ſcribit: *multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti*,

(a) Reg. 1. cap. 25.

ti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Quid clarius?

VIII. Permulta alia occurrunt ejuſdem rei diſertiſſima teſtimonia, in Judæorum hiſtoria, in libris Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & in Prophetiis Iſaiæ, Ezechielis, aliorumque ſacrorum Vatum, quorum non pauca in locis a me laudatis expendam, Hi omnes citra ullam dubitationem Machabaica tempora præceſſerunt, immo plures præceſſere ipſum Homerum, Heſiodum (a), cæteroſque Poetas Græcos: alii vero vel ſynchroni, vel coævi ſuppareſve fuerunt hiſce Authoribus, adeo ut eorum nemo quidpiam ex horum ſcriptis delibare potuerit, vel ſaltem delibaverit, & in ſuccum ſuum tranſtulerit, merumque commentum, atque illud quidem putidiſſimum ſit hanc primo Judæos imbibiſſe de futuræ vitæ pœnis opinationem, quando ſoluta jam captivitate, & everſo Perſarum imperio cum Græcis rerum potientibus converſari cœperunt.

IX. Qui adverſus ſplendidam hanc veritatem ariolantur, deploratæ ſententiæ ſuæ patrocinium quærunt in ipſis ſacris libris, eaque præcipue opponunt, ut jam advertimus, quæ olim a quibuſdam hæreticis, alio licet fine, objecta, jam a Sanctis Patribus, Eccleſiæque Doctoribus penitus contrita fuere. Ajunt itaque primo loco, haud melius dignoſci poſſe, qua olim tenerentur opinione Judæi quoad præſentem quæſtionem, quam ex lege ipſis a Moſe data, & quidem divina inſtitutione, ac mandato, ut præſumitur. Porro ſi legem inſpicimus, non alia pro juſtorum pravorumque operum retributione, niſi temporalia præmia pollicetur, aut ſupplicia minatur. Deterret ſiquidem lex illa a præceptorum tranſgreſſione Iſraeliticum populum comminationibus prematuræ, vel ignominioſæ mortis, intentat excidium capitale, familiæ deſtructionem, ſoli ſterilitatem, in alienas terras tranſmigrationem, cædem in bello, atque hoſtium perſecutionem, cælum æneum, ac terram ferream, hiſque ſimilia. Allicit e contra ad legis obſervantiam ſpe vitæ diuturnioris, meſſis uberrimæ, victoriæ de inimicis, divitiarum, aliorumque ſenſilium bonorum copia. Nuſpiam vero aut mors æterna, aut cruciatus poſt vitam hanc perferendi denunciantur: Nuſpiam de Paradiſo, aut alterius vitæ gaudiis ſermo. Qui igitur, colligunt illi, fieri poteſt, ut rudis populus ita a Legislatore ſuo inſtitutus, ſola ſpe temporalium bonorum enutritus, miniſque præſentium malorum duntaxat abſterritus, de bonis aliis, maliſque majoribus, atque futuris cogitaret?

X. Hanc objectionem, quam magno illi verborum apparatu exaggerant, & cui maxime fidunt, vel unica hac animadverſione funditus diruere, & labefactare poſſem, quod nempe tum nuperi Judæi, tum qui extitere per viginti ferme retro ſæcula, non aliam habent, habueruntque legem præter Moſaicam, in qua de pœnis tantum præmiiſque temporariis, expreſſa ſaltem, mentio fit: neque tamen ambigere poſſumus quin iidem & cogitarint, & cogitent de futuræ vitæ remuneratione, & exitio, horumque extantiam perſuaſiſſimam ſemper habuerint. Quidni igitur idem quoque crediſiſſe putemus antiquiores Judæos, nihil omnino obſtantibus promiſſionibus, ac minis bonorum malorumque temporalium, de quibus lex loquebatur? Id ſane eos indubitanter crediſiſſe affirmant recentiores Judæi, ac Rabbini, & tamquam exploratum habent Thalmudiſtæ, aliique ex veteribus: quorum de hac re teſtimonium repudiari jure nequit.

XI. At enim vero qui ita in hoc argumento Moſaicæ legis verbis inſiſtunt, vel non attingunt, vel ſe attigiſſe diſſimulant ſcopum, quem ſibi præcipue

(a) Juxta probabiliorem ſententiam Homerus & Heſiodus non floruerunt niſi circa annum mundi 3100., ante æram Chriſtianam 900., adeoque circa tempora Joſaphati, aut Jorami Regum Juda, & Accabi, aut Jeu Regum Iſrael.

in ea ferenda præfixit divinus Legiſlator. Ea nempe erat illius legis indoles, ac ingenium, ut ſub figuris rerum ſenſilium, ac temporalium, præſignaret myſteria gratiæ in novo fœdere revelanda, reſque ſpirituales, cæleſtes ac ſempiternas: ut tum ex iis, quæ paſſim tradit S. Paulus, tum ex aliis plurimis, manifeſtum eſt. Quare etiam doctrina de ſtatu futuræ vitæ vel felici, vel miſero ſub figuris ac typis terræ promiſſæ, felicitatis terrenæ, aut excidii, mortis, perditionis, aliiſque communioribus vocabulis, ac loquendi formulis, implicite occulteque enunciabatur: quorum intimum ſenſum Prophetæ, Sacerdotes, cæterique viri ſancti cælitus edocti introſpiciebant, rudique populo aperiebant. Atque hinc prognatum putat V. Cl. Grotius (a) diſcrimen illud inter Judæos antiquitus celebratum, *legis ſcriptæ*, & *legis oralis*, quam *traditionem* appellant, & ab ipſo Moſe profectam credunt: non quod res aliæ in traditione fuerint, aliæ in lege ſcripta: ſed quod ea, quæ in lege ſcripta occultius continebantur, enucleatius, & apertius per legem oralem proponerentur.

XII. Sed ut veritas magis effulgeat, abigaturque occaſio omnis calumniandi vetus teſtamentum, quod promiſſiones, minaſque temporarias duntaxat efferret, aliis tantum præfiguratis, & adumbratis, ſub oculos ponenda eſt egregia diſtinctio veteris teſtamenti, ſive legis ſcriptæ quam tradit S. Auguſtinus *lib. de geſtis Palæſt. cap.* 5. Hoc enim nomine, ut docet ille, vel intelligitur pactum illud, quod in Monte Sinai factum eſt, vel omnia, quæ tum in Moſe, tum Hagiographis, & Prophetis continentur. Si lex primo in ſenſu accipiatur, prout proprie deſignat pactum in Sina factum, quo modo accipitur ab Apoſtolo in ſuis cum Judæis diſputationibus, non habuit niſi terrena promiſſa, terrenaſque comminationes, ut ex Levitico, & Deuteronomio ſatis conſtat: quæ bona ampliora vel deteriora mala ex ipſa Dei intentione adumbrabant, ac figurabant. Si autem ſumatur in ſenſu poſteriore, dicendum omnino eſt, non typicam tantum, & umbratilem continere futurorum bonorum malorumque notitiam, ſed ſatis explicatam & apertam, adeo ut a quocumque etiam rudiore intelligi facillime poſſet, ut liquet legenti libros Jobi, Pſalmorum, Salomonis, Prophetarum alioſque. Reſponſio certe (ut ab aliis pluribus afferendis ſuperſedeam) cap. tertio hujus differt. relata, quam adhibuere tum David, tum Hieremias, & Habacuc inſtitutæ quæſtioni, *quare via impiorum proſperatur?* non obſcure declarat, aliam eſſe vitam, in qua homines digna factis recipiant. Daniel quoque adeo aperte de omnium tum proborum tum improborum reſurrectione, & judicio diſſeruit, ut clariora vix deſideres: nec plane populus ea, aliaque ſimilia legens, vel audiens, quidpiam diverſum poterat intelligere. Hinc vidimus quid Tobias & Judith ex communi gentis Judaicæ ſenſu dicebant. Hinc pueri, quos Antiochus crudeliter necari juſſit, & ſibi inter immania tormenta glorioſam in cælo mercedem, & iniquo Regi damnationem in inferno paratam indubie aſſeverabant. Hinc Latro ipſe, vir, ſi quis alius, omnino rudis, a Chriſto, quem morientem cernebat, petiit ut Regnum ingreſſus, ſui memor eſſe vellet, vocemque, quam a Salvatore inaudivit, *hodie mecum eris in Paradiſo*, probe ab eo fuiſſe intellectam nemo negare auſit.

XIII. His tamen non acquieſcunt, quos in hac diſputatione adverſarios habemus, contenduntque perſuaſionem hanc ſaltem non ita conſtantem in Hebræa gente fuiſſe, ut plures de ejus veritate non addubitarent: immo expreſſe eamdem abnuerent; proferuntque in me-

(a) in caput 15. Matth.

medium celebrem illum Eccleſiaſtis locum, ut vel in ea opinione Salomonem verſatum eſſe probent: *unus eſt interitus hominum, & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ita & illa moriuntur, & nihil habet homo jumento amplius*. Proferunt etiam Sadducæos, qui cæteris minime contradicentibus, & reſurrectionem mortuorum, & animæ immortalitatem denegabant.

XIV. Sed levia hæc ſunt, nec veritatem tot momentorum præſidio circumſeptam concutere ullatenus valent. Quod Eccleſiaſtæ teſtimonium ſpectat, mirum profecto eſt adhuc eſſe, qui illud opponant, poſtquam tot ſacri Expoſitores Salomonis mentem ita in propatulo poſuerunt, ut nullum dubitationi locum reliquerint. Satis ſit huc afferre, quæ habet de eo Daniel Huetius *in ſua demonſtratione Evangelica*. Obſervat in primis priſcos aliquos Judæorum Rabbinos ob objectam ſententiam de eo libro repudiando, & abjiciendo deliberaviſſe, quemadmodum eſt in *Talmudico tractatu Sabbati cap. 2.* Apud Maimonidem in *More Nevachim*, & Aben Ezram: nec alia re abſterritos fuiſſe, quam quod initium libri, & finis optime legi conſentiant. Ex quo illud colligere proclive eſt, quam firmiter inhæreret Hebręorum animo ſententia de alterius vitæ ſtatu, ut ob aliqua verba cum illa in ſpeciem pugnantia, librum tam antiquum, & in canone ſacrorum librorum poſitum repudiare cogitaverint.

XV. Quæ poſtquam, & alia obſervavit Vir eruditiſſimus, germanum ſenſum illorum verborum, & Salomonis mentem aperit inquiens: „ Enim vero
„ parum attente ſunt in libri hujus le-
„ ctione verſati (qui ea verba oppo-
„ nunt): in quem ſi altius penetraſſent,
„ non ex ſua ſententia proferre ea Salomo-
„ nem reperiſſent. Is enim eſt Eccleſia-
„ ſtę ſcopus propoſitus, ut de finibus
„ bonorum, & malorum diſſerat. Varias
„ itaque ab initio ſtatim profert opinio-
„ nes, eaſque ad examen ſe ſuum revo-
„ caſſe, ac tandem repudiaſſe ait: & in
„ ea demum acquieſcit, quæ Deum ti-
„ mendum, ac mandata ejus obſervan-
„ da eſſe tradit. Nam poſtquam prio-
„ ribus quatuor capitibus argumentum
„ id in varias excuſſit partes, tandem
„ ita concludit: *cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias: multo enim melior eſt obedientia, quam ſtultorum victimæ, qui neſciunt quid faciunt mali.... Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam: neque dicas coram Angelo: non eſt Providentia: ne forte iratus Dominus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri. Tu vero Deum time.* „ Quibus impiorum homi-
„ num ſuſurros, & vanas adverſus Deum,
„ Deique Providentiam diſputationes a-
„ perte præcidit: Dei vero timorem, &
„ reverentiam, tum & devoti Deo, ac
„ ſimplicis animi obſequium commendat.
„ Septimo deinde capite ſic diſſerit: *luſtravi univerſa animo meo, ut ſcirem & conſiderarem, & quærerem ſapientiam, & ut cognoſcerem impietatem ſtulti, & errorem imprudentium... Ecce hoc invenit, dixit Eccleſiaſtes, unum & alterum, ut invenirem rationem &c.* Tum cap. ſeq. *& appoſui cor meum, ut ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtentionem, quæ verſatur in terra &c.* „ Ex his agnoſcitur de rerum
„ cauſſis, & finibus diu multumque ani-
„ mo ſuo diſputaſſe Salomonem, quę-
„ cumque autem mente agitaverat, expo-
„ ſuiſſe in hoc libro; quorum omnium
„ ea tandem eſt concluſio, inanes eſſe, ac
„ frivolas, damnoſas etiam, ac exitiales
„ hujuſmodi diſquiſitiones: non aliter
„ vero ſedatum iri motus illos animi,
„ ac fluctuationes, quam ſi nos ſupre-
„ mo Dei arbitrio permittamus. „ Et poſt aliquot alia animadverſa, ita pergit: „ De exitu vero animæ ejuſque im-
„ mortalitate, ac futura vita quid opina-
„ tus ſit, diſerte ipſe declarat his ver-
„ bis: *Scito, quod de omnibus his adducet te Deus in judicium:* & iſtis quoque: *antequam revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat: & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* „ Et his denique,
„ in quibus totius diſputationis finem
„ fa-

„ facit, & unde ipſius certa debet ſpe-„ ctari opinio „: *Deum time, & mandata ejus obſerva : hoc eſt enim omnis homo : & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit:* Quæ quo majoris eſſent momenti in animis legentium, doctiſſimos viros a ſe conſultos eſſe, & ex eorum ſententia librum a ſe conſcriptum ait. *Verba ſapientum, ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno.* Conſuli jubeo ſuper hoc argumento Gregorium Magnum Dial. 4. cap. 4. cujus hæc tantum afferam, cætera ſtudio Lectoris relinquam. *Hic liber idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſenſum, ut ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſententias, quaſi per inquiſitionem movet, quaſi tot perſonas in ſe diverſorum ſuſcepit. Sed Concionator verax velut extenſa manu omnium tumultus ſedat, eoſque ad unam ſententiam revocat, cum in ejuſdem libri termino ait: finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata &c.* Hæc fuſius fortaſſe quam neceſſe fuerat ad futilem objectionem diluendam : ſed non plane inutilia ad veritatem illuſtrandam.

XVI. Quoad Sadducæos attinet, equidem verum eſt illos animarum poſt mortem generatim vel ſupplicia denegaſſe, vel honores. At quid Adverſarii in favorem ſententiæ ſuæ ex his extundere poſſunt? In primis ii nonniſi poſt tempora Alexandri Magni ſub Machabæorum imperio ſuborti ſunt : ſuperiore namque ævo altum de ipſis ſilentium. Voſſius (a) hanc ipſis originem tribuit, quod cum Antigonus Sochæus dixiſſet *non eſſe ſerviendum Deo ſpe præmii, aut mercedis*, hinc Diſcipulus ejus Sadox occaſionem ſumpſit docendi non eſſe poſt hanc vitam præmium, & pœnam. Deinde pauci admodum erant cum cæteris Judæis comparati, iique ferme dignitatum gradibus inſigniores, adeoque opibus, ac deliciis affluentes, ex quibus faſtidium, contemptumque futuræ vitæ facile ingenerari, experientia nimium frequenti compertum eſt. Rudes etiam, craſſique adeo erant, ut nihil præter corpus, & materiam cogitarent, nullamque ſpiritualem ſubſtantiam agnoſcerent, ut conſtat ex *Actibus Apoſtol. cap.* 23. Hinc ut ſibi melius cohærerent ſacros omnes libros, præter Pentateuchum, repudiabant, quemadmodum affirmant veteres omnes, ac præſertim Origenes, Tertullianus, S. Hieronymus, Beda, aliique. Denique homines erant, nedum nullius Religionis, ſed etiam naturalis honeſtatis, ac probitatis prorſus expertes, ſceleſti, crudeles, hypocritæ, qui Proteos agebant, ſeque tempori, aliorumque genio, prout ſibi utile videbatur, ſtatim accommodabant, ita ut Judæorum Atheos, aut ſaltem Epicuræos non injuria eos appellare poſſis. Audi præ cæteris quibus illos coloribus pingat Joſephus Hebræus lib. 8. Antiquit. Jud. cap. 2. *Sadducæorum opinio*, inquit, *cum corpore extinguit ſimul & animas... Hujus ſectæ pauci ſunt, ſed fere dignitate præcipui. Ex horum tamen ſententia vix quidpiam agitur. Nam quoties magiſtratus, licet inviti ſuſcipiunt, Phariſæorum decretis aſſentiunt, ni facerent, non ferendi a plebejorum multitudine.* Et lib. 2. de Bello Jud. cap. 7. *Sadducæi inter ſe feris moribus diſcrepantes, & converſatio eorum circa exteros inhumana.* Qui ab his maleferiatis hominibus ſibi præſidium quærunt, ne illi deſperatam cauſam propugnant.

CA-

(a) lib. primo de Origin. Idololat.

CAPUT VIII.

Veterum nationum, quæ olim barbaræ audiebant, communis de alterius vitæ ſtatu conſenſio. Earum plures, omneſque ferme, de quibus aliquid litteris proditum, in confirmationem adducuntur, præſertim Chaldæi, Perſæ, Indi, Phœnices, Thraces, Arcades, Ægyptii, de quibus quædam animadvertuntur: Tum deinde Æthiopes, Lybiarum populi, nec non Scythæ, aliæque Arctoæ Gentes.

I. A Judęis omnium antiquiſſima natione ad veteres alias gentes progredior, tum quę Aſiam, tum quę Africam, & Europam incoluerunt. Pauca quidem de earum pluribus monumenta ſuperſunt, unde earumdem ſententiam de alterius vitę ſtatu colligere poſſimus: cum fere omnia injuria temporum interciderint; in iis tamen, quę adhuc extant, ſplendida elucent veritatis veſtigia, eaque ferme in decretis illorum continentur, qui ſapientes inter ipſas, aut Philoſophi, aut Magiſtri habiti ſunt.

II. Philoſophia, ſive ſapientia, quę extra Grçciam, & Italiam obtinuit, *Barbarica*, aut *Barbara* ab Antiquis, & a Modernis etiam appellari conſuevit. Hanc longe vetuſtiorem eſſe philoſophia Grçcanica, dubitare nefas eſt, quidquid ſcribat haud ęquus Grçcorum Aſſentator Diogenes Laertius, idque jam multis oſtenderunt S. Juſtinus Martyr, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Theophilus Antiochenus, Euſebius, Theodoretus, & alii ex Eccleſię Patribus: Immo id etiam ingenue profeſſi ſunt Sotion lib. 2. ſucceſſ. & Hermodorus Platonicus apud eumdem Laertium. Per omnes igitur nationes, quę barbara, ut vocant, ſapientia excultę ſunt, primum excurrendo palam facio fidem, ſive perſuaſionem apud eas ſemper olim celebrem fuiſſe, aliud poſt hanc extare vitę genus, probis quidem felicius, improbis vero miſerrimum: quamquam ſimplicem hanc veritatem fabulis pluribus, ac deliramentis inſperſerint, quę nihil eidem obeſſe ſupra prçmonuimus.

III. A Chaldęis primum incipio, quos *antiquiſſimum eſſe Doctorum genus* Cicero libro 1. de Divin. aliique conſentiunt. De his Pauſanias lib. 4. circa finem refert, *primos omnium memoriæ prodidiſſe eſſe hominum animos immortales*. Nec ſolum immortales, ſed prçmiis etiam, aut ſuppliciis pro meritis affici, ex dogmatis Zoroaſtri celebris Chaldęorum Magiſtri diſcimus. De hujus ętate non eadem quidem eſt eruditorum opinio. Alii, cum S. Auguſtino (*a*), Nino veterum Aſſyriorum Regi coęvum faciunt. Alii Zoroaſtrum alterum diſtinguunt, qui floruit ętate Darii Perſarum Regis, & antiquorum Chaldęorum doctrinam digeſſit, expreſſit, ac illuſtravit. Quicumque ille ſit, aut quovis tempore floruerit, inſtituto meo parum refert, cum etiam poſterior Zoroaſter ſatis vetuſtus ſit, nec prçterea aliud quidpiam docuerit, quam quod a majoribus acceperat. Summa igitur ejus doctrinę capita quoad prçſens argumentum, hæc erant: (b) *perpetuum eſſe bonum inter & malum conflictum duraturum uſque ad finem mundi. Tunc autem futuram omnium hominum reſurrectionem, atque judicium, quo quilibet juxta opera ſua vel præmium conſequetur, vel pœnam: nimirum Angelus tenebrarum, ejuſque aſſeclæ in obſcurum locum ablegabuntur æternum cruciandi. Angelus vero lucis, ejuſque fideles Diſcipuli in lucidiſſimam ſedem abibunt, ut digna retributione perpetuo perfruatur.* Habemus etiam ex Pſello *in compendiaria deſcriptione* Chaldaicę *doctrinæ*, & Pletho *in Orat.* pag. 81. hæc docuiſſe Chaldęos: *animus a ſede prorſus lucida in hoc*

(a) lib. 2. de Civit. Dei cap. . (b) vide Stanslejum, Bru'ceum &c.

in hoc corpus delapſus, ſi bene operam ſuam corpori accommodaverit, in eandem rurſus redit: ſin male, in ſedes has deteriores hinc ſe recipit, pro ratione eorum, quæ in vita fecerit. Pręter alia monumenta, quę fidem pleniſſimam faciunt de his dogmatibus a Chaldeis conſtanter receptis, habemus teſtes illuſtres Plotinum, Porphyrium, Jamblicum & Proclum, qui ea ab ipſis tamquam divinas voces ſuſcepere, & in doctrinam ſuam tranſtulerunt, ut poſtmodum conſtabit.

IV. A Chaldeis Doctoribus non modo Babylonii, & Aſſyrii, ut perhibent Ariſtoteles, & Sotion apud Laertium, inſtituti ſunt, ſed etiam Magi, qui in Perſide, Media, & Parthia inclaruerunt; quorumque tanta erat in iis Regnis authoritas, ut Tullio teſte (*a*), nemo Perſarum Rex eſſe poſſet, qui non ante Magorum diſciplinam, ſcientiamque percepiſſet. Illorum ſane inſtitutione eruditus Cyrus apud Xenophontem his verbis filios ſuos alloquebatur (*b*): *Nolite putare, filii, me, cum ab hac vita migravero, nuſquam aut nullum fore.... Nec vero clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quo diutius memoriam ſui teneremus. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit animos, dum in mortalibus eſſent corporibus, vivere: cum exiſſent ex his, emori: nec vero tunc animum eſſe inſipientem, cum ex inſipienti corpore evaſiſſet: ſed cum omni admixtione corporis liberatus purus & integer eſſe cœpiſſet, tunc eſſe ſapientem*. Huic Chaldæorum, Magorumque doctrinæ adeo firmiter amplæ illæ nationes inhæſere, ut nonnullos hodieque ex Zoroaſtri ſecta in Perſide reperire ſit, qui poſt tot ſæcula ea dogmata intemerate retineant citra ullam penitus variationem.

V. Veterum Indorum Magiſtri fuere Gymnoſophiſtæ, ut præter Ariſtotelem, & Sotionem apud Laertium tradunt Strabo, Apulejus, Solinus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, & alii. Inter eos, qui quadam generis ſucceſſione in ſtudio Religionis, & Sapientiæ præcellebant, *Bracmanes*, ut & modo, nominati ſunt: qui vero illud electione animi profitebantur, *Samanei*, five *Sarmanæ*, vel *Germanes* apud Strabonem: quorum vitam Bardeſanes Babylonius deſcribit, eoſque repræſentat, veluti invito animo præſentis vitæ curſum tranſigentes ob deſiderium melioris vitæ ad quam aſpirabant, ſeque poſt obitum conſecuturos credebant: adeo ut hac ducti opinione mortem ſæpenumero alacres ſubirent, tamquam certum ad immortalitatem iter. Generatim autem de Indis, eorumque magiſtris Bracmanibus ſcribit Strabo (*c*) *de immortalitate animæ & de judiciis apud inferos ſenſiſſe eadem, quæ Plato*. Et Diodorus Siculus de Indis refert (*d*), quod *magni faciant tribum Philoſophorum, eo quod ſacra Diis faciant, & curam habeant defunctorum, & quæ fiunt apud inferos præcipue noſſe credant*. Luculentius de iiſdem narrat Palladius (*e*) eos nimirum docuiſſe *originem animæ mentis eſſe cæleſtem, magnamque cum Deo habere cognationem.... expectare redeuntes animas Deum, ut quæ vitam pie inſtituerunt, honoret ut Deus, illas vero, quæ non obedCiverunt ejus legibus, condemnet: omne enim juſtum judicium apud eum eſſe, & vitam æternam apud eum paratam eſſe*. Ab iiſdem Bracmanibus præmia, & pœnas, quę quemlibet manent in inferis, didiciſſe Pythagoram refert Apulejus lib. 2. Alia plura de his, ut & de Sinenſibus, ac Japponiis infra producam, cum de nationum, quæ modo obtinent, in eadem veritate conſenſu differetur.

VI. Ejuſdem ſententiæ fuiſſe Phœnices, populum antiquiſſimum, qui colonias ſuas in plures Europæ Africæque partes invexit, multa ſunt, quæ convincant. In primis Thales Mileſius, qui,

(a) lib. 1. de Divinat. (b) Tullius in Catone, five de Senect.
(c) lib. 14. Geograph. (d) lib. 2. cap. 10.
(e) apud Jacobum Bruk.rum Tom. 1. Hiſt. Crit. Philoſoph. lib. 2. cap. . de Philoſoph. Indor.

qui, ut poſtea videbimus, animi immortalitatem defendit, felicemque aut miſerum ipſius ſtatum ſatis prodidit, a Phœnicibus originem traxit, & Miletum inde commigravit, ut apud Laertium. Phęrecidem itidem, qui Pythagoram docuit, quę de immortalitate animorum ſcripſit, Phęnicum commentaria naſtum eſſe, & ex his ſua dogmata hauſiſſe memorant Suidas, & Heſichius Mileſius de Philoſ. . Immo non deſunt, qui putent *Syrum* vocari (quomodo & Strabo vocat) non a Syra Cycladum una, ſed Syria regione Aſię inclyta, cujus etiam pars Phœnicia. Zeno pariter Cittienſis, juxta Laertium *in Zenone*, ex Cypria quidem fuit Civitate Gręcanica, ſed quę Phœnices haberet incolas. Itaque & dictus eſt *Phœnix*, ut ait Suidas, idemque tradit Cicero (*a*). Phœnices etiam fuere ex eadem Zenonis ſecta Antipater Sidonius Diogenis Babylonii auditor, & ſucceſſor, & Antipater Tyrius Catonis Uticenſis Pręceptor. Quos omnes ſtatum vitę futurum tenuiſſe certum eſt.

VII. Quęnam Thracum fuerit de argumento noſtro ſententia, ſatis cognoſci poteſt tum ex eorum Magiſtro Zamolzi, qui Pythagoram pręceſſit, & cum quo de animę doctrina conſentit, tum ex Orpheo, de quo infra, qui Thrax fuit: tum demum ex his, quę narrat Herodotus (*b*) de Trauſis, Thracię populo, quod nempe puerum recens natum uberrimis lacrymis propinqui ejus proſequerentur, utpote in calamitoſam hanc vitam profectum: *hominem autem fato functum per luxum, atque lætitiam terræ demandarent referentes quot malis liberatus in omni ſit felicitate*.

VIII. Arcades etiam eamdem ſecutos opinionem, pœnaſque futuras agnoviſſe exploratiſſimum eſt ex his Papinii Statii carminibus, (*c*) ubi infernum ex Arcadum relatione ita deſcribit;

Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras
Trames agit, nigrique Jovis vacua atria ditat
Manibus, Arcadii perhibent ſi vera Coloni.
Stridor ibi, & gemitus pœnarum, atroque tumultu
Fervet ager: ſæpe Eumenidum voceſque, manuſque
In medium ſonuere diem &c.

Refert quoque Ælianus (*d*) Cercidam Megalopolitanum letho proximum, cum a familiaribus ſuis interrogaretur, *num libenter migraret e vita*, reſpondiſſe, *ſe non ægre mortem obire: ſperare enim ſe conventurum ex Philoſophis Pythagoram, ex hiſtoricis Accatæum, ex Muſicis Olimpum, ex Poetis Homerum, & alios viros in omni ſcientia præſtantiſſimos*.

IX. His adnectere placet præclarum teſtimonium Zaleuci Legiſlatoris Locrenſium, qui Gręcos ſapientes ętate pręceſſit, & habetur apud S. Maximum his verbis expreſſum (*e*): *Sic nobis præceptum eſto, omnibus hujuſmodi civibus pariter, & inquilinis: ut meminerimus Deum eſſe, & iniquis pœnas infligere, nobiſque ponamus ob oculos tempus illud, quo uniuſcujuſque futurus vitæ exitus eſt. Quiſquis enim jam moriturus eſt, pœnitudo ejus animum inceſſit, eorum memoria, quæ inique geſſit, cunctaque juſta, ac ſancte ſibi geſta eſſe enixe velit.*

X. Ab Aſia finitimiſque regionibus in Africam trajicio. Primi, qui ſe nobis hic offerunt, iique prę cęteris notiſſimi, ſunt Ægyptii, qui inter antiquiores Orbis ſapientes habentur, immo, ut inquit Herodotus, aliique, hanc ſibi laudem adſcribebant, quod apud ipſos nata eſſet ſapientia. Certe Gręcorum permultos inſignes viros, quos inter Thales, Pythagoras, Plato, Democritus, in Ægyptum perrexiſſe, ut a Sacerdotibus illius gentis ſapientiam haurirent, nullum dubium eſt.

 Pri-

(*a*) lib. 4. de finibus. (*b*) in Terpſicore cap. 4. (*c*) lib 2. Theb.
(*d*) lib. 3. de Variis hiſt. (*e*) in ſerm. per excerpta Tom. 2. edit. Combefiſ. c. 642.

Primus eorum Præceptor, iſque fere Moſi ſuppar, ut ferunt, fuit Mercurius Triſmegiſtus: cujus licet opera, quę ipſius nomine circumferuntur, genuinus fœtus minime cenſeantur; ex his tamen duntaxat, quæ de ipſo referunt veteres Scriptores, colligere poſſumus quid de re, quam verſamus, ipſe ſenſerit. Nam apud Stobæum (*a*) legimus docuiſſe, *divinam juſtitiam ſuum cuique tribuere noſſe:* quo ex principio plura inferebat, quæ & proborum præmium, improborumque pœnam ſpectant. Et apud Tertullianum (*b*) de eodem hæc habentur: *Mercurius Ægyptius dicit animam digreſſam a corpore non refundi in animam univerſi, ſed manere determinatam, ut rationem, inquit, Patri reddat eorum, quæ in corpore geſſerit.*

XI. Mercurii Triſmegiſti doctrinam complexos fuiſſe Ægyptios extra controverſiam eſt. Diodorus Siculus ita de Ægyptiis ſcribit (*c*): *Ægyptii ſane parviſaciendum præſentis vitæ tempus eſſe putant: futuræ vero gloriam, quæ virtute comparatur, maxime æſtimandam. Domos noſtras diverſoria appellant, tamquam brevi tempore a nobis inhabitandas:* Refert deinde (*d*) impiorum pœnas & campos elyſios Orpheum ab Ægyptiis deprompſiſſe, prout Ægyptii teſtabantur, atque eadem fuiſſe de his Græcorum, & Ægyptiorum placita, amboque noviſſe, qui alterutra noverit, præterquam quæ Orpheus ingenio ſuo interpolavit. Herodotus *in Euterpe* de Ægyptiis hæc habet: *Inferorum Principatum tenere Cererem & Liberum ajunt: primique extiterunt* (in hoc certe falſus eſt) *qui dicerent animam hominis eſſe immortalem*. Tacitus affirmat (*e*) eamdem de inferis eſſe perſuaſionem apud Ægyptios, quæ erat apud Judæos. Plutarchus notat (*f*) *locum ſubterraneum, in quem* (Ægyptii) *putant animas ferri poſt mortem, vocari* Amenthem, *idemque eſſe apud eos* Amenthem, *quod Græcis* Adis. Concinunt his Jamblicus, & Porphyrius. Prior de Miſteriis Ægyptiorum agens ita opus ſuum ex eorum ſententia concludit: *his itaque pertractatis obſecro Deos, ut mihi, tibique veram intelligentiarum cuſtodiam obſervantiamque exhibeant, nullo tempore defuturam, atque in ſempiternam æternitatem æternorum præbeant veritatem, perfectiorumque circa Deos intelligentiarum compotes nos efficiant: in quibus beatiſſimus bonorum finis nobis eſt propoſitus &c.* Alter ex Euphanto perhibet (*g*), *Ægyptios exanime cadaver efferentes, ita mortui hominis verbis Deos eſſe deprecatos.... Vos Dii univerſi me accipite, ac Diis æternis contubernalem futurum tradite.*

XII. Clariora hæc ſunt, omnemque funditus de Ægyptiorum mente dubitationem præcidunt. Negotium tamen alicui faceſſere poteſt Metempſychoſis, ſive animarum in alia corpora tranſmigratio, quam ab Ægyptiis creditam narrant Herodotus *lib.* 3., Herathæus apud Laertium *lib.* 1., & Æneas Gazęus *in Theophraſto*: quę abſurda opinatio cum his plane, quę adducta ſunt, nullatenus congruere videtur. Equidem non deſunt graves Authores, qui cum de horum conciliatione deſperent, nodum hunc intactum relinquunt. Moshemius (*h*) utramque ſententiam tamquam ab Ægyptiis admiſſam defendi poſſe exiſtimat; adeo ut inter ſe diſſenſerint Ægyptiorum Sacerdotes, variaſque opiniones tenuerint: & alii quidem migrationes & circuitus animarum per varia corpora ſtatuerint, alii bonorum virorum animas a longis hiſce erroribus liberaverint, & in Deorum ſtatim conſeſſum deduxerint: malorum vero in ſubterranea loca deturbaverint. Quę conjectio magna gaudet veriſimilitudine, & certe, meo facile judicio, ſpernenda non eſt. Plura ego de hoc Metempſychoſeos commento infra dicturus ſum, cum de Pythagora. Tria interim, quoad Ægyptios pręſertim attinet, curſim obſervo. Primum Authores, qui alterius vitę pręmia vel ſupplicia Ægyptios docuiſſe teſtantur, nulla facta de Me-

(a) lib. 1. Eclog. (b) lib. 2. de anima cap. 33. (c) lib. 1. par. 2. cap. 1. (d) c. 6. (e) lib. 5. cap. 5. (f) de Iſid. & Oſirid. (g) de Abſtin. lib. 4. (h) apud Brukerum Tom. 1. lib. 2. cap. 7. de Philoſ. Ægypt.

Metempſychoſi mentione, longe & numero & authoritate potiores eſſe his, qui eamdem ipſis attribuunt. 2. Etiam admiſſo, quod Ægyptiorum vel aliqui tantum vel plures figmentum illud poſuerint, ita horum ſententia accipi rite poteſt, immo etiam accipienda videtur, ut poſt aliquot animarum in terreſtria corpora revolutiones, eę ad aliam vel felicem vitam, vel miſeram pro meritis commigrarent: quemadmodum de aliis nationibus, quibus idem commentum placuit, dici oportere, manifeſtum fiet. 3. Tandem doctrinam de Metempſychoſi nullum inferre pręjudicium pręcipuę, quam modo propugnamus, veritati, ut poſtea probabo.

XIII. Partes Africę interiores permeantibus occurrunt Æthiopes, quorum de futuro animorum ſtatu doctrinam ex eorum Magiſtris cognoſcere fas eſt, qui teſte Sancto Hieronymo (a), *Gymnoſophiſtæ* dicebantur: quod nomen, ſicut & philoſophiam ex India retulere, & in Æthiopiam tranſvexerunt, ut narrat Philoſtratus in vita Apollonii *lib. 6*. Cum itaque quęnam fuerit Indorum ſententia, ſatis ex iis, quę diximus, perſpectum ſit, eadem quoque Æthiopes imbutos fuiſſe nulla ratione negari poteſt.

XIV. Libyarum quoque gentes, quæ ab Atlante Doctore, ſi Plinio fides (b), moralibus pręceptionibus inſtructę fuerunt, quemadmodum & Augilles populos Libyę finitimos & inter Garamantes, & Trogloditas conſtitutos, non ignoraſſe futuram hominum poſt obitum conditionem dicendum eſt. De his Pomponius Mela (c) *Manes Deos eſſe putare: per eos dejerare, eos ut oracula conſulere ac precari*. Plinius etiam ait (d): *Augillæ inferos tantum colunt*, ubi per *inferos* intelligit quos *Manes* Mela appellaverat. Quod hi de Augillis, Herodotus refert etiam de Naſamonibus Africę item populo.

XV. Ab Africanis gentibus ad nationes Septemtrionales pergo, de quibus non pauca habemus illuſtria monumenta, quę luculenter oſtendunt eos quoque agnoviſſe poſt mortem mercedem, & ſupplicia virtuti vitioque propoſita: quęque magni pendenda ſunt, cum nuſpiam fortaſſe melius quam in populis incultis & efferatis naturæ vox obaudiatur. Nobile in primis eſt teſtimonium, quod de Hyperboreis (quo nomine Scytharum gentes maxime veniunt) proſtat apud Platonem *in Axioco*, ubi Socrates ſe a Gobria Mago accepiſſe refert, avum illius miſſum eſſe Delum circa Xerſis tranſitum in Gręciam, ibique cognoviſſe *ex æneis tabulis quas Opis, & Hacærgus attuliſſent ex Hyperboreis animas* (impiorum certe) *exemptas corporibus torreri ignibus æternis, & pœnis inexpiabilibus cruciari*. Herodotus quoque memorię prodidit Getas longe ante Pythagoram credidiſſe animam immortalem. Pomponius Mela ſcribit *Getas ad mortem fuiſſe paratiſſimos* ob opinionem maxime inter ipſos obtinentem, *quod alii redituras putarent animas obeuntium: alii non quidem redituras, ſed tamen non extingui*, qui potius *ad beatiora tranſire* cenſebant. Addit equidem etiam fuiſſe, qui eaſdem emori dicerent: ſed valde paucos in hac extitiſſe opinatione credibile eſt, cum pręſertim cęteri Authores, qui de his, aliiſque finitimis populis pertractant, de hoc alte ſileant.

XVI. Sequuntur alię plures Arctoę Gentes, Gothi, Cymbri, Germani, Celtę, Galli, aliique. Ab iis animam habitam fuiſſe divinę originis, & immortalem, agnitamque fuiſſe aliam vitam, qua pręmio, vel pœna pro meritis afficeretur, & Gręci, & Latini Scriptores, & vetera hyperborea documenta fidem faciunt. De Gallis aſſerit Pomponius Mela (e) *credidiſſe vitam ad Manes*, ideſt vita functos, & hac opinatione de ęterna vita perſuaſos, *ut ad bella forent paratiſſimi*. Idemque habet Strabo (f). Valerius Maximus (g) memorat *pecunias eos mutuas,*

(a) lib. 4. in Ezechie'. (b) lib. 7. cap. 56. (c) lib. 1. cap. 8. (d) lib. 5. cap. 8.
(e) lib. 3. cap. 2. (f) lib. 4. Geogra. (g) lib. 2. cap. 6.

quæ apud inferos redderentur, *dare ſolitos*, *quod perſuaſum habuerint animas hominum immortales eſſe*: & Cymbros & Celtiberos laudat qui in acie *exultarent*, *tamquam glorioſe*, *& feliciter e vita exceſſuri*. Id quod etiam de Hiſpanis, qui Celtarum colonia fuere, prędicat Silius Italicus his verſibus (*a*)

Prodiga gens animæ, *& properare facillima mortem*,
Impatiens ævi ſpernit noviſſe ſenectam.

Druidę certe, qui Celtarum & Gallorum Doctores erant, ſibique inter Europę ſapientes magnum nomen & exiſtimationem comparaverant, non aliam tenuere ſententiam, ut liquet ex Strabone (*b*), & Julio Cęſare (*c*), quamquam iſte Metempſychoſim ab iis etiam adoptatam putet: de quo ſtatim.

XVII. At prę cęteris omnibus diſertiſſimum eſt de Gothorum, aliarumque Septemptrionalium gentium hac de re ſententia, monumentum, quod ex libro antiquiſſimo *Hedda* nuncupato eruerunt viri eruditi, Robertus Scheringh *de Anglorum origine* (*d*), & Keislerus (*e*). Eo in libro hęc inter alia paucis collecta leguntur *putaſſe illos ſe poſt mortem in Wodeni aulam migraturos*, *ſi probi extitiſſent*: *perjuris autem*, *& flagitioſis omnibus in inferno deſtinatum eſſe locum*, *ubi Hidboggus imperabat tormentorum mirus & ingenioſus artifex*, *qui homines nequam miſeris modis excarnificaret*, *atque torqueret*, *& atrocitatem ſceleris immanitate pœnæ compenſaret*. Joan. etiam P. Kolius, multis oſtendit (*f*) priſcos Cymbros tum animorum immortalitatem, tum ipſam corporum reſurrectionem fuiſſe profeſſos.

XVIII. Sicut Ægyptiis, ita Celtis & Gallis Metempſychoſis ſententiam nonnulli tribuunt, nixi pręſertim teſtimonio Julii Cęſaris, Diodori Siculi, & Lurani. Sed abſurdum hunc errorem ab iiſdem amoliri pro viribus ſtudent viri doctiſſimi, Philippus Cluverius, Samuel Pufendorfius, Jacobus Martinus, Georgius Frixius, & Simeon Pelloutierius (*g*), contenduntque Cęſarem, & Romanos deceptos fuiſſe falſa hypotheſi Gallos accepiſſe Metempſychoſim per Zamolzim a Pythagora: idque probant tum authoritate Pomponii Melę, quę cum his non cohęret, tum ex eo, quod adnotavimus ex Valerio Maximo, mutuam dediſſe Gallos pecuniam, quę in alia vita redderetur: id quod in migratione animarum locum non habet. Tum demum ex ceremoniis, quę apud Gallos, Germanos, & Arctoas gentes in ſepeliendis cadaveribus obſervabantur, quę apud ipſos legi poſſunt. Horum diſſidium facile componi poſſe exiſtimat Brukerus (*h*), ſi animadvertamus illud, quod notum eſt ex univerſali Metempſychoſeos hiſtoria, eos nempe, qui animarum tranſmigrationem docuere, vitam tamen ad Manes ſimul conſtituiſſe, & in *Ade*, ſeu inferno animas collocaſſe, unde poſtea redirent, donec per plures migrationis periodos, ad Deorum concilia, ſedeſque beatas admitterentur. Et eadem, ſubdit, multorum Celtarum opinio fuit, qui defunctis, & a corpore ſeparatis animabus ſedem quidem, atque vitam apud Manes aſſignabant, redire vero aliquando in vitam, & alia corpora putabant. Quod ex *Heddæ antiquioris* authoritate appoſite probat Keislerus. Verum de hac re cap. ſequente.

CA-

(a) lib. 1. Pſel. pun. (b) loc. cit. (c) lib. 6. de Bello Gallic. (d) apud Danielem Claſſenium Tom. 8. collect. Gronovii. (e) apud Brukerum lib. 2. cap. 9. (f) ex Jo: Alber. Fabricio in de lectu arg. & Sillab. Script. &c. (g) apud Brukerum. (h) loc. cit.

CAPUT IX.

Græcorum ſapientes, Græcique adeo in eadem ſententia concordes. Poetarum teſtimonia in primis afferuntur, in quorum fabulis ſemina interlucent vulgatæ in populo veritatis. Tum ad Philoſophos acceditur. Pythagoræ Pythagoreorumque quam conſtans de futura vita judicium. Diſſeritur de Metempſychoſeos commento; quod Pythagoræ falſo affictum fuiſſe veroſimilius eſt. Quænam fuerit ejus origo. Nihil illud obeſſe argumento noſtro demonſtratur.

I. Longe plura ex injuria temporum ſuperfuere monumenta, unde dijudicare liceat de Græcorum, ac Romanorum ſententia in eo, quod præ manibus eſt, argumento: ex quibus, quę graviora, & ad inſtitutum noſtrum opportuniora videbuntur, huc afferemus. A Poetis primum incipio, unde in Græcanicas regiones ſapientia profecta eſt: quorum authoritas nedum haud contemni, ſed magni etiam pendi debet pro eruendo populorum conſenſu in ea, quam propugnamus, veritate. Quamquam enim ficta plerumque eſſe concedimus, quæ de futurarum pœnarum locis, & conditione ſcripſere; vera tamen ſignificandi gratia ab ipſis conficta ſunt, nec niſi quod jam a Populo credebatur, aut ejus notionibus accommodatum erat, quadam ſermonis venuſtate, & fictionum coloribus obductum exponebant, quo utiliſſima ultionis futurę veritas in craſſiorum hominum animis altius infigeretur, eoſque potentius a pravis moribus avocatos ad bonam frugem traduceret. Videantur, quæ de horum fabulis ſcribunt Lactantius Firmianus lib. I. de falſ. Relig. n. XI., Gutherius apud Gronovium Tom. 12., & Natalis Comes lib. 3. Mythologiæ &c.

II. Præcipua, quæ tum Græci, tum etiam Latini Poetæ de alterius vitæ ſtatu juxta communiores populi conceptiones tradunt, & in quibus vix ulli diſſentiunt, hæc ſunt. Tria loca conſtituerunt, in quibus defunctorum animæ continerentur, Elyſium, Infernum, Tartarum. Elyſii campi piorum ſedes: Inferni noxiorum: Tartara impiorum. Elyſii puris animis deputabantur: ad illos enim nonniſi purgati perveniebant: ii nimirum, qui dum viverent, virtutem, & pietatem conſtanter ſecuti divinis rebus ſtuduerant, animumque a corporis contagione ſive a vitioſis affectibus ſevocaverant, ex hoc carcere ad illa Beatorum loca poſt obitum ſtatim evolabant. At qui medium quoddam vitæ genus tenuerant, hoc eſt nec ita virtutem amplexati, quin vitiorum ſordibus inficerentur, per aliquod tempus in inferis detinebantur iis obnoxii ſuppliciis, quæ illos a peccatis priſtinis exuerent, ut purgati tandem abſolverentur, ac beatorum præmia reportarent. Qui vero ob ſcelerum magnitudinem purgari nullo modo potuiſſent, nec ullis ſanari remediis, perpetuis Tartari tenebris & cruciatibus addicebant. Hoc erat totius earum doctrinæ fundamentum ac baſis, ut ex eorum ſcriptis facile colligi poteſt.

III. Communi huic ſimplicique notioni plura adjecerunt Poetæ juxta Poeſis licentiam, ut & juſtorum loca gratiora, ac injuſtorum terribiliora redderent, craſſæque hominum imaginationi inſervirent. Hinc Acherontis palus, quæ prima excipiebat obvias animas. Hinc horrendus animarum portitor Charon. Hinc Phlegethon frementibus flammarum undis convolutus. Hinc Cocytus triſtiſſimus amnis, cujus fragor querularum animarum voces imitabatur. Hinc Cerberus latrans. Hinc ſeveriſſimi Judices Æacus, Minoes, & Rhadamantus, qui de omnibus rationem exigebant. Hinc Eu-

Eumenides, quæ ſingulos commiſſa fateri ſcelera compellebant. Hinc Tartarus, & innumera tormentorum genera juxta criminum diverſitatem, ex quibus aliqua peculiariter deſcripſere, ut Siſiphi irrequietum ſaxum, Danaum inexplebile dolium, Tantali perpetua ſitis ac fames, Titii inſatiabile vultur, Theſei æterna ſeſſio, aliaque hujuſmodi. Atque has quidem fictiones eſſe nemo negat, utque hujuſmodi contemnunt & Plato *in Republica*, & Tullius *in quæſt. Tuſculanis*, contemnebantque cæteri ſapientes: ſed in his ſemina latent certiſſimæ veritatis de futura malorum hominum vindicta, quam hiſce figmentis ornabant Poetæ, & quam & Plato, & Tullius, & alii ſapientes exploratam habebant.

IV. Generali hac notitia poſita ad aliquos ex Græcis Poetis ſingillatim recenſendos accedo. Omnium Græcorum antiquiſſimi habentur Muſæus & Orpheus. Hi, teſte Platone (*a*), *tot bona dant juſtis probiſque poſt vitam, ut eos ad locum beatum deducentes & ad epulas ſanctorum diſcumbere facientes coronatos, omne deinceps tempus vivere fateantur*. At vero *impios & ſceleratos in cœnum quoddam infodiunt in inferis &c.* Diodorus etiam Siculus refert (*b*) *Orpheum fuiſſe primum, qui impiorum in inferno pœnas, & piorum in pratis Elyſiis felicitatem introduxerit*, ſive potius carmine celebraverit.

V. Succedit ex his, quorum genuina opera hodieque extant, omnium vetuſtiſſimus Homerus. Res eſſet moleſtiæ pleniſſima congerere loca innumera, quibus tum in Iliade, tum in Odyſſea, de Tartaro ejuſque pœnis loquitur. Duo tantum indicabo, alterum ex lib. 18. Odyſſeæ, ubi Reges & potentiores ſceleſtos repræſentat apud inferos omni tempore cruciatos: alterum ex Iliade ubi ita Jovem loquentem inducit:

Aut ipſum capiens obſcura in Tartara mittam:
Sunt ubi ſub terris vaſtiſſima regna barathri:
Ærea ſunt ibi ſepta, ſolumque ex ære: ſub ima
Tantum tellure, hæc quantum quoque diſtat olympo.

VI. Certat cum Homeri antiquitate Heſiodus, qui in Theogonia Tartarum memorat, illudque in terræ profundo reponit:

Tartaraque obſcura, hæc terra conduntur in ima:

atque ibidem deſcribit Gigantes aquarum pondere preſſos audaciſſimi ſui moliminis pœnas luentes ipſis ferme coloribus, quibus illos ſacri Scriptores depingunt. In lib. quoque, cui titulus *Opera & Dies*, ſuperbos & flagitioſos homines ad antra Plutonis cruciandos detrudit: juſtos vero ac pios in Elyſiis collocat, ubi læti ſemper omnique dolore vacui vitam agunt. Hujus quoque Poetæ authoritatem laudat Plato (*c*) inquiens: *præclare Heſiodus, & alii multi ex Poetis dicunt, quod poſteaquam quis probus exceſſerit e vita, magnam ſortem, honoremque aſſequitur*.

VII. Sequuntur alii antiquiſſimi vates. Simonides apud Stobæum (*d*) de hominibus morientibus ſcribit *eos mitti a Plutone ad nigrantes domos inferorum*. Idem quoque apud eumdem (*e*) cecinit Sappho, quam aliqui ipſo Homero ſuperiorem faciunt.

VIII. Plura diſſerit Pindarus Simonidis auditor, & Lyricorum Poetarum Princeps, qui floruit Olympiade 86. In Olympiis Ode 1. ait, quod *ſi Deum vir aliquis ſperat latere faciens quidquam fallitur*. Et Ode 2. *apud honoratos Deos, qui gaudebant fidelitate in jurejurando, illacrymabili fruuntur ævo: alii autem viſu horrendum tolerant cruciatum*. Clarius adhuc apud Plutarchum (*f*) ex hominum ſenſu ſemet explicat: *ajunt gloriæ eſſen-*

(*a*) lib. 2. de Repub. (*b*) lib. 1. (*c*) in Cratylo.
(*d*) in Tract. de brevit. vit. (*e*) in Tract. de Ament.
(*f*) in libro, *an recte dictum ſit, late &c.*

eſſentiæque locum ſedem eſſe piorum, quibus ſplendet ſolis vigor.... ipſi tranſigunt jucunde tempus..... Porro tertia via illorum eſt, qui impie vixerunt, & injuſte, animas in obſcurum locum, & barathrum quoddam præcipitans, unde immenſas eructant tenebras languida noctis obſcuræ flumina, quæ recipiunt, & ignoratione, atque oblivione tegunt eos qui puniuntur. Et Clemens Alexand. eumdem ita canentem producit: *Impiorum autem animæ ſub cælo per terram volant in doloribus cruentis, ſub vinculis inevitabilibus malorum. At piorum ſuper cælos habitantes modulationibus hymnorum Beatum Magnum decantant*.

IX. Æſchilus, qui ſub idem tempus, ac Pindarus, vixit, animas impiorum vinctas in Tartaro teneri ita declarat *in Prometheo: Nam ſi me ſub terram ſub inferos mortuos capientes, in immenſum Tartarum detruſiſſet, vinclis firmiſſimis, aſpereque alligaſſet &c.*

X. Euripides vatum Tragicorum Princeps, *in Hecuba* tradit Deos *lege quadam teneri aliquando punire eos, qui trucidant hoſpites, ac Deos contemnunt*, utique poſt hanc maxime vitam. Recenſet etiam in *Alconte* & inferos, & Plutonis domos, & ſedes tenebricoſas, & paludem Acherontis, ubi ſupplicium dant impii ſuis pravis affectionibus reſpondens. Inſigne aliud ſupra dedimus Poetæ hujus teſtimonium ex Authore libri *de Monarchia* inter Opera S. Juſtini.

XI. Sophocles apud Plutarchum ita canit:

Hi, qui ſacris viſis eunt ad inferos
Homines, beati ſunt: ſolis nam vivere
Contingit illic iſtis: turba cætera
Omni malorum generi incidit.

XII. Ariſtophanes Princeps Comicorum Com. 3., cui titulus *Ranæ*, & in aliis paſſim inferos nominat, eaque, quę ibi quiſquis inveniet. Tartari pariter, ejuſque amplitudinis, ac tenebrarum meminit. Alterius etiam Comici, Diphili nempe, egregium monumentum ſupra cap. 5. laudavimus ex S. Clemente Alexandrino, in quo & loci impiis deſtinati, & ſupplicii a juſtitia Dei vindice infligendi expreſſa mentio fit.

XIII. His conſentiunt Theocritus in Idylliis, ubi ſæpe introducit & ſtygiam paludem, & perpetuam noctem, ſub qua jacent animæ, & mœſtas undas Cocyti, & Tartara, & Plutonis domos. Antiphanes, qui apud Stobæum (*a*) futuram bonorum felicitatem, & malorum miſeriam diſerte commemorat. Theognis in Senten. v. 244., & 1007., & 1119., & Phocilides in Carm. v. 105.

XIV. A Poetis ad Philoſophos accedo. Duæ ſunt primævæ, ac generales eorum ſectæ, unde cæteræ derivatæ, ac propagatæ ſunt, *Jonica* nempe, & *Italica*. Hujus parens & conditor eſt Pythagoras Samius, a quo cæteri *Philoſophi* audire cœperunt, cujus authoritatem tanti fecit antiquitas, ut ad eum, dum noctu Philoſophiam doceret, non minus quam ſexcenti confluerent, ejuſque decreta, veluti divina quædam oracula, exciperentur. In hujus Philoſophi mentem de argumento, quod verſamus, præſtat diligentius inquirere, nedum ob ejus, ejuſque ſcholæ authoritatem, ſed etiam ob Metempſychoſis ſententiam, quæ eidem tribuitur, elucidandam. Docuiſſe Pythagoram ejuſque Diſcipulos animum eſſe immortalem, & quamdam divinæ mentis propaginem, in confeſſo eſt apud omnes, affirmatque apertiſſime, præter alios, Cicero libro de ſenectute, ubi Catonem Majorem ita de animorum immortalitate diſſerentem inducit: *Nec me ſolum ratio, ac diſputatio impulit, ut ita crederem; ſed nobilitas etiam ſummorum Philoſophorum. Audiebam Pythagoram, Pythagoreoſque incolas pæne noſtros, qui eſſent Italici Philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente divina animos haberemus*.

XV. At ipſum quoque tenuiſſe & futura

(a) Serm. 120.

tura præmia, quibus juſti donarentur, & ſupplicia, quibus plecterentur injuſti, ac facinoroſi, pluribus evidenter evincitur. Diogenes Laertius (*a*) hæc profert ex Pythagora: *Janitor terrenus e corporibus, terraque animas educit, & puras quidem ac purgatas in cælum ducit: impuræ vero illis non appropinquant, immo ne ſibi ipſis quidem, ſed a furiis infractis nexibus vinciuntur.*

XVI. Paria ſunt quæ leguntur in aureis Lyſidis carminibus (*b*), ex quibus conſtat aſſeveraſſe Pythagoram *animam in virtutis, ac veritatis ſtudiis egregie ſubactam evolare poſt mortem in liberum aerem, ibique immortalem, ac Deum fieri, quantum quidem homini fas eſt: aliorum autem animas judicio Dæmonum, pœniſque eſſe obnoxias, & ex vitiorum gravitate torqueri in inferis furiarum vinculis conſtrictas.*

XVII. Clariora perhibet Malchus de vita Pythagoræ ita ex ejus ſententia loquens: *Duæ ſunt animorum ſedes, poſt mortem apud inferos: una eſt gaudii, altera pœnæ. Qui probi fuerunt, in lætitiæ vallem transferuntur. Sed improbi in horrendo loco ſcelerum in vita perpetratorum dant pœnas.*

XVIII. Id ipſum ficta quadam narratione ſignificaſſe Pythagoram ſcribit Suidas (*c*): *ajebat enim ſe ad inferos deſcendiſſe, ibique vidiſſe Heſiodum æneæ columnæ arctiſſime alligatum: Homerum vero ex arbore pendentem, anguibuſque circumſeptum ob mendacia, quæ de Diis conſcripſerant: & animas virorum, qui uxores aſpere tractaverant, crudeliter ibidem laniatas.*

XIX. Magiſtri ſententiam fideliter ſecuti ſunt ejus Diſcipuli. Nobiliores ex iis habentur in primis Architas Tarentinus, Timæus Locrenſis, & Epicharmus. De duobus prioribus hæc apud Ciceronem (*d*): *Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & in ea cum alios multos, tum Architam, Timæumque cognoviſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia, primumque de animorum æternitate non ſolum ſenſiſſe idem quod Pythagoras, ſed etiam rationem attuliſſe &c.* Timęus ipſe in calce *libri de anim.* hæc pronunciat: *omnia in ſecundo circuitu Nemeſis certo judicio rata, fixaque eſſe voluit cum infernarum illarum furiarum Numinibus ad quam humanarum rerum inſpectio pertinet:* & ibidem luculentius: *adeſt vindicta ex legibus, ex oraculis, quæ terrores inducat cæleſtes, & ſubterraneos. Quoniam ſupplicia inexorabilia parata ſunt impiis ad inferos.* De Epicharmo vero ſic ait S. Clemens Alexand. (*e*): *Admiror Epicharmum, qui aperte dicit: ſi fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus: ſuperius manet in cælo ſpiritus.*

XX. Illuſtres etiam inter Pythagoreos habentur Heraclitus, & Hierocles: quorum prior *in orcum animas poſt mortem ferri* perdocuit, *hiſque tot bona, vel mala parata eſſe, quæ neque ſperent, neque expectent*. Hoc quoque adeo Hierocli perſuaſum erat, ut ſcribere non dubitarit, ideo improborum aliquos ſuſpicari animos interire, ne ſi mortali vita functi ſuperſint pro ſcelerum merito puniantur. *Non vult*, inquit, *improbus animam ſuam immortalem, ne ad conſpectum illius Judicis æqui torquendus adveniat. Itaque ſe ipſum potius morte condemnat.*

XXI. Sed præ cæteris audiendus eſt Jamblicus (*f*), qui cum vitam, ac doctrinam Pythagoræ, veterumque Pythagoreorum diligenter, & accurate perſcripſiſſet, divinam hanc ex eorum dogmatibus confectam ſententiam proponit: *Si mors hujuſmodi foret, ut hominem ab omnibus liberaret, lucrum certe malis hominibus reputandum eſſet mori, nimirum & a corpore ſimul, & cum animo*

(a) lib. 8. cap. 31. (b) apud Hueti. de conſen. &c.
(c) in Hiſt. de Pythag. (d) lib. 1. quæſt. Tuſcul.
(e) lib. 4 Strom.
(f) Comment. adhor ad Philoſ. lib. 2. c. 13.

nimo ab ipſorum pravitate liberari. Nunc autem poſteaquam anima immortalis eſſe videtur, nullum omnino aliud malorum ei fuerit effugium, nec ſpes ſalutis, quam ut evadat ſimul quam optima, ac prudentiſſima. Nihil enim fert ſecum anima tendens ad alteram vitam, quam probitatem, vel improbitatem, quæ plurimum prodeſſe vel obeſſe defuncto noſcuntur. Atque anima quidem melior cum Deo habitat, per cæli beatas regiones invecta. Quæ vero ſe ſe factis impiis contaminavit impietate, proficiſcitur ad judicia ſubterranea meritis pœnis deputanda.

XXII. Hæc omnia, ſi attente perpendantur, oſtendere ſatis poſſunt, quam ſit a veritate, aut a veritatis ſpecie alienum, Pythagoram ejuſque diſcipulos Metempſychoſim docuiſſe, ſive animarum in alia corpora tranſmigrationem: in his enim, quæ produximus, nedum nec vola, nec veſtigium apparet hujuſce commenti, ſed nec etiam cum illo conſiſtere poſſe videntur. Diſerte quippe aſſeritur tum a Pythagora, tum ab iis, qui ejus doctrinam ſecuti ſunt, probos ſtatim a morte felicitatem conſequi, vel in cælo, vel in alia beata regione; improbos vero ad inferos, vel tenebroſa loca tranſire, unde meritis mulctentur ſuppliciis. Quæ plane conciliari aut nequeunt, aut admodum difficile poſſunt cum dogmate Metempſychoſeos, ſi proprio in ſenſu, prout non paucis viſum eſt, accipiatur.

XXIII. Arbitror itaque longe veroſimilius eſſe vel nunquam Pythagoram Metempſychoſim tradidiſſe, ſed per imperitiam ipſi affictam fuiſſe ex quibuſdam ipſius verbis perperam intellectis, vel ſi eam aliquando tradidit, per allegoriam eſſe locutum, adeo ut vel Pythagoras, vel Pythagorei hoc emblemate uterentur, ut quibus ob virtutes, & vitia ſimiles evadant homines, ſignificarent: ita nempe, quod animos tranſire in alia hominum beſtiarumve corpora, aliud ipſis non fuerit, quam homines aliena ſtudia, ſive hominum, ſive maxime belluarum induere, atque animam iis moribus in humano corpore imbutam, eos ſic retinere, exuto corpore, ac ſi in illos homines, vel beſtias demigraſſet, quarum affectiones antea ſecuta fuerit. Id jam plures alii ante me perviderunt viri clariſſimi. S. Auguſtinus ita de Metempſychoſi ſcribit (*a*): *De hoc ludibrio quorumdam philoſophorum etiam eorum poſteri erubuerunt, nec eos hoc ſenſiſſe, ſed non recte intellectos eſſe dixerunt. Et credo ita eſſe, veluti ſi quiſpiam etiam de ſcripturis noſtris hoc ſentiat, ubi dictum eſt*: homo in honore poſitus non intellexit: comparatus eſt pecoribus inſenſatis, & ſimilis factus eſt eis. *Aut ubi item legitur*: ne tradideris, Domine, beſtiis animam confitentem tibi.

XXIV. Ita etiam interpretantur Pythagoræ ſenſum Marſilius Ficinus (*b*), Joannes Hornobek (*c*), & alii apud Danielem Claſſenium (*d*). Sed præ reliquis id demonſtrare conatus eſt Claudius Lignierius (*e*), ex quo huc aliqua afferre lubet: "ſatis, inquit, conſpicuum „ eſt Pythagoram ſapientem fuiſſe, & „ Philoſophum acutum: ſed qui virtu„ tum præceptiones, & vitiorum dehor„ tationes ſtudio occultare voluit, ne „ vulgus in virtutum & ſapientiæ my„ ſteria introſpiciat. Quo pertinet dog„ ma de tranſmigratione animarum ex „ uno corpore poſt mortem in aliud: „ quod alii ruditer non ſine contemptu „ famæ Pythagoreæ intellexerunt, cum „ nihil aliud eo intenderit, quam invita„ tionem bonorum ad actiones honeſtas, „ & egregias, & dehortationem a vi„ tiis ut pote quod hominum animæ poſt „ mortem, vel in alios homines tranſi„ rent, ſi honeſte ac civiliter vixiſſent, „ reciperentur autem in cognationem „ Deorum, ſi ſapientiæ dediſſent ope„ ram: vel tandem in fera, rudia, ab„ jecta, & immunda tranſirent anima„ lia, ſi vitiis, voluptatibus, avaritiæ, „ & tyrannidi fuiſſent dediti, &c. „

K XXV.

(*a*) lib. 7. de Geneſ. ad litt. cap. 9. (*b*) in arg. ad Plat. Phœd. (*c*) lib 8 cont. Judæos. (*d*) Tom. 8. Collect. Gronov. (*e*) in Diſſert. de Sect. Pythag. cap. 10.

XXV. Cæterum quoniam dubitari nequit, quin Metempſychoſeos dogma non in allegorico, ſed litterali ac proprio ſenſu acceptum, a quibuſdam adoptatum fuerit, & in aliquas etiam regiones irrepſerit, quidpiam aliud ad hujus difficultatis enodationem addendum exiſtimo. Sunt nonnulli viri eruditi, qui figmenti hujus originem arceſſunt non quidem a Pythagora, ſed ab Ægyptiis ex doctrina novæ cum corpore conjunctionis haud rite intellecta. Obſervant enim antiquiſſimam eſſe in mundo traditionem de reſurrectione corporum aliquando ſecutura, quam ab ipſa Moſis ætate viguiſſe apud nationes Ægypto conterminas ex hiſtoria Jobi ſatis manifeſtum eſt; atque adeo etiam in Ægypto ignotam non fuiſſe veroſimile videtur. Verum Ægyptii Sacerdotes, aliqui ſaltem, fœde eam corruperunt; & veritatem in fabuloſum Metempſychoſeos errorem converterunt, qui ſubinde in alias gentes propagatus eſt, maximeque Indiæ populos infecit.

XXVI. Alii alio modo hujuſce commenti originem explicandam putant. Ajunt ſcilicet: cum primum homines ad Philoſophiæ ſtudia ſe dedere, repererunt dogma de animi immortalitate, deque futura hominum ſorte ubique gentium receptum, conſtanterque ab omnibus nationibus approbatum: unde eam perſuaſionem naturali lumini conſentaneam retinendam credidere. At vero cum rem penitius expenderent, quæque ferebantur de ſtatu animæ poſt mortem opiniones ad Criſim Philoſophicam revocarent, gravibus undique urgebantur, premebanturque difficultatibus, a quibus expedire ſe minime poterant. Elyſii campi, Stygia palus, Acherontis fluvius, Tartari, Erebique tormenta fabuloſa ipſis videbantur, & a Poetis inventa ut Populi ingenio, & utilitati ſervirent. Dum aliunde eas difficultates, quæ turmatim occurrebant circa alium vitæ ſtatum, apte ſolvere non poſſent, alii quidem rem in ſuſpenſo reliquerunt, alii ad ſydera bonorum animas provexerunt, malorum animabus circa terras depreſſis: alii etiam animarum Metempſychoſim excogitarunt, eamque ineruditis, creduliſque populis propinarunt.

XXVII. Alterutra originem Metempſychoſeos explicandi ratio ſententiæ, quam modo defendimus, nihil officit, quin immo favet quam maxime. Utraque enim in populorum mente vigentem ſupponit fidem de animorum immortalitate, & alterius vitæ retributione: quam fidem, ſive perſuaſionem labefactare minime voluerunt, qui Metempſychoſim commenti ſunt, eoque duntaxat ſpectarunt, ut modum, quo pravi, vitioſique homines punirentur, facilius, & ad populi captum accommodatius exponerent. Propterea ab ipſis ea ſimilitudo obſervata eſt, ut crudelis, & injuſti hominis animam in belluam ferocem, libidinoſi ac ſpurci in ſuem, levis & inconſtantis in Avem &c. commigrare dicerent. Unde colligere debemus eas nationes, quæ hanc opinationem probaverunt, probantque, reipſa non diſſentire a vera germanaque doctrina, quod impii poſt mortem ſcelerum ſuorum pœnas luant, ſed in harumce pœnarum qualitate explicanda: neque enim ob aliam cauſſam in hæc vel illa corpora migrare impiorum animas aſſerebant, niſi ut juxta meritorum rationem magis, minuſve punirentur. Quamquam & illud addendum eſt, quod capite ſuperiore advertimus, notumque fit ex univerſali Metempſychoſeos Hiſtoria, eos qui animarum tranſmigrationem poſuerunt, vitam ſimul *ad Manes* conſtituiſſe, & in inferis animas collocaſſe, ut digna factis reciperent: atque inde in corpora revertentes per aliquot migrationis periodos purgarentur. Immo moderni plures Indiarum populi veſano hoc dogmate infecti, illud ita intelligunt, atque explicant, ut anima poſt aliquas in corpora ſive hominum ſive beſtiarum migrationes, ad mundum alium deducatur utique pro meritis vel præmio afficienda vel pœna (*a*): quod & veteres hujus ſententiæ defenſores crediſſe valde probabile eſt.

CA-

(*a*) Ex Domino de Mandello infra referendo.

CAPUT X.

De ſenſu cæterorum ſapientum, qui in Græcia floruere, quoad futuram vitam. Oſtenditur in ea ponenda conſpiraſſe celebriores quoſque Philoſophos, Platonicos præſertim, Peripateticos, Stoicos alioſque, quorum teſtimonia plura producuntur. Epicurei, qui eam negarunt, nullo poſſunt eſſe Adverſariis præſidio. Eorum judicium flocci ſemper æſtimatum tum a ſapientibus, tum a vulgo: ipſique tanquam peſtes humani generis odio habiti, & pœnis etiam affecti.

I. Altera Græcorum Philoſophorum ſecta, eaque celeberrima, aliarumque plurium fœcunda parens, Jonica videlicet, Authorem habuit Thaletem Mileſium, qui unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus fuit, omniumque ſapientiſſimus judicatus. Hic, Choerilo teſte apud Laertium, primus fuit inter Philoſophos, qui animæ immortalitatem doceret: quod de his, qui in Græcia claruerunt, intelligi oportet. Equidem Cicero laudem hanc adſcribit Phærecidi: ſed cum ſub idem tempus uterque vixerit, facile hæc diſcrepantia evaneſcit. Præter animæ immortalitatem etiam felicem ejus vel infelicem futuræ vitæ conditionem admiſiſſe Thaletem, ſatis colligitur ex hoc dogmate ab ipſo inculcato juxta eumdem Ciceronem (a): nempe, *homines exiſtimare oportere Deos omnia cernere: Deorum omnia eſſe plena: fore enim omnes caſtiores, velutique in fanis eſſent, maxime religioſos*. Cumque interrogatus eſſet, ut refert Valerius Maximus (b) *an facta hominum Deos fallerent; ne cogitata*, reſpondit. Qui hanc de Deo notionem habuit; animamque immortalem tenuit, ne ille de retributione futura non dubitavit.

II. Prodiit ex hac ſecta ſummus ille inter Philoſophos Socrates Archelai auditor, de quo illud memoratu dignum eſt, quod ſcribit Tullius *lib. 1. Tuſcul. quaſt.* his verbis: *cum pæne in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita eſt, ut non ad mortem trudi, verum in cælum videretur aſcendere. Ita enim cenſebat, itaque diſſeruit duas eſſe vias, duplices que curſus animorum e corpore excedentium. Nam qui ſe humanis vitiis contaminaſſent, & ſe totos libidinibus dediſſent .... iis devium quoddam iter eſſe ſecluſum a Concilio Deorum*, & cætera, quæ ſupra jam cap. 5. retulimus, ubi etiam plura alia de ipſo ex Xenophonte dicta ſunt, quæ huc ſpectant. Legi quoque poteſt Euſebius *lib. 13. Præparat. Evangel. cap. 10.*, ubi tum in aliis, tum in hoc argumento, affinia admodum his, quæ in Religione Chriſtiana traduntur, docuiſſe Socratem oſtendit.

III. Socratis Diſcipulus fuit Xenophon celebris tum magiſtri, tum ejus doctrinæ vindicator, ac defenſor, ut ex ſuperioribus liquet. Secutus eſt ſubinde Euclides Megarenſis novæ quidem Sectæ conditor, ſed quæ in iis, quæ animam ſpectant, Socrati conſtanter adhæſit. At cæteros omnes longe dignitate antecelluit divinus Plato. De hujus ſententia tot jam a nobis cap. cit. congeſta ſunt perſpicua teſtimonia, ut ſupervacaneum videatur alia ex ipſius libris delibare. Nihiloſecius culpam vix effugerem, ſi inſalutatum omnino præterirem nobilem *Phædonis* Dialogum, qui totam complectitur Gentilium doctrinam circa ſtatum animæ futurum. Plutarchus, Plotinus, Porphyrius, Jamblicus, omnes tum veteres Academici, tum Platonici recentiores nihil aliud præſtiterunt niſi Platonis doctrinam exponere in eo Dialogo loquentis pro Philoſophis omnibus, qui ipſum præceſſere. En præcipua fidei ſuæ principia ac ſumma capita. 1. Omnes animæ, dum e corporibus exeunt, judicium illico ſubeunt: 2. Sunt animæ, pauciſſimę licet, quę penitus *Sanæ*, ſeu omnis vitioſæ contagionis expertes deprehendantur, nullumque ex judicio metum perſentiant. Cæteræ ægræ ſunt, ſeu peccatis corruptę,

(a) lib. 2. de legibus. (b) lib. 7. cap. 2.

Digitized by Google

cum hoc tamen diſcrimine, quod quædam curari poſſint, aliæ nullam curationem admittant. 3. Animæ ſanæ ſtatim a morte petunt Elyſios, regionem nempe libertatis, & immunitatis ab omni malo, dolore, & ærumna, ubi curriculo completo a fatis præſtituto, ad beatam tellurem tranſeunt, ut puriſſimis deliciis in divini Verbi contemplatione perpetuo fruantur. 4. Animæ ægræ deſcendunt in Tartarum, quæ curationis quidem capaces ſunt, ut purgentur: quæ vero incapaces, ut crucientur. 5. Cum priores violentis adhibitis remediis a propriis malis exſolutæ ſunt, procedunt ad Elyſios, vel ad alia corpora. Quæ autem ſunt incurabiles, in Tartaro perpetuo torquendæ remanent. Hæc compendio collecta docet Plato in eo Dialogo: quæ ferme omnia uſque adeo cum ſacra doctrina cohærent, ut Origenes & Clemens Alexandrinus cum aliis contendant, totum Dialogum ex variis ſcripturarum locis interpolatis a Platone fuiſſe confectum.

IV. Prima Platonicæ ſcholæ columina fuere Speuſippus, Xenocrates, Polæmon, Crates: qui omnes eamdem, quam a Platone acceperant, de anima doctrinam retinuere, niſi quod Crates infernum alio in loco conſtituit, nempe *in aere ſub utroque cardine craſſo perpetuo frigido*. Eamdem etiam ferme Magiſtri doctrinam ſecuti ſunt recentiores Platonici Plotinus, Jamblicus, Proclus, ejuſque diſcipulus Salluſtius Philoſophus. Accipe quæ de impiis ſcribit poſtremus ex his in lib. de Diis, & Mun. cap. 9. *puniuntur autem*, inquit, *corpore egreſſi: ſiquidem alii oberrant: alii in locis quibuſdam terræ calidis aut frigidis: alii a dæmonibus vexantur*.

V. Ex his omnibus rite perpenſis ſatis apparet nullius momenti loco habenda eſſe, quæ opponi poſſunt ex Platone ex lib. 3. de Republica, ubi tamquam commentitia rejicit, quæ de inferorum pœnis narrabantur, docetque multa ex Homeri libris delenda, quæ animarum maxime tormenta deſcribunt. Ea quippe quæ tum hic, tum cap. cit. protulimus adeo diſerta ſunt, ac perſpicua, ut prudenti viro omnem dubitationis aditum penitus intercludant, præcipue cum ab ejus Diſcipulis in eo ſemper naturali ſenſu, quem præferunt, intellecta fuerint: nec alium re vera patiantur. Certe Platonem ex animi ſententia fuiſſe locutum in locis a me laudatis, neque omnia, quæ de inferis Homerus ſcripſerat, repudiaſſe, liquidiſſime conſtat tum ex attenta eorum lectione, tum ex verbis, quæ habet *in Gorgia*, ubi de inferorum cruciatibus dicturus juxta Homeri ſententiam inquit: *audi igitur, ut ajunt, pulcherrimum ſermonem, quem te arbitror fabulam putaturum: ego autem non fabulam, ſed ſermonem*. Atque ubi multa de inferis diſſeruit, *hæc ſunt*, ſubdit, *o Callices, quæ audivi, veraque eſſe credo*. Quapropter ad objectam ex lib. 3. de Repub. authoritatem dicendum eſt Platonem contempſiſſe quidem, & contemnenda judicaſſe, quę de inferis fabuloſa plura narrantur a Poetis, & ab ipſo eorum Principe Homero: non autem doctrinam de futura impiorum punitione. Hinc in eodem *Gorgia*, quamquam plura diſſerat de inferorum cruciatibus ex Homeri ſententia, hoc tamen duntaxat probaſſe videtur eos, *qui injuſte impieque vixiſſent, in punitionis, juſtique ſupplicii carcerem ire*. Atque hæc reſponſio, meo quidem judicio, longe alia probabilior eſt, quam tradunt Lactantius Firmianus, & Æneas Gazæus, qui Platonem pugnantia locutum affirmant.

VI. A Platonis ſententia non deſciviſſe Ariſtotelem Peripateticorum Principem ex iis, quæ capite eodem obſervata ſunt, ſatis compertum eſt. Non me quidem latet Aphrodiſæum, Pomponatium, & quoſdam etiam ex antiquis Patribus pertendere Ariſtotelem animum morti obnoxium feciſſe, quod oppido ſententiam de alterius vitæ ſtatu a fundamentis ſubruit. Verum perperam hunc ipſi errorem appingi demonſtrari facile poteſt, jamque demonſtrarunt Philoponus, Simplicius, D. Thomas, Albertus Magnus, Ægidius, Eugubinus, & alii viri clariſſimi. Id etiam ſatis conſtat ex doctrina veterum inſignium Peripateticorum ac præſertim Ammonii, & Theophraſti Ariſtotelis diſcipuli, ejuſque

in ſchola ſucceſſoris, quos animos immortales habuiſſe certum eſt. Pluris enim, ut arbitror quidem, horum authoritas facienda eſt, quam quæcumque animadverſiones factæ ab Adverſariis in quibuſdam obſcurioribus Philoſophi locis. Nam quis melius reſcire potuit quid de futura animi conditione ſenſerit Ariſtoteles, quam qui Ariſtotelem ipſum diſſerentem audierunt?

VII. Quandoquidem vero de Ariſtotele ſermo eſt, lubet hic duo teſtimonia ſubnectere, quæ licet authorem non habeant Ariſtotelem, ſed alium ex antiquis; ipſi tamen à quibuſdam tributa ſunt. Primum habetur in lib. ad Alexandrum, his verbis: *illecebræ corporum finiuntur, & exterminantur in Nihilum, & faciunt hominem ipſum deſcendere in infernum*. Alterum vero extat in lib. qui *de Pomo* inſcribitur (*a*), ubi hæc leguntur: *beata eſt anima, quæ non eſt infecta pravis operibus hujus mundi, & intellexit Creatorem ſuum: & ipſa eſt, quę revertitur in locum ſuum in deliciis magnis, non cum delectationibus corporis, quę ſunt deſpectę. Et væ animę pravę, quę non habet virtutem, nec poſſe redeundi ad locum ſuum, nec poteſt aſcendere in patriam ſuam, quia turpia opera delectationis corporis impediunt aſcenſum ejus ſurſum*. Hæc ille. Sed reliquos Græcos Philoſophos perſequamur.

VII. Nobilis Jonicæ Sectæ propago fuit Stoicorum Secta a Zenone primum Cittienſi condita. Horum doctrina, ut obſervat S. Hieronymus (*b*), dogmatibus noſtris, quemadmodum in aliis pleriſque, ita in præſenti argumento valde conſentit. Animas enim poſt diſceſſum a corpore non aboleri Zeno tradidit, ſed pro meritis vel ad amœnas regiones perduci, vel ad tenebroſa & inferna loca detrudi, ubi pœnas improbitatis exſolvant. *Si cunctos*, ſcribit idem Hieronymus (*c*), *philoſophorum libros revolvas, neceſſe eſt ut in eis reperias aliquam partem vaſorum Dei: ut apud Platonem fabricatorem mundi Deum, ut apud Zenonem Stoicorum Principem inferos, & immortales animas, & unum bonum, & honeſtatem*. Luculentius eſt de eodem Zenone Lactantii Firmiani teſtimonium (*d*): *Eſſe inferos Zeno Stoicus docet, & ſedes piorum ab impiis eſſe diſcretas: & illos quidem quietas, ac delectabiles incolere regiones: hos vero luere pœnas in tenebroſis locis, atque in cœni voraginibus horrendis*.

IX. Stoici qui deinde ſubſecuti ſunt, Magiſtri ſententiam in aliquibus interpolarunt, in re ipſa tamen cum eo conſenſerunt. Orcum quidem ſupplieiis ſontium paratum, quem ab Orco Poetarum Zeno neutiquam diſcreverat, fabuloſum eſſe putaverunt recentiores Stoici: ſed nihilominus horrendis tenebris, tetriſque voraginibus noxios damnarunt. Hoc plane ſimileve ſupplicium præ oculis habebat Epictetus, cum moneret (*e*) *colendam Religionem erga Deos immortales, rectam de ipſis habendam exiſtimationem, ſentiendum eos & eſſe, & bene adminiſtrare univerſa, eorum præceptis parendum, in omnibus eiſdem acquieſcendum*, & hujuſmodi, quæ alio inſtituto ſcripta non videntur, quam ut homines, præſtantiſſimæ mentis quæ Deus eſt, monitis obſequentes, obedientiæ & Religionis præmia tandem obtineant, eaque ſupplicia declinent, quæ contumaces, Deique contemptores manent. Non abſimile eſt teſtimonium antiquioris Philoſophi Heracliti Epheſii, quod exhibet S. Clemens Alexand. (*f*), nempe *eorum qui ſunt probi Probiſſimus novit ſervare: quin etiam falſorum quoque architectos, & teſtes comprehendet juſtitia*. Poſt quæ ita ſubjicit Clemens: *Nam hic quoque novit, ut qui ex barbara didicerit Philoſophia, eam, quæ fit per ignem, expurgationem eorum, qui male vixerunt, quam exuſtionem, ſeu inflammationem poſtea vocarunt Stoici*.

X. Illud interim diffiteri non poſſum Stoicos ſaltem plures, non tam putaſſe animas immortales, quam longævas. Hoc liquet tum ex Laertio referente *in Zenone* eoſdem credidiſſe *animam a morte quidem permanere: attamen eandem corrumpi:* tum

(a) Vide Toſtatum in Paradoxis Parad. 5. (b) in caput 11. Iſaiæ. (c) in cap. 1. Daniel. (d) lib. 7. divin. Inſt., cap. 7. (e) in Enchirid. cap. 38. (f) lib. 5. Strom.

tum ex M. Tullio, qui lib. 1. quæſt. Tuſcul, ait: *Stoici uſuram nobis largiuntur, tamquam cornicibus: diu manſuras animæ ajunt: ſemper negant*. Opinati nimirum ſunt vel ipſas Sapientum animas non duraturas niſi uſque ad conflagrationem univerſi: tunc enim reſolvi omnia in initia ſua, & antiqua elementa. Verum ex hac ſingulari Stoicorum opinatione illud unum colligi poteſt, eos non agnoviſſe vitæ alterius, vel beatæ, vel miſeræ æternitatem, quod non ægre concedimus: neque enim ſententiæ, quam modo propugnamus, adverſatur.

XI. Græcorum ſapientum claudant agmen tres alii inſignes Philoſophi, quorum teſtimonia ab interitu ſervavit Stobæus. Primus eſt Euſebius Sophiſta, qui diſertam de futuris præmiis, ac ſuppliciis mentionem facit (*a*): parentibus enim Deorum legibus divina bona, contumacibus autem mortalia mala prænunciat. *Quare*, ſubdit, *non decet & falſæ & futili voluptatis gratia magna & perpetua mala comparare, nec vita breviſſima vitam ſequentem longiſſimam corrumpere*.

XII. Uberius, atque præclarius de eadem re ediſſerit Apollonius Juncus (*b*): *mors*, inquit, *animas ad opacum locum deducit, ubi Judices, ac veraces Dii de juſtis, injuſtiſque ſententiam ferentes ſedent, & ſingulas in illorum, qui prius advenerunt, numerum referunt. Tum animæ, quæ a judiciis abſolvuntur, victoriam nactæ ad campos Elyſios, ac voluptates illic vigentes mittuntur, amicæ ac ſociæ dæmonum, heroumque, quorum famam olim admirabantur, & Imperatoribus, ac Regibus ſemper adhærent. Malas vero & improbas infelix mutatio ſuſcipit, nec amplius luce fruuntur*.

XIII. Hyperida demum (*c*) ad probandam futuram bonorum felicem ſortem, ex qua infelix malorum neceſſario conſequitur, eo utitur argumento, quod ſuperius jam fuſe declaravimus, a Providentia Dei depromptum inquiens: *ſi a morte ſenſus aliquis eſt, & Numinis Providentia, ut arbitramur, illi, qui Deorum honores ope ſua promoverunt, maximam divinitus beatitudinem aſſequentur*.

XIV. At enim his fortaſſe quiſpiam opponat integram aliorum Philoſophorum ſectam, Epicureorum ſcilicet, quibus ſolemne fuit quæcumque de futuris impiorum cruciatibus jactarentur ab aliis, irridere, atque contemnere, animamque cum corpore diſſolutioni, ac interitui obnoxiam palam docere.

XV. Id equidem non abnuo: neque mirum mihi videtur fuiſſe inter Gentiles, qui cæteris Philoſophis contrairent, deque animi immortalitate dogma negarent, cum etiam modo non pauci ſint inter cultiores gentes, atque vel ipſos Chriſtianos, qui idem ſentiant. Verum, quod poſtea evidenter oſtendam, hæ exceptiones nullatenus elevant graviſſimum momentum, quod a populorum conſenſu deducitur. Quædam interea animadvertere utile fuerit, quæ peculiariter Epicureos ſpectant. Atque illud imprimis Lucretio ipſo fatente, Epicurum primum fuiſſe, qui communi hominum ſenſui adverſaretur, ut conſtat ex lib. 1. v. 67.

Primum grajus homo mortales tollere contra
Eſt oculos auſus, primuſque obſiſtere contra.

XVI. Deinde obſervo, quod Epicurei apud veteres nullo aut parvo ſemper in pretio habiti ſunt cum cæteris præſertim Philoſophis comparati. Cicero in lib. de Senect. *eos minutos Philoſophos* appellat. Et lib. 1. quæſt. Tuſcul. aſſerit, quod *eos doctiſſimus quiſque contemnit*. S. Auguſtinus (*d*) tamquam omnium ignobiliores ita repræſentat: *mortem malorum omnium eſſe finem habent quidem litteræ veſtræ: ſed nec ipſæ omnes. Epicureorum eſt quippe iſta ſententia, & ſi qui alii mortalem animam putant. At illi, quos Tullius quaſi Conſulares Philoſo-*

(a) Stobæus lib. 2. Eclogar.
(b) apud Stobæum ſerm. 102.
(c) apud Stobæum ſerm. 123.
(d) Epiſt. 104 ad Nectar.

loſophos appellat, quod eorum magni pendat authoritatem .... non extingui animam, ſed emigrare cenſent, & ut merita quoque ejus aſſerunt, ſeu bona ſeu mala, vel ad beatitudinem, vel ad miſeriam permanere. Et enarrat. in Pſal. 73. ſcribit *ab ipſis etiam Philoſophis Epicurum Porcum eſſe nominatum*.

XVII. Præterea perſuaſum quoque habebant meliores Philoſophi non alia præſertim ratione moveri Epicureos ad animæ immortalitatem improbandam, niſi ut metu pœnarum excuſſo, quem ipſis nefarii eorum mores merito ingerebant, liberiorem vitam traducerent, & impudentius peccarent. Unde Tullius (*a*) ita Epicurum loquentem inducit: *impoſuiſtis in cervicibus ſempiternum dominium, quem dies, ac noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem Deum?* Atque adeo, ne Deum punientem timere cogeretur, & Providentiam divinam, & alterius vitæ ſtatum inficiatus eſt: quod & ex Lucretii Epicurei verbis jam alibi recitatis (*b*) cognoſcere licet.

XVIII. Illud etiam obſervatione digniſſimum eſt, hanc Epicureorum ſententiam, aut melius dixerim, delirium, ſe inter aliquos Philoſophos continuiſſe, nec umquam pomœria ſua in populorum animis dilataſſe: adeo ut vulgus fidem potius Poetis adhiberet fabuloſa plura futuræ impiorum ultioni interſerentibus, quam his Philoſophis, qui veritatem ſe aſſecutos blaterabant, dogmaque proponebant, quod vitioſis hominum cupiditatibus adblandiretur. Id ingenue faſſus eſt Atheus ipſe Lucianus ſcribens (*c*): *Vulgi multitudo, quos ſapientes vocant Idiotas, Homero, & Heſiodo, reliquiſque Poetis ſuper his fidem habentes, & illorum poeſim pro lege ducentes, locum quemdam ſubterraneum profundum eſſe putant, quem Tartarum vocant*.

XIX. Quin immo commune odium ob impia dogmata adeo in ſe concitaverunt Epicurei, ut ea libere in publicum efferre minime auderent, ne a Magiſtratibus tamquam Reipublicæ perturbatores mulctarentur. Quare callide doctrinam ſuam quibuſdam involucris, & verborum ambagibus obtegere ſolebant, ne facile, quid ipſi ſentirent, internoſceretur: & cum divinam Providentiam reipſa negarent, de Diis tamen, Deorumque naturà magnifice loquebantur. De univerſali hoc populorum in Epicureos odio, & indignatione clarum extat apud Suidam ex deperdito *Claudii Æliani de Providentia* opere, quod non abs re erit hic recitare (*d*). „ Epicu„ rei, inquit, Senatus conſulto Roma „ ſunt exacti: & Meſſenii in Arcadia „ eos, qui in eodem quaſi præſepe paſti „ eſſent, expulerunt, quos & peſtes a„ doleſcentum eſſe dicerent, & philo„ ſophiæ labem adſpergere propter mol„ litiem, & impietatem. Eos itaque „ ante ſolis occaſum ex agri Meſſenii „ finibus excedere juſſerunt, iiſque pul„ ſis a Sacerdotibus luſtrari fana, & a „ Timuellis (ſic enim Meſſenii Magi„ ſtratus ſuos vocant) totam urbem „ purgari, tamquam ſordibus quibuſ„ dam, & purgamentis liberatam. In „ Creta quoque Lictii quoſdam Epicu„ reos illuc profectos expulerunt, legem„ que populari ſermone talem ſcripſe„ runt: *Epicurei ſapientiæ effæminatæ, & degeneris, ac turpis inventores, Diiſque inviſi per Præconis vocem Licto excedere jubentor: & ſi quis eorum contempta lege impoſterum huc venire auſus fuerit, prope Prætorium per viginti dies nervo vincitor, nuduſque lacte & melle perfunditor, ut apes & muſcas paſcat: & intra dictum tempus ab illis conſumator. Si vero poſt tempus illud adhuc ſuperſtes fuerit, muliebri veſte indutus de rupe præcipitator*. Hæc ille. Ex quibus addiſcere deberent Chriſtiani Magiſtratus, quid ſibi agendum foret cum hoc hominum genere, exitiali humani generis peſte, quos in aliquibus regionibus non ſine ingenti damno nimium graſſari dolemus.

CA-

(a) lib. 1. de Natura Deorum. (b) cap. 1. (c) in Dialogo de luctu.
(d) Vide Jo: Alber. Fabric in Sil. Script. & Delect. arg. &c.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Dogma idem apud Romanos ſemper obtinuit. Id evincitur pluribus tum Poetarum, tum Hiſtoricorum, tum Philoſophorum in medium productis teſtimoniis. Diluuntur ea, quæ contra ex Tullio proferri ſolent. Quid de noſtro argumento Tullius idem ſenſerit, candide exponitur. Seneca, ac Juvenalis, a calumnia ipſis impacta, quod mortalem animam fecerint, vindicantur.

I. SEquitur ut de Romanæ omnium clariſſimæ gentis ſententia circa alium vitæ ſtatum paululum diſſeramus. Controverſiam omnem dirimere facile poſſent, ac deberent duo illa teſtimonia, quæ cap. *6.* a nobis producta ſunt ex Cicerone, & Seneca: quorum alter inſitum fuiſſe teſtatur priſcis illis, quos *Caſcos* Ennius appellat, *eſſe in morte ſenſum, nec exceſſu vitæ ſic deleri hominem ut funditus intereat &c.* Alter vero profitetur, cum *de animorum immortalitate ſermo eſt, non levis apud ſe eſſe momenti conſenſum hominum aut timentium inferos, aut colentium:* quam *perſuaſionem publicam appellitat*. Neque enim ita ambo locuti fuiſſent, ſi eam ubique apud ſuos obtinentem non perſpexiſſent. At quoniam moroſa quædam ingenia litem hac ſuper re movere non verentur, ideo alia nonnulla adjicere oportet, ut veritas manifeſtius appareat.

II. Itaque ſi in primis conſulamus Poetas, qui in Romano Imperio floruerunt, quorum, ut ſupra monui, magna hac in re debet eſſe authoritas, cum non alia ſcriberent, ornarentque, quam quæ apud populum vulgata eſſent, vel communi ſenſui cogruerent; res eſt compertiſſima ab iis omnibus omni ætate, pœnas improbis poſt mortem luendas commemorari. Virgilius tum in Georgicis, tum in Æneide de his ſæpe mentionem facit, lateque & inferni locum, & ſupplicia deſcribit lib. *6.*, ubi inter alia plura ea canit:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

III. Paria fingit Sylius Italicus præſertim lib. 13.

Has inter formas Conjux Junonis avernæ
Suggeſtu reſidens cognoſcit crimina regum.
Stant vincti, feroque piget ſub Judice culpæ.
Circumerrant furiæ pœnarumque omnis imago, &c.
Talia lethiferis reſtant patienda tyrannis.

IV. Eadem ferme Papinius Statius in Theb.

Forte ſedens media regni infelicis in umbra
Dux Erebi populos poſcebat crimina vitæ &c.
Stant furiæ circum, variæque ex ordine mortes,
Sævaque multiſonas exercet pœna catenas.

V. Gemina legas apud Manilium lib. 4. de Aſtron.

Quæſitor ſcelerum veniet, vindexque malorum,
Qui commiſſa ſuis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet, tacitaque licentia fraude.
Hinc etiam immitis tortor pœnæque miniſter &c.

VI. Eadem invenire eſt in Ovidio tum *in lib. Metamorph.*, tum in aliis, Valerio Flacco *in Argon*, Propertio *lib. 4. Eleg.*, Tibullo *lib. 1. Eleg. 3.*, Seneca Tragico *in Hercule Furente*, *in Hippolyt.* & aliis Tragœdiis, Lucano *lib. 6. de Bello Civil.*, Claudiano 2. *Con. Ruff.*, & aliis, quorum teſtimonia prætermitto, quæ cuique eorum opera legenti ſtatim occurrunt.

VII.

VII. A Poetis ad Hiſtoricos tranſeo, qui res Romanorum litteris mandavere. Nobilis in primis locus eſt, qui proſtat in Dionyſio Halicarnaſſeo de Veturia filium ſuum Coriolanum ſic alloquente: *ſi quis locus eſt, qui humanas animas a corpore ſolutas recipiat, meam non ſubterraneus, caliginoſuſque capiet, quod miſerorum eſſe domicilium perhibent, nec campi, quos lethæos nominant. Sed ſublimis, & purus æther, in quo ajunt Diis genitos fortunatam ac beatam vitam degere, quibus renunciata tua pietate, conceſſaque ſibi gratia, & honore habito, ſemper tibi præclaram aliquam a Diis retributionem patet*. Halicarnaſſeus ipſe relata deinde ingloria morte Coriolani, ita concludit: *Si ſoluta compage corporis, ſimul etiam animæ ſubſtantia, quæcumque tandem ea ſit, interit, & in nihilum redigitur, haud video, quomodo beatos credere debeam, qui nullo ex virtute fructu percepto, etiam propter eam pereunt*. Quod plane illud idem argumentum eſt, quod nos ſupra contra Deiſtas maxime promovimus.

VIII. De Scipione refert Tullius (a) illud Pythagoræ ſemper ipſi placuiſſe, *iter ad cælum optimo cuique, & juſto expeditiſſimum eſſe*: additque eumdem *quaſi obitum præſagiret, perpaucis ante mortem diebus coram pluribus triduum diſſeruiſſe de Republica: cujus diſputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum: quæ ſe in quiete per viſum ex Africano audiſſe dicebat*. Paria tradit Tullius idem de Catone majore (b).

IX. Salluſtius Romanæ hiſtoriæ princeps ſic ait (c): *uti genus hominum compoſitum e corpore, & anima eſt, ita res cunctæ ſtudiaque omnia noſtra corporis alia, alia animi naturam ſequuntur. Igitur præclara facies, magnæ divitiæ, ad hoc vis corporis, & alia hujuſmodi omnia brevi dilabuntur: At ingenii egregia facinora, ſicut anima, immortalia ſunt. Poſtremo corporis, & fortunæ bonorum, uti initium, ſic finis eſt: omnia ortu occidunt, & aucta ſeneſcunt: animus incorruptus æternus, rector humani generis, agit, atque habet cuncta, neque tamen habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda eſt, qui dediti corporis gaudiis per luxum, atque ignaviam ætatem agunt*. Qui ita concionabatur, nedum animum immortalem, & æternum eſſe, ſed ad pœnam vel gaudium permanere profecto putabat. Ex hac publica perſuaſione inſtituta fuerunt *Februa*, ſive ſacrificia, & purgationes quæ pro manibus, ſive animabus defunctorum expiandis celebrantur: de quibus Ovidius in ſecundo Faſt.

Februa Romani dixere piamina Patres:
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.

Hinc etiam inferorum nomen pro morte uſurpatum, quod nempe per mortem animas ad inferos tranſire crederent. Titus Livius in Oratione Gracchi ad Milites lib. 25. cap. 16. *Lucanum proditorem, ac transfugam omnes peterent. Qui eam victimam præ ſe ad inferos miſiſſet, eum decus eximium, egregiumque ſolatium ſuæ mortis inventurum*. Florus, lib. 1. cap. 10. *Tarquinii tandiu dimicaverunt, donec Aruntem filium Regis manu ſua Brutus occidit, ſuperque ipſum mutuo vulnere expiravit, plane quaſi adulterum ad inferum uſque ſequeretur*. Vellejus Paterculus lib. 1. Hiſt. de Pompejo ſcribit: *quaſi ſi ante biennium, quam ad arma itum eſt &c. obiiſſet, defuiſſet fortunæ deſtruendi ejus locus, & quam apud ſuperos habuerat, magnitudinem, illibatum detuliſſet ad inferos*.

X. Plura alia ſequiore ævo habemus communis ejuſdem perſuaſionis monumenta. P. Thraſeus Pætus (d) cum Neronis crudelitatem effugere juberetur: *Nero me quidem*, dicebat, *occidere poteſt, perdere non poteſt*. Aliam nempe vitam proſpiciebat, quam non poſſet Tyrannus auferre. De Antonino Caracalla fertur *plures animas magicis incantationibus ex inferis revocaſſe: & animam Commodi Patris ſui exitium ipſi fuiſſe minitatam* (e).

(a) lib. de Amicit. (b) lib. de Senect. (c) de Bello Jugurthino. (d) Xiphilin. in Nerone. (e) Xiphilinus idem de Ant. Car.

An id reapſe contigerit, parum curo: ſatis enim mihi eſt hanc populo fuiſſe perſuaſionem. Pulchra eſt itidem concio, quam habuit Titus Imperator ad milites, prout refert Joſephus Hiſtor. (*a*) in qua inter alia *fortibus viris in prælio interemptis locum ſpondet inter ſidera: ignavis vero morbo intereuntibus, etſi ab eis abſterſa ſit omnis ſcelerum macula, ſubterraneas tenebras, & altam oblivionem denuntiat*. Alia prætereo.

XI. Ad Philoſophos demum venio. Quamquam non inficias eo fuiſſe inter Romanos, qui Epicureorum dogmata ſequerentur: celebriores tamen & numero & auctoritate fuerunt penes ipſos Pythagoreorum, Platonicorum, & Stoicorum ſectæ. Hi omnes, quod attinet ad animæ immortalitatem, aliuſque vitæ ſtatum, vel eadem, vel omnino affinia ſentiebant, quæ Græci. De Pythagoreis hæc apud Tullium lib. 1. quæſt. Tuſcul. *hanc opinionem* (animos nempe ſempiternos eſſe) *Diſcipulus ejus* (ſcilicet Phærecidis) *Pythagoras maxime confirmavit: qui cum, Superbo regnante, in Italiam veniſſet, tenuit magnam illam Græciam cum honore, & diſciplina, tum etiam authoritate: multaque ſæcula poſtea ſic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur*.

XII. De Platonicis etiam & Stoicis Romanis tum apud eumdem Tullium, tum apud alios frequens mentio fit. Hi quidem pro fabulis habebant, quæ a Poetis referebantur de Cocyto, Pyriphlegethonte, cæteriſque inferorum locis: ut videre eſt apud Senecam (*b*), de quo ſtatim, & apud Arrianum (*c*): non tamen negabant bonis bene eſſe poſt hanc vitam, malis male: quod erat conſectarium quoddam ſolemnis inter Stoicos præſertim decreti, cujus ſæpe meminit Tullius (*d*), nempe, *Deos eſſe qui mundum adminiſtrent, quique conſulant rebus humanis*. Hoc autem pacto bonorum, malorumque futurum ſtatum exponebant: animas ſapientum, hoc eſt eorum, qui rationi convenienter vixiſſent, evolare ad loca lunæ proxima, atque iſtic ſe contemplatione cæleſtium oblectare: animas vero inſipientum, hoc eſt eorum, qui pravis affectibus morem geſſerint, ſi ex vita anteacta ſpes appareret, eas bonæ frugis evadere poſſe, circa terras errare, uſque dum melius edoctæ, atque a vitiis purgatæ, altius & ipſæ ſubvolarent. At prorſus ſceleſtas demitti in loca, ubi ſcelerum ſuorum pœnas exſolverent. Ita colligitur ex Tertulliano *de anima cap.* 54., Lactantio *lib.* 7. *cap.* 7. & aliis.

XIII. Omnium porro nedum Oratorum, ſed etiam Philoſophorum, qui in Romana gente floruerunt, Princeps dubio procul eſt M. Tullius Cicero, cujus teſtimonium in rebus gravíſſimis pro cunctis Romanis ſufficere poteſt, ac pro melioribus Philoſophis, quorum ſenſus in ſuis operibus proponit, ac ſequitur. Quæ mens huic inſederit de futura poſt obitum hominum conditione, ſatis quidem eruitur ex eo principio apud ipſum rato, ac firmo divinam Providentiam humanis præcipue rebus conſulere, quemadmodum cap. 5. declaratum eſt. Sed quoniam de ejus hac in re ſententia nonnulli dubitant ob aliquas ejuſdem authoritates, quæ videntur adverſæ, ideo præſtat in ipſius mentem accuratius inquirere, & quid ipſe ſenſerit, liquidius exponere.

XIV. Duo ſunt præcipua loca, quæ contra opponi ſolent: alterum ex lib. Tuſcul. quæſt. ubi tamquam fabulas rejicit, & contemnit, quæ de inferis dicebantur a Poetis, quibus paria ſcribit etiam in libris de Natura Deorum. Alterum ex Oratione pro Cluentio, ubi ſic ait: *Quid tandem illi mali mors attulit, niſi forte ineptiis ac fabulis ducimur, ut exiſtimemus illum apud inferos impiorum ſupplicia perferre, ab uxorum necatarum pœnis actum eſſe præcipitem in ſceleratorum ſedem, atque regionem? Quę ſi falſa ſunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem mors eripuit, niſi ſenſum doloris?*

XV.

(a) lib. 7. de Bell. Jud. cap. 4. (b) lib. de Conſol. ad Marciam. (c) lib. 3. cap. 13. (d) lib. 2. & 3. de Nat. Deorum, & 4. de Finibus.

XV. Reſponſio, quæ hiſce authoritatibus communiter adhibetur, hæc eſt, nimirum non aliud in utroque loco Ciceronem irridere atque contemnere, quam fabulas Poetarum, & aniles vulgi opiniones. Ad locum vero poſteriorem, qui videtur difficilior, adnotat præterea novæ editionis operum Ciceronis Author, ea verba non dixiſſe Tullium, niſi ut cauſæ, quam orabat, ſubſerviret. Nam ut antea jam ſcripſerat: *Omnes orationes judiciales cauſarum ſunt & temporum non hominum ipſorum & Patronorum*. Ex aliis autem locis colligi recte ipſum de animę immortalitate ſenſiſſe.

XVI. Quamquam hæc reſponſio vera ſit, aliquid nihilominus addendum cenſeo, ut omnis de Ciceronis ſententia dubitatio auferatur. Tria quoad præſens argumentum ex attenta ſuorum operum lectione, omniumque locorum collatione certo colligi poſſe mihi videtur. Primum eſt Tullium habuiſſe animam æternam & immortalem. Licet enim in libris Tuſcul. quæſt. & alibi Academico more in utramque partem ſæpe diſſerat; ſemper tamen in ajentem opinionem concedit. Et hanc innumeris aliis propemodum locis diſertiſſime tradit. Lib. 1. de legibus dicit: *animus eſt ingeneratus a Deo*; & lib. 2. *omnium animi ſunt immortales, ſed bonorum, fortiumque divini*. Pro Cajo Rabirio: *bonorum virorum mentes mihi divinæ, atque æternæ videntur*. In Somnio Scip. *habetote animum non eſſe mortalem, ſed corpus, &c.*

XVII. 2. Crediſſe bonorum ſapientumque animas præmium percipere ſuarum actionum in cælo, illudque ſempiternum, id ex pluribus locis nitidiſſime conſtat. De Univerſ. *qui recte, & honeſte curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad aſtra facile revertetur: non qui aut immoderate, aut intemperanter vixerit*. De Senect. ex Catonis perſona: *ex vita iſta diſcedo tamquam ex hoſpitio, non tamquam ex domo.... O præclarum diem cum in illud divinorum animorum concilium, cœtumque proficiſcar!* In Somn. Scipion. *Sic habeto, omnibus, qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cælo, ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur*. Et lib. de amicit. de Publ. Scipione morti proximo ita loquitur: *ut ex tam alto dignitatis gradu ad ſuperos videatur potius, quam ad inferos perveniſſe. Neque enim aſſentior iis, qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animas interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum authoritas valet, vel noſtrorum majorum, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt: quod non feciſſent profecto, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt magnamque Græciam inſtitutis & præceptis ſuis erudierunt, vel ejus qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt judicatus: qui non tum hoc, tum illud, ut in pleriſque, ſed idem dicebat ſemper, animos hominum eſſe divinos, iiſque cum a corpore exceſſiſſent, reditum ad cælum patere, optimo cuique, & juſtiſſimo expeditiſſimum*. Hoc teſtimonium maxime obſervari velim: plura enim ex ipſo emergunt in rem noſtram admodum opportuna, nimirum tum Ciceronem firmiter aſſenſum fuiſſe animorum immortalitati, & futuræ in cælo retributioni: tum hanc non fuiſſe peculiarem ipſius ſententiam, ſed receptam ab antiquis, & a majoribus ſuis, & a novitiis tantum quibuſdam negatam: adeoque & Romani, qui ipſum præceſſerant, idem omnino perſuaſum habuerunt. Tum demum eamdem a Pythagoreis, qui magnam Græciam, hoc eſt amplam Italiæ regionem illuſtrarunt, & a Socrate conſtantiſſime fuiſſe traditam.

XVIII. 3. Nec illud in controverſiam vocari fas eſt Tullium, quemadmodum juſtorum ſapientumque felicem in altera vita ſortem, ita & malorum infelicem admiſiſſe. Patet id ex auctoritate jam alibi relata ex lib. 1. quæſt. Tuſcul. *ubi duas eſſe* docet cum Socrate *vias, duplicesque curſus animorum e corpore excedentium*: & juſtis quidem reditum patere ad ſupernam felicitatem: *improbis vero devium quoddam iter eſſe ſecluſum a Concilio Deorum, &c.* Idem habet in conſol. de obitu filiæ, ubi ſic ait ex ſapientum conſenſu: *non omnibus iidem*

illi ſapientes arbitrati ſunt eumdem curſum in cælum patere. Nam vitiis, & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt. Et in fine Somn. Scipion. *eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, eorumque ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium, Deorum, & hominum jura violaverunt, corporibus elapſi, circum terram ipſam volutantur, nec in hunc locum, niſi multis exagitati ſæculis revertuntur.*

XIX. Quæ cum omnia certa, explorataque ſint, ſequitur Tullium in dogmate, quod modo duntaxat propugnamus, apprime conſentire: atque adeo ſi qua ſuboriri poteſt de mente ejus dubitatio, ea ſolum ſpectat pœnarum qualitatem, & locum ad improbos puniendos deputatum. Qua in quæſtione illud ex laudatis teſtimoniis colligitur, Ciceronem improborum pœnam in excluſione a beata vita & conſortio Deorum potiſſimum poſuiſſe: negaſſe inferos, ſive ſubterranea loca plectendis impiis deſtinata, & pro fabulis habuiſſe quæcumque de hujuſmodi locis, pœniſque a Poetis dicerentur, & crederentur a vulgo: illos vero ſive illorum animas juxta Stoicorum opinionem, ſenſiſſe ſaltem ad multa ſæcula oberrare circa tellurem, miſeriis, curis, & ærumnis *exagitatas.*

XX. Addo tamen præterea non ita firmiter Tullium huic inhæſiſſe ſententiæ, quin etiam aliquando apud inferos puniri impios diſerte aſſeruerit. Id compertum fit ex Philip. 14., ubi hæc habet: *illi impii, quos cecidiſtis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent: vos vero qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem, & locum conſecuti.* In libro quoque 2. de Inven. *Impiis apud inferos* pœnas eſſe præparatas conſentit. Et Orat. 4. contra Catil. illud urget magnopere, laudatque, quod ex antiquorum memoria manaverat, nempe: *ut aliqua in vita formido improbis eſſet poſita, apud inferos ejuſmodi quædam illi antiqui ſupplicia conſtituta eſſe voluerunt; quod videlicet intelligebant, his remotis, non eſſe mortem ipſam pertimeſcendam.* Ex quibus omnibus expedita eſt ad objectas Tullii authoritates reſponſio, quin opus ſit, ut quidpiam ulterius adjiciamus.

XXI. De duobus aliis inter Romanos eximiis Scriptoribus aliquid dicendum eſt, Seneca nempe, & Juvenali: quorum primum plures; alterum vero fere omnes tamquam immortalitatis animorum hoſtes traducunt. Senecæ locus præcipuus, qui objicitur, extat in libro de conſol. ad Marciam cap. 19. his verbis expreſſus: *cogita nullis defunctum malis affici. Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula eſt. Nullas ſcimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos ullos in ea libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos. Luſerunt iſta Poetæ, & vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum & ſolutio & finis eſt, ultra quam mala noſtra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua, antequam naſceremur, jacuimus, reponit.* Juvenalis vero textus petitur ex Satira 2., ubi hæc ſcribit:

> *Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna,*
> *Et Cocytum, & Stygio ranas in gurgite nigras;*
> *Atque una tranſire vadum tot millia cymba*
> *Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.*

XXII. Verum non arbitror duos hoſce ſcriptores tamquam animorum immortalitati adverſantes jure nobis obtrudi. Fateor equidem Senecam in primis laudato loco, tum quæ Poetæ de inferis confinxerant, fabuloſa cenſere, tum etiam aliqua profari, quæ ſi ſola ſpectanda forent, non levem ſuſpicionem ingererent ipſum feciſſe animam interitui obnoxiam. Cæterum cum & ibidem, & alibi ſæpe de immortali animorum ſorte recte diſſerat, non eo in ſenſu citata verba intelligenda ſunt, quem præferunt: ſed alio plane diverſo, ita ut vel nihil aliud voluerit, quam mortem nos præſentibus hiſce malis, ac doloribus ſolvere, vel aliud quidpiam in-

intenderit, quod ibi ſatis non explicat. Supra jam dedimus egregium illud Senecę teſtimonium ex Epiſt. 117., quod ſolum rem conficere poſſet, nempe: *cum de animarum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum aut timentium inſeros aut colentium*. Clare ſiquidem exprimit & communem conſenſum hominum fuiſſe extare inferos, atque hunc magnam apud ſemetipſum habere vim ut de animarum immortalitate non dubitaret. Epiſtola quoque 63. de mortis die ſermonem habens diſerte teſtatur, *diem iſtum, quem tamquam extremum reformidamus, æterni natalem eſſe*. In libro quoque ad Polybium cap. 28. ita aperte loquitur de hac re, nihil ut enucleatius dici queat. *Fruitur*, inquit, *nunc* (Frater tuus jam e vivis ſublatus) *aperto & libero cælo: ex humili, atque depreſſo in eum emicuit locum, quiſquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu: & nunc libere vagatur, & omnia rerum naturæ bona cum ſumma voluptate perſpicit*.

XXIII. Sed quid loca alia perſequimur, cum eodem ipſo libro *de conſol. ad Marc.* expreſſa adeo proſtent de animorum immortalitate teſtimonia, ut expreſſiora ne optari quidem valeant? Cap. 23. hæc ſcribit: *facilius ad ſuperos iter eſt animis cito ab humana converſatione dimiſſis: minus enim fæcis, ponderiſque traxerunt. Antequam obducerentur, & altius terrena conciperent, liberati, leviores ad originem ſuam revolant, & facilius, quidquid eſt, illud tranſfluunt. Nec unquam magnis ingeniis cara in corpore mora eſt. Exire atque erumpere geſtiunt &c.* Et cap. 24. *imago duntaxat filii tui periit, & effigies non ſimillima. Ipſe quidem æternus, melioriſque nunc ſtatus eſt, deſpoliatus oneribus alienis, & ſibi relictus*. Et cap. 25. *non eſt, quod ad ſepulcrum filii tui curras. Peſſima ejus, & ipſi moleſtiſſima iſtic jacent oſſa .... Integer ille, nihilque in terris relinquens fugit, & totus exceſſit: paulumque ſupra nos commoratus, dum* EXPURGAT *inhærentia vitia, ſitumque omnem mortalis ævi excutit, deinde ad excelſa ſublatus, inter felices currit animas, excipitque illum cœtus ſacer, Scipiones, Catoneſque, utique contemptores vitæ & mortis beneficio liberi*: pluraque alia ibidem habet æque perſpicua, quæ longum eſſet deſcribere.

XXIV. Ex his ergo nedum in fumum abit tota difficultas, quam parere poſſunt objecta verba, nitideque elucet Senecæ de animorum immortalitate ſententia; ſed etiam evidenter colligitur ipſum reapſe agnoviſſe alterius vitæ ſtatum felicem, aut miſerum. Et de felici quidem ſtatu res clara eſt ex his teſtimoniis, ubi & *beatum* memorat *animarum ſinum, & ſummas voluptates*, quas ibi percipit animus, & virorum ſapientum ſempiternam ſocietatem, & alia hujuſmodi. De miſero vero nihil eſt pariter cur ambigamus, non modo quia ex alio neceſſaria illatione conſequitur, quam Seneca ignorare non potuit, ſed etiam quia conceptis verbis illum exprimit, mentionem faciens de *fæce* ac *pondere* in hac vita contracto a quo eximi debent animi, antequam ad ſuperos evolent, deque *vitiorum expurgatione, ſituque mortalis ævi*, quem prius excutere neceſſe eſt. An vero præter purgatorias, æternas pœnas admiſerit, quibus ſaltem nequiſſimi plecterentur, alia quæſtio eſt, nec quidpiam ex Seneca, quantum quidem arbitror, proferri poteſt, quod alterutri parti vel faveat, vel adverſetur.

XXV. Paucioribus me ab objecta Juvenalis authoritate expedio. Ex ea imprimis illud ut ſummum colligi poſſet fidem ipſum non præſtitiſſe iis, quæ a Poetis de inferorum loco conficta fuerant, nec eadem quoque tunc temporis a provectioribus fuiſſe credita: quod citra ullum ſententiæ, quam defendimus, pręjudicium concedi poteſt. Verum neque hoc colligi poſſe videtur, ſi verba, quę ſtatim ſequuntur conſideremus. Subdit enim Juvenalis: *Sed tu vera puta*, hoc eſt, quidquid alii modo ſentiant de his locis, atque ſuppliciis, ea tu tamquam vera recipias, nec a majorum tuorum fide & ſententia deſciſcas: utilius namque tibi erit ea credere, quam contemnere. Solum itaque videtur voluiſſe Poetam præcedentibus verſibus exaggerare nimiam populi Romani vivendi

licen-

licentiam, morumque corruptelam, quę ad Religionis ſacra dogmata abjicienda, metumque futurorum excutiendum tendebat. Atque hunc legitimum eſſe verborum Juvenalis ſenſum teſtatus mihi eſt V. CL. Antonius Vulpius Patavinus Profeſſor, qui in hoc authore illuſtrando, ut & aliis pluribus, magno Eruditorum plauſu, ſtrenuam operam adhibuit: idque etiam ſatis colligi merito cenſet ex recta, quam habuit, de divina Providentia exiſtimatione.

CAPUT XII.

Oſtenditur nationes omnes, quæ modo in Univerſo ſunt, conſpirare cum antiquis in dogmate de miſera impiorum poſt mortem conditione. Quo pacto illum deſcribant tum novitii Judæi, tum Mahumedani. Sinenſium & Japponiorum de eodem opinationes, omniumque Gentium, quæ Meridionales, ac Septemtrionales incolunt Aſiæ partes. Hinc ad Africæ plagas perluſtrandas excurritur: ac demum ad orbem recens detectum: omneſque harum regionum populi, vel magis efferati, aliqua ſaltem hujus veritatis luce perfuſi deprehenduntur.

I. Satis jam conſtare arbitror communem fuiſſe apud nationes, quę olim invaluerunt, eorumque celebriores Sapientes, perſuaſionem, ſuperſtites eſſe poſt mortem animos, eoſque pro meritis vel præmio donari, vel plecti ſupplicio. Reliquum eſt ut videamus eamdem hodieque vigere apud nationes, quæ univerſum orbem terrarum incolunt: ex quo & quid creditum antea fuerit firmius argumentum ſumere licet, & de univerſali in ea veritate conſenſu, certius judicare.

II. Quatuor præcipuæ ſunt, quæ modo obtinent in mundo, hominum Sectæ: Chriſtianorum videlicet, Judęorum, Mahumedanorum, & eorum, qui communi vocabulo *Idololatræ*, aut *Infideles* nuncupantur. Chriſtiana Religio in tota Europa dominatur, & magna etiam interioris Africæ parte, plurimiſque novi orbis regionibus. In Aſia quoque non paucas Provincias ſua luce colluſtrat, licet ferme omnes aliorum imperio ſubjectas. Mahumedana Secta ingentem occupat Aſiæ tractum, & littorales etiam plures Africæ regiones. Judæi diſperſi hinc atque illinc per Europam, & Aſiam. Infideles demum & Idololatræ tum in Aſia Orientali, Meridionali, ac Septemtrionali, tum in Americæ aut novi orbis regionibus, magno ſane numero, reperiuntur. Chriſtianos, Judæos ac Mahumedanos in dogmate immortalitatis animorum, aliuſque vitæ ſtatus vel beati, vel miſeri conſentire, ſatis exploratum eſt. Nihilominus haud moleſtum futurum puto tum recentium Judæorum, tum Mahumedanorum de hac re opiniones, paucis attingere.

III. Novitii itaque Judæi in duas fere abiere factiones (a), quarum altera *Maimonedeorum*, altera *Noemnodideorum* vocatur. Horum ſententia magis conſona videtur Chriſtiano dogmati. Ajunt enim homines in ſupremo Judicii die iterum corpora ſumpturos, & ex Summi Judicis decreto vel ad pœnas damnatum iri vel donatum præmiis. Id quoque admittunt Maimonedei, ut ex hoc articulo fidei Judaicæ apud Maimonidem cognoſcere licet: *ego credo fide perfecta, quod Creator, cujus ſit nomen benedictum, retribuat bonum illis, qui cuſtodiunt præcepta ejus, & puniat iſtos, qui tranſgrediuntur eadem*. Verum varias ponunt ſtationes animæ a corpore exemptæ: & piæ quidem felicitatem collocant in Dei cognitione & amore; impiæ autem in corporis deſiderio, & radiorum divinæ lucis penetrabili fulgore, qui ſummum ipſi dolorem incutiat. Supplicia hęc docent vel nullo fine terminatum iri, ſi fue-

(a) Daniel Huetius, de concord. fid. & rat. lib. 2. cap. 23.

ſi fuerit ſceleſtiſſima, vel deſitura aliquando, ſi nequitiæ ſuæ probitatis aliquid adjunxerit. Porro hanc, ſicut etiam piam animam credunt die extremo corpus iterum ſubituram, quo aliquando tandem relicto, penituſque attrito, ac in pulverem redacto ſummæ beatitudinis compos fiet in intima, & æterna Dei contemplatione poſitæ. Ex Leone quoque Mutinenſi (*a*), & ex aliis diſcimus Judæos nulla hæreſis culpa infectos, aliove crimine ex iis, quæ a Rabbinis indicantur, purgatorias pœnas ultra annum non protendi.

IV. Mahumedani, quorum abſurda Religio ex Deiſmo, Judaiſmo, & Chriſtianiſmo coaleſcit, nonnulla habent de alterius vitæ ſtatu noſtris non abſimilia. Varia loca pro meritorum, graduumque diverſitate fidelium & infidelium animas excipere poſt diſceſſum a corpore Mahumedes docet: ſed omnia fabulis immiſcet, atque corrumpit. Fidelium gradus in tres dividit claſſes: prima *Prophetarum* eſt, quorum Spiritus in Paradiſum recta admittuntur: ſecunda *Martyrum*, quos manere nugatur *in veſciculis collorum avium viridium fructibus Paradiſi veſcentium, & de ejuſdem fluviis bibentium*. De aliorum fidelium, ſive credentium ſpiritibus controverſia eſt inter Mahumedanos, ajentibus aliis permanere ipſos *in ſepulcrorum atriis*: quod quidem non ita intelligi volunt, quaſi loco iſti eſſent continenter addicti, verum ut inde libere abire poſſint, quocumque libuerit. Quam ſententiam confirmant & dictis, & factis Mahumedis, qui quotieſcumque ad ſepulcra prodiret, ea ſalutare ſolebat nomine *habitaculi populi fidelium*. Alii contendunt ipſos eſſe in *Berzach* apud Adamum in cælo mundano, ibique manſuros uſque in diem univerſalis omnium reſurrectionis, quam conſtanter profitentur: & ejuſdem Mahumedis authoritate opinionem ſuam confirmare conantur.

V. Quoad infideles attinet, putat Mahumedes etiam horum futuram in fine mundi reſurrectionem, ut animæ denuo corporibus unitæ pœnas ſcelerum condignas luant, & in Gehennam detrudantur. Hinc in Alcorano *Sura* 14. dicit: *die quo commutabitur terra in terram aliam videndos eſſe reos vinculis miſere conſtrictos*. Et Sura 15. docet, infernum *eſſe locum omnium impiorum*, cui ſeptem portas aſſignat, & ſeptem Angelos, qui eas cuſtodiant. Et Sura 16. legitur, *malos igne indeficiente cruciandos*. Sura demum 17.: *incredulis Gehennam præparatam eſſe* tradit, *igneum lectulum, & ſimile coopertorium*. Cætera quæ in Alcorano referuntur de horrendis Gehennæ tormentis, vide, ſi lubet, apud Ludovicum Marraccium in inſigni ſuo opere *de refutatione Alcorani*, & apud Hottingerum *tom.* I. *Hiſt. Eccleſiaſticæ*.

VI. Magiſtri doctrinam quoad principale dogma fideliter ſequuntur Mahumedani, licet in aliquibus diſſentiant. Algazelus celebris inter Moslemos Sectę, quam *Sonniticam*, ſeu Orthodoxam prędicant, hunc proponit ſexto loco fidei articulum juxta verſionem laudati Marraccii: *credendum eſt etiam in die judicii, in qua dividentur Creaturæ in eas, quibuſcum benigne agetur: & in eas quæ ſine ullo prorſus examine Paradiſum ingredientur*. Mahumedani Perſæ (*b*) ſeptem Gehennas totidemque Paradiſos a Deo creatos cenſent initio rerum, & octavum deinde additum. At Guebri conditum primum rentur Cælum a Deo, deinde Infernum, ac utrumque variis diſtinctum eſſe domiciliis, & ab hominibus pro rerum geſtarum meritis incoli, impioſque torqueri quidem a Dæmoniis, at aliquando infelici ergaſtulo ſolvendos, & ad Dei conſpectum admittendos.

VII. Sed fuſiore de his tractatione prætermiſſa, ad aliarum gentium, ac nationum conſenſum explorandum accedamus. Prima quæ ſe nobis offert in Orientali Aſiæ parte eſt celebratiſſima Sinarum gens. Hanc, ſi nonnullos excipias ex ea præſertim Secta, quam *Litteratorum* vocant, univerſim animorum im-

(b) Part. 5. cap. 10 Judaic. Cæremon.

(b) ex Huetio loc. cit.

immortalitatem noſſe, nec ullatenus dubitare, quin poſt mortem probi recipiantur in cælum, improbi vero in obſcuris carceribus acerbiſſime crucientur, tradunt Hiſtorici fide digniſſimi Joannes Gonzales (*a*), Petrus Maffejus (*b*), & Nicolaus Trigautius (*c*). Ex quibus Gonzales hæc ferme habet: *Ajunt, ac tamquam certum affirmant animas a cælo originem trahere, nec unquam finem habituras, cum ab eo acceperint ut æternum vivant. Quæ vero juxta legum præſcripta vixerint, nec mali quid fecerint, aut damnum proximo irrogaverint, hæ ducentur in cælos, atque fient Angeli, ubi in deliciis, & voluptatibus æterno ævo fruentur: e contrario, qui turpiter vitam egerint, ad caliginoſos carceres deputabuntur, ubi acerbe cum dæmonibus torquebuntur*. Trigautius autem loquens de Secta eorum, quam *Sciequiam* appellant, ſcribit: *probis in cælo præmia, improbis apud inferos pœnas aſſignare, quamvis ſimilitudinem quamdam hauſerint ſtultæ illorum opinationis, qui animas poſt certum annorum curriculum in mortalem vitam reſtituendas putarunt*. Perſuaſionem etiam de futuræ vitæ pœnis penes eos obtinentem probant horrendæ inferorum picturæ, ſive delineationes, quæ in multis Sinarum locis viſuntur: ex quibus idem Trigautius quamdam ſupra modum horribilem in aula primaria cujuſdam Optimatis a ſe conſpectam deſcribit, quam vides apud ipſum. Sinenſium placitis adhærent etiam Tunquinenſes, & Cocinchinenſes a vaſtiſſimo illo imperio jam pridem ſejuncti.

VIII. De Japponienſibus inſigne habemus in primis teſtimonium in Epiſtola a S. Franciſco Xaverio ſcripta (*d*): cujus hæc ſunt verba: *iidem* (nempe Japponienſium Bonzii) *ad populum quintodecimo quoque die verba faciunt, & inter dicendum graviſſimas inferorum pœnas, cruciatuſque depictos in tabula Auditoribus proferunt: cujus acerbitate ſpectaculi uſque ad ejulatus & lacrymas fœminæ præcipue, commoventur*. His conſonant, quæ ſcribit Rogerus Anglus (*e*) dicens *Japponienſes tormentum ignis, quo crucientur impii, crudeliſſime depingere, quo homines ſibi ab illo caveant*. Qui harum gentium Religionem accuratius deſcripſere (*f*), obſervant tres ſectas florere inter ipſas, antiquam ſcilicet, quæ *Sintos* dicitur, cujus dogma eſt animas piorum ſeparatas a corpore in locum beatum ſupra trigeſimum tertium cælum ſecedere: malas vero & ſceleratas oberrare tandiu ſtatuit, donec crimina expiaverint. Secta altera, quæ *Budidoiſtarum* vocatur, agnoſcit Amidam tamquam ſupremum ſedium beatarum Numen, Patronumque ac mediatorem animarum maxime ſeparatarum, hujuſque auxilio conſequi ſe poſſe autumant æternæ vitæ felicitatem, & immunitatem ab omni miſeria. Tertia demum Secta, quæ *Sindoviſiſtarum* eſt, quamvis Amidam non colat, doctrinam tamen ejus quoad alterum vitæ ſtatum non inficiatur, ut colligitur ex cæremoniis, quas religioſe obſervant circa defunctos, & ex iis, quæ de iiſdem fabulantur. Fateri tamen neceſſum eſt, quemadmodum inter Sinenſes, ſic inter Japponios eſſe plures Atheos, ex nobilioribus præſertim, qui nihil de futura vita cogitant, eumdemque eſſe putant corporum, & animorum interitum: ut advertunt laudatus S. Franciſcus Xaverius in eadem Epiſtola, Petrus Maffejus, Craſſetus, & alii.

IX. Ex his in Indiam deſcendentes ſententiam de animi immortalitate vigere in amplis illis regionibus, omnium Hiſtoricorum, & Peregrinantium fide certo novimus. At vero non eadem perhibent omnes de ſtatu, & conditione, quam animabus e corpore egreſſis Indi tribuant: quæ diſcrepantia ex variis facile oritur, diverſiſque illarum gentium opinamentis. Ugo Linſcthoſtanus (*g*) refert Indos *credere animam*

eſſe

(a) in Hiſtor. Chinenſi lib. 2. cap. 6. (b) lib. 2. Hiſt. Ind. (c) lib. 1 exped. Sinen.
(d) apud Emanuel. Acoſtam lib. 2. Epiſt. (e) apud Claſſenium Tom. 8. collect. Gronov.
(f) Jo: Gaſpar. Scheuzerus, Emanuel Acoſta apud Brikerum, Craſſetus, &c.
(g) 1. part. cap. 38. apud Claſſenium.

eſſe immortalem, ſed ita ut ex uno corpore in aliud tranſmigret, nec eſſe differentiam, ſive in brutum, ſive in humanum corpus involet, prout quiſque vel bene vel male egerit.

X. Dominus de Mandeslo *in Hiſtor. Indica* (*a*), *profitentur*, inquit, *Indi Pythagoræ doctrinam. Et quidem credunt animam hominis immortalem eſſe: attamen antequam ad alium pertingat mundum, ter aut quater teneri in alia corpora tum hominum tum beſtiarum migrare.*

XI. Daniel Huetius (*b*) ea, quæ de Bracmanibus Indorum Magiſtris collegit ex Sachino, Maffejo, aliiſque, ita fere proponit: Recentiores Bracmanes (qui veteribus in India ſucceſſere) varia aſſuerunt doctrinæ, quam a ſuis majoribus acceperant. Perſuaſum habent animas ex vitiorum, virtutumque modo in alia corpora migrare, aliquas etiam fieri Dæmones, & per orbem vagari: quaſdam extra mundum cruciari ad præfinitum tempus, antequam alia ſubeant corpora: nonnullas etiam ad ſempiterna ſupplicia illic damnatas aſſervari. Locum hunc *Puteum obſcurum* appellant, uti Judæi Novitii *Puteum perditionis*, & S. Joannes *Puteum Abyſſi*. Similiter aliquas Sanctorum animas ſumma & æterna felicitate perfrui putant.

XII. In his quoque finitimiſque regionibus omnium Hiſtoricorum conſenſu, paſſim ingenti plauſu probatur doctrina cujuſdam antiquiſſimi, ac celeberrimi Philoſophi, nomine *Buda*, ſive *Xekia*, vel apud Japonienſes, Sinenſes, & alios *Xaka*, vel *Siaka*. Hujus dogmata ex iis, quæ tradunt Le Comte, Laloubere, Bernierius, aliique (*c*) hæc ſunt ad rem noſtram.

1. *Dari boni, & mali diſcrimen.*

2. *Animas hominum & brutorum eſſe immortales, ejuſdemque ſubſtantiæ, & tantum ratione ſubjectorum, quibus inſunt, differre.*

3. *Animas hominum a corporibus morte ſeparatas vel præmia accipere vitæ bene actæ in ſede felicitatis, vel pœnas experiri in loco miſeriarum.*

4. *Locum Beatorum eſſe ſedem æternarum voluptatum, ideoque vocari Gokurakſ, quæ vox Japponica eſt: a Siamenſibus vocatur Nireupan.*

5. *Differre & Deos natura ſua, & animas hominum meritis actionum ſuarum, ideoque gradus quoque beatitatis in illis differre ſecundum gradus meritorum cujuslibet: ita tamen minimum quoque hujus felicitatis gradum abundare gaudio, & jucunditate, ut meliorem poſſeſſores non optent.*

6. *Amidam ſupremum eſſe in his regionibus beatis Præfectum.*

7. *Hujus felicitatis Amidæ beneficio compotes fieri, qui legi a Xecbia latæ obediant.*

8. *Homines omnes & ſæculares, & Eccleſiaſticos vitæ iniquitate, & actionum perverſitate indignos factos vita beata, miſſum iri poſt mortem in locum miſeriæ Dſigokſ, ubi in carcere tormentorum cruciatus patientur, non tamen æternos, ſed ad certum tempus, licet indeterminatum. Habere autem hæc ſupplicia gradus quoque ſuos pro criminum conditione, & occaſione virtutis exercendæ neglecta.*

9. *Præſidem Carceris ſquallidi & miſeri, Judicemque eſſe Jemma O, qui actiones omnes hominum examinet, & in ſpeculo cognitionis exploret.*

10. *Expiatis hoc modo animabus, remitti eas ex ſententia Præſidis infernalis in Mundum, ut iterum corpora animent, at non humana, ſed animalium immundorum, quorum natura cum vitiis illis conſpiret, quibus in mundo infectę erant.*

11. *Fieri autem deinde migrationem animarum ex corporibus vilioribus in meliora, & nobiliora gradatim, donec mereatur anima corpus iterum humanum ingredi, in quo vitam agens virtuti conſentaneam, futura felicitate digna poſſit evadere. Sin iterum ſceleribus litet, priorem fatalem pęnarum periodum alteramque migrationem ſubeat.*

XIII. Generali hac præmiſſa notitia, per-

M

(a) lib. 1. cap. 37. (b) loc. ſup. cit, (c) vide ruk:rum Tom. 5 lib. 3. de Philoſoph. exotica.

percurramus peculiares aliquas nationes per vaſtiſſimum illum terrarum tractum diſperſas. Malabarum fides, quo nomine eas omnes gentes comprehendimus, quæ per imperium Mogulicum, ſive Indoſtanum, Bengalam, Ceylanum, aliaſque regiones extenduntur, tribus hiſce articulis continetur (*a*): Primus: *poſt mortem poteſt homo per tranſmigrationem non modo brutum, ſed & creatura inanimata, immo Diabolus evadere*. Alter eſt: *felicitas animæ poſt mortem partim in aliis mundis, partim in cælo quærenda eſt*. Tertius demum: *peccata poſt hanc vitam in inferno puniuntur: in cujus tenebris tamen cruciatus nonniſi paucorum æternum durat*.

XIV. Peguenſes, & Avenſes, juxta relationem D. Davithi *in Aſia* (*b*) univerſalem hominum reſurrectionem agnoſcunt, triaque loca fatentur animabus aſſignata poſt mortem. Primum vocant *Sævum*, locum Paradiſo Mahumedanorum affinem: Secundum *Nazac*, ſive locum tormenti: poſtremum *Nibam*, quæ vox totalem ſignificat eſſendi privationem, corporiſque & animæ interitum. Docent itaque animas pro meritorum conditione diutino tempore detineri in *Sævum* & *Nazac*, unde ſæpe in hunc mundum adveniunt, donec transferantur in *Nibam*, ſive in nihilum reducantur. Author idem de Incolis regni *Biſnagar* perhibet docere eos animæ immortalitatem, & præmium bonorum, malorumque punitionem in alia vita.

XV. Siamenſes (*c*) Cæleſtem beatitudinem, & ignes Tartareos in dogmatis habent: at his finem præſcribunt. Locum utrumque felicitatis, ac ſupplicii partiuntur in varias domos: cruciatuum miniſtros eſſe Dæmones credunt in inferis locis: utrinque demitti in alia corpora poſt certum tempus, & ex rerum geſtarum meritis ſingulis ſortem, ſuas ſedes aſſignari. Harum gentium opinionem ita refert Salmonius (*d*): eos nempe credere animas, poſtquam plura corpora ingreſſæ fuerint, tandem ad alium mundum deduci, ubi juxta operum rationem præmiis, vel pœnis afficiantur æternis: & probis quidem locum ſupra ſidera, malis autem intra terræ viſcera conſtituere. Idem Author de populis *Achem*, ſive *Aſſemitis* narrat aliam eos vitam agnoſcere, ubi deliciis omnibus perfruantur, qui recte vixerint: qui autem male, miſeriis omnibus obnoxii futuri ſint.

XVI. De Indis, qui Inſulam Goam, vicinaſque partes inhabitant, hæc ſcribit Jo: Ugo Linthoſtanus (*e*): *maxima pars Solem, & Lunam adorat: credunt tamen pariter omnes in unum Deum Creatorem & moderatorem Univerſi: credunt etiam poſt hanc, vitam æternam, in qua unuſquiſque prout bona, vel mala operatus eſt, mercedem accepturus ſit*.

XVII. In amplo *Narſingæ* regno hæc de animabus vita functorum probatur opinio (*f*): eas nimirum vel ad gloriam, vel ad pœnam percipiendam deferri: bonorum præmia æterna eſſe: at malorum tormenta temporaria. Putant enim omnium animas pœnis purgari, ac defæcari. At idem ſentiunt, qui regionem *Daquen* colunt (*g*), addentes locum improborum ſub terra deliteſcere, ac ubi animæ congruo tempore in eo cruciatæ fuerint, rurſus in alia corpora reſtitui.

XVIII. Populi Langiani juxta relationes P. Marini (*h*), nolunt quidem de inferno audire ſermonem, non quia tamen ipſum negent, ſed ne pœnarum metu nimium perturbetur ipſorum cogitatio, minuaturque ea voluptas, quam percipiunt ex promiſſionibus ſibi factis de meliore quadam vita. Qui Xacæ, & Talapinorum doctrinam conſectantur, credunt malorum animas nullum poſt mortem invenire locum, niſi in inferno, ubi culpas in hoc ſæculo commiſſas eluere tenentur gravioribus, levioribuſque tormentis juxta criminum numerum, & qualitatem.

XIX.

(a) apud Brukerum loco cit. (b) apud Joverhum de Relig. &c. (c) ex Huetio loco cit. (d) Tom. 3. (e) par. 2. Indiæ Orient. cap. 35. (f) Ferrand. Lopez par. 1. Indiæ Orient. cap. 15. (g) idem cap. 35. (h) apud Joverhum de Relig.

XIX. Demum ne aliorum Indorum placita his, quæ relata ſunt, non abſimilia perſequamur, Formoſenſes ex Domini Maigroti teſtimonio animas per pontem in alium orbem traduci comminiſcuntur: pias illum prætergredi, & abire in amœniſſima loca: noxia vero a ponte in ſubjectum amnem ſordibus fluentem decidere, atque illinc perpetuo volutari.

XX. Poſt Indiarum populos celebris eſt in Septentrionali Aſiæ parte Tartarorum gens & imperium, quo nomine plerumque veniunt omnes illæ nationes, quæ intra & extra Caucaſum montem ad Sinas uſque protenduntur. De his hæc ex aliis edifferit Brukerus (*a*): „ occupaviſſe olim haud exiguam Tar„ tariæ magnæ partem Chriſtianam Re„ ligionem ſecundum Neſtorii placita „ traditam, eam autem omnem fere „ excisſam hodie eſſe, eleganti commen„ tario explicuit Jo: Laurentius Mos„ hemius in Hiſtoria Eccleſiæ Tartar.. „ Hodie Religionem Tartarorum, aut „ Mahumedis legem ſequi, aut cultum „ Idolorum, in confeſſo eſt. Ille in vi„ cinioribus Turcarum regionibus; ma„ xime in magna Bucharia, vivunt: hi „ majorem Tartariæ partem occupant. „ Et horum quidem Religio nondum „ hodie ita explorata eſt, ut de ea certi „ quid ſtatui, ejuſque originem ſatis pro„ babili conjectura definiri queant, niſi „ quod ſuperſtitionibus eſſe deditos, ple„ bemque innumera Idola colere, velut „ legatos Dei, uno ſummo Deo admi„ rationi magis, quam venerationi expo„ ſito, dubitandum eo minus ſit, quo „ minus in eo peregrinantium relatio„ nes diſſentiunt. Habet autem cultus „ Idololatricus fundamentum partim in „ eo, quod Idola eſſe imagines divina„ rum emanationum, ſive irradiationum „ contendunt, partim quod animarum „ tranſmigrationem amplectuntur: hinc„ que divinas animas, quæ ex Deo pro„ fluxerunt, inhabitare idola credunt. „ Ita vero Metempſychoſi, quæ totam „ Aſiam, & Africam pervagata eſt, „ addicti ſunt, ut non modo in homi„ nes, ſed in bruta quoque deſcendere „ animas ſtatuant.

XXI. Alii Scriptores ulterius de eadem Tartarorum gente affirmant, credere ipſam in mundo quodam alio, quem tamen deſcribere non poſſunt, ſe poſt hanc vitam æternum victuros, & meritorum ſuorum condigna præmia percepturos (*b*). Ex nuperrimis quoque Miſſionariorum relationibus diſcimus, gentes, quæ vaſtum Thibeti regnum incolunt, tum infernum, tum Paradiſum profiteri, & in priorem quidem malos deſcendere certa quadam neceſſitatis lege; ad poſteriorem vero aſcendere illos, qui bene vixerint, ut operum ſuorum fructum recipiant.

XXII. Superſunt adhuc etiam in regionibus Perſidi finitimis reliquiæ quędam veterum Perſarum, *Gauri* nuncupati. Libros hi ſervant religioſa cura frequentibus figuris conſperſos, quæ pœnas repræſentant pro peccatis in inferno perſolvendas, eaſque præſertim, quæ peccato debentur, quod *nefandum* dicitur, quodque ipſi ſummopere abominantur. Putant tamen in fine mundi omnium pœnas terminum habituras, Deumque delicta quævis miſericorditer condonaturum.

XXIII. Sed jam ex Aſia in Africam transfretemus. Præter Chriſtianos, & Mahumedanos, qui majorem amplæ hujus regionis partem occupant, ſunt ibi nationes aliquæ, de quibus olim a pluribus dubitatum eſt, an futuræ animarum ſortis luce aliqua perfunderentur: immo nonnulli eam aperte ipſis denegarunt: eæque præcipue ſunt quæ circa *Caput bonæ ſpei* per ingentes terrarum tractus diffunduntur, & *Cafri*, ſive etiam *Hottentoti* populi vocari ſolent. Sed dubitationem tandem omnem ſuſtulere, qui ætate noſtra in eorum ritus, ac mores diligentius inquiſiverunt:

M 2 ex

(*a*) loco ſupra cit.

(*b*) vide Jo: Boemum in lib. cui titulus: *Mors, leges, & ritus omnium gentium*.

Digitized by Google

ex quibus D. Kolhe Batavus, qui plures annos in iis regionibus commoratus eſt, ſummaque cura ipſorum ſecretiora penetralia ſcrutatus, fidem facit, teſtaturque (*a*) ipſos præter Deum etiam animæ immortalitatem credere: quamquam naturali quadam incogitantia, & negligentia, ſicut de craſtino non cogitant quoad res temporales, victum, veſtitumque pertinentes, ita neque de futura poſt hanc vitam operum retributione: unde plures perperam ſuſpicati ſunt nullam ipſos habere de hujuſmodi dogmate notitiam. Et certe aliquos colunt jam vita functos, eorumque patrocinium implorant, quos cum laude vixiſſe exiſtimant, ac peculiaria virtutum, ac beneficentiæ opera præſtitiſſe, dum mortalem hanc lucem hauriebant. Quare, ut Author idem obſervat, audiendi non ſunt, qui nixi minus ſinceris, & accuratis aliquorum narrationibus, eos populos tamquam Atheos indubie affirmarunt.

XXIV. Idem etiam conſtat de Quineæ gentibus ex relatione Gothardi Arthusdanticani par. *6*. Ind. Orient. cap. 21. (*b*). „ Batavi, inquit, cum ipſis „ converſantes, & eos de Religione „ ſua interrogantes, quid nimirum ſentirent de ſtatu animarum poſt mortem, & judicio, & vita æterna, reſpondebant ſe extremum judicii diem „ prorſus ignorare, ſed vita ſemel functos in alium mundum migrare, at „ quo modo, vel quo, affirmabant ſe „ neſcire, dicentes tamen aliam eſſe rationem hominum, & aliam pecorum: „ ſed qualis eſſet eorum conditio poſt „ mortem, plane ignorabant, neſcientes an locus ille ſupra, vel infra terram ſit. Solere tamen ſe partem aliquam ſupellectilis aſſignare defunctis, „ ut quocumque tandem venirent, haberent neceſſaria ad uſus quotidianos. „ De incolis Regni Benin in eadem Quinea Jovethus (*c*) tradit *temere ipſos animas immortales*, *easque ad Solem pergere poſt diſceſſum a corpore*.

XXV. Explicatior eſt notitia, quam habent habitatores magnæ Inſulæ *S. Laurentii*, ſive *Madagaſcar* appellatæ. Juxta enim recentes memorias, eorum maxime, qui Religionis Chriſtianæ propagandæ cauſſa hanc inſulam peragrarunt, agnoſcunt unum Deum cæli, terræque creatorem, qui omnibus juxta merita retributurus eſt in altera vita, & bonos quidem præmio, malos vero debita pœna affecturus. Atque horum doctrinæ adhærent etiam populi Inſulæ, quam *Borboniam* nominant.

XXVI. Perluſtrato veteri terrarum orbe, reliquum tandem eſt, ut novum, ſive recens detectum adeamus, ejuſque etiam gentes alioquin, ſiquæ aliæ, barbaras, & efferatas, veritatis, qua de agimus, notitia afflatas oſtendamus. Celebriores ſunt in eo tractu populi Mexicani & Peruani. De Mexicanis certam fidem faciunt Joſephus Acoſta, Jovethus, & alii, eos antequam Hiſpani ad illás regiones appellerent, animę immortalitatem tenuiſſe, aliamque vitam bonis quidem meliorem, malis vero longe deteriorem. De Peruanis quoque idem præter *Acoſtam* tradit Petrus de Cieca unus ex primis, qui in Americam Meridionalem ingreſſus eſt, & eas regiones per plures annos luſtravit, probatque integro capite *63*. operis ſui (*d*) eas gentes, ac finitimas crediſiſſe animas non mori cum corpore, ſed eſſe ſuperſtites: & obſervat hunc inter eas barbarum morem invaluiſſe, quod in ſepulcra, locaque contermina ea inferebant omnia, quæ defuncto in altera vita commodo futura putabant, aurum ſcilicet, veſtes, cibos, ſervos quoque, & fœminas, quibus uteretur. Auguſtinus item Zaratus præter hęc, putat ipſam corporum reſurrectionem eos omnino non latuiſſe (*e*). Enixe enim petebant ab exteris, qui ipſorum regiones invaſerant, ne propter auri conquirendi famem, humatorum oſſa diſſiparent, quo videlicet

(a) in deſcriptione harum regionum. (b) apud Anton. Ruſc. (c) de Relig. par. 2.
(d) Chronici Regni Peruani. (e) lib. 1. cap. 12. Hiſtor. Peru. apud Ruſc.

licet illi ocyus, & minore negotio tandem reſurgerent. Immo vel ipſi *Caraibæ*, qui in Meridionali Americæ parte degunt, tum immortalitatis animæ, tum præmii vel pœnæ ſecuturæ cognitione penitus deſtituti non ſunt, quamquam admodum confuſa, fabuliſque permixta. De Caraibis pariter, qui commorantur in Antillis, referunt Dominus de Rochefort in ſua Hiſtoria, & Dominus de Tetre in Hiſtoria Inſularum Antillarum (*a*) agnoſcere ipſos ſupremum aliquem Deum infinite bonum, nemini noxium, timere ſpiritus malignos, quos *Mabogas* vocant, ac credere animam primariam, quæ juxta ipſos in corde reſidet, non interire cum corpore, ſed evolare in cælum.

XXVII. Piaculare plane fuerit hoc loco præteriri orationem, quam Petrus Martyr Mediolanenſis in Oceanicis decad. 1. lib. 3. (*b*) habitam refert ad Hiſpanum Præfectum ab homine Americano, nudo quidem, ſed gravi, magnæque auctoritatis. His autem verbis ea concepta eſt. *Terras omnes iſtas hactenus tibi ignotas, manu potenti te percurriſſe renunciatum nobis fuit, populiſque incolis metum non mediocrem intuliſſe. Quare te hortor, moneoque itinera duo, cum e corpore proſiliunt, animas habere ſcias: tenebroſum unum ac tetrum bis paratum, qui generi humano moleſti, ac infenſi ſunt: jucundum aliud & delectabile iſtis ſtatutum, qui pacem & quietem gentium viventes amarunt. Si igitur te mortalem eſſe, & unicuique pro præſentibus operibus futura merita obſignata memineris neminem infeſtabis.*

XXVIII. Quænam ſit Braſilienſium de altera vita opinatio, plures jam memoriæ prodidere, eos nimirum putare malorum animas poteſtati Dæmonum tradi, qui eas excrucient, bonorum vero in conviviis & choreis ultra quoſdam montes felicem vitam tranſigere. Præ ceteris clare, diſtincteque eorum ſententiam proponit Joannes Lecrius part. 3. Americæ Navig. Braſil. cap. 16. (*c*) inquiens: *parum abſunt quin brutorum inſtar vivant, nec ulla gens eſt in toto terrarum orbe, quæ ſit a Religione magis aliena. Verum Deum ignorant. Nullos quoque. Deos falſos, ſive cæleſtes, ſive terreſtres agnoſcunt.* Quis inde non ſuſpicaretur ipſos nec agnoſcere alterius vitæ ſtatum? Sed audi eumdem authorem ita proſequentem. *Attamen, ut exponam quantulum lucis inter denſiſſimas tenebras, quibus obcæcantur, perſpexerim, affirmo eos non modo immortalitatem animæ credere, ſed pro certo quoque habere poſt mortem eorum animas, qui virtutem coluerint (virtutem autem illi definiunt ſuo more &c.) poſt altiſſimos montes evolantes, Patrum, & Avorum ſuorum animis aggregari, ibique in amœniſſimis hortis, perpetuis deliciis, ac tripudiis perpetuum ævum agere. Ignavorum contra manes, qui ſine ulla propagandæ gloriæ cura inglorie vixerunt, abripi ab Aygam (ſic illi cacodæmonem vocant) & cum eo ſempiternos inter cruciatus vivere.* De populis aliis hiſce finitimis in magna Provincia Paraquaica nuperrime detectis, quos *Manacias* appellant, hanc referunt eſſe quoad defunctorum animas opinationem (*d*). Poſtquam anima e corpore egreſſa eſt ad cælum defertur ab ipſorum *Mapono*, ſeu Sacerdote. Sed antequam illuc perveniat, pertranſire debet denſiſſima nemora, prærupta montium juga, lacus, paludes, quouſque pertingat magnum quemdam pontem, cui Numen præeſt nomine *Tatuſius*. Iſtud adventantes animas interdum ſiſtit purgationis ergo: & ſi purgationi quidem libenter conſenſerint, liberas ſubinde dimittit. Si vero reluctentur, in flumen projicit, unde non amplius emergunt.

XXIX. Sed prolixum iter tandem abſolvamus, eademque luce non carere gentes, quæ Septentrionalem Americæ partem colunt, palam faciamus. Comprehenduntur hoc numero præcipue tum Canadenſes, qui *Hurones* etiam appellantur, tum qui in Florida & Virginia commorantur, aliiſque contiguis regio-

(a) apud Thomam Moniglia in Diſert. Cont. Fataliſtas.
(b) apud Claſſenium Tom. 1. Gronov. (c) apud Ruſc.
(d) Lettres edifiantes, & curieuſes Tom. 25. Lett. 2.

gionibus'. Nonnulli quidem ſuſpicati ſunt olim hujuſmodi gentes in tam profunda ignorantię nocte verſari, ut nulla neque Dei, neque futurę hominum ſortis notitia illuſtrarentur. Sed plures re melius conſulta, moribuſque earum, & opinionibus penitius exploratis, & inſpectis, omnem ſuſpicionem depulere. Refert in primis Dominus Lahontan (*a*) ſe dialogum habuiſſe cum quodam ex Huronibus, ex eoque demum collegiſſe hæc apud ipſos obtinere dogmata. Primo nempe: *Eſſe aliquem conditorem Mundi*: 2. *Dari immortalitatem animæ*: 3. *Magnum Deum dediſſe hominibus rationem, quæ judicandi, diſcernendique inter bonum & malum capax ſit*: 4. *tandem animas poſt mortem abire in certam quamdam regionem*, quo utique referat juxta opera præmium, aut pœnam.

XXX. In litteris quoque ſcriptis ex nova Aurelia a P. Petit S. J. (*b*) legimus eos populos immortalitatem animæ credere, ratumque habere omnes, qui proprias leges exacte cuſtodierint, perrecturos poſt obitum ad regionem deliciis, & voluptatibus affluentem: qui vero eaſdem tranſgreſſi fuerint, projiciendos ſuper terras graveolentibus aquis conſperſas, ubi ferocium beſtiarum morſibus exponantur, carnibus ſerpentum, & putridorum piſcium alantur, belliſque ac rixis perpetuis exagitentur.

XXXI. Accedit in confirmationem quod noviſſime diſſeruit P. Lafitau in egregio ſuo opere *de moribus ſilveſtrium Americanorum Septemtrionalium* (*c*). In eo quippe inſtituta comparatione morum illarum gentium cum moribus vetuſtæ ætatis hominum, de quibus in ſacris præſertim litteris mentio fit, pluribus evincit magnam inter utroſque dogmatum, vivendique rationis intercedere ſimilitudinem, & quoad rem noſtram attinet, oſtendit ſilveſtres & incultas illas nationes circa Dei, vitæque futuræ notitiam nullatenus deſciviſſe a Priorum notionibus, ſed eas, ſaltem quoad ſubſtantiam, incorruptas retinuiſſe, locumque poſt mortem admittere, quem *animarum regionem* appellitant, in quo & boni pręmium, & mali ſupplicium percipiant.

XXXII. Eadem perſuaſione perhibent alii imbutos eſſe populos Floridę, qui Chriſtianam fidem nondum recepere. De Virginienſibus etiam teſtatur Thomas Avioth Anglus credere ipſos vita functos homines, vel felicitate potiri cum Diis, vel in immane barathrum verſus Occidentem in perpetuos ignes deturbari. En verba Anonymi alterius Authoris, qui de commodis Incolarum Virginiæ ſcripſit (*d*), „ Animæ, inquit, immortalitatem etiam credunt, „ eam ſtatim atque a corpore ſoluta „ eſt, transferri ſecundum opera, quæ „ fecit, vel ad Deorum ſedes ad perpetua felicitate fruendum, vel ad in„ gentem foſſam, ſeu ſcrobem (quam „ in extremis mundi finibus procul ab „ ipſis verſus Occidentem eſſe cenſent) ad „ perpetuum ignem. Eum locum ipſi „ POPOGUSSO appellant. „ Profert ſubinde vulgata duo apud ipſos exempla, quibus id, quod ſentiunt, confirmare ſolent, quæ licet fabularum loco habenda ſint, eorum tamen de alia vita perſuaſionem manifeſtam faciunt. Ita nempe refert eos enarrare ſolitos: „ ſceleratus vir, cum a morte ſepultus fuiſ„ ſet, poſtridie tellus, in qua ſepultus „ fuerat, moveri cępit. Terra erutus „ indicavit animam pæne in POPO„ GUSSO conjectam, niſi Deorum quiſ„ piam eam liberaſſet, atque conceſſiſſet, „ ut ad ſuos rediret, declaratura, quæ „ agenda eſſent, ne in barathrum illud „ conjiceretur. Contra vero alter ſe„ pulturæ traditus, terraque erutus, ſi„ cut prior, affirmabat animam ſuam „ vivere, licet corpus ſepultum in ſcro„ be jaceret: illum iter feciſſe procul „ admodum per viam longam & latam, „ utrinque elegantiſſimis arboribus con„ ſitam, adeo raros, & excellentes fructus

(a) apud Bruchesum. (b) Lettres edificantes &c.
(c) Hujus operis copioſa excerpta habes Tom. 51. &c. Diarii Litteratorum Edit. Ven.
(d) p. 3. lib. 3. apud Ant. Ruſc.

„ ctus ferentibus, ut ſimiles antea neque „ conſpexiſſet, nec exprimere, quales „ eſſent, poſſet: tandem ad ſplendidas „ ædes perveniſſe, apud quas Patrem „ ſuum reperiſſet antea defunctum, qui „ illi expreſſe præcepit, ut rediret, & „ amicis ſignificaret, quæ bona ipſis eſ- „ ſent agenda, ut ejus loci deliciis „ frui poſſent: quo peracto, denuo ad „ ſe reverteretur. Hæc tamquam in- „ dubitata affirmant. „ Sic ille.

XXXIII. Non me quidem latet nonnullos eſſe Scriptores, quos inter Baylius & Fabritius, qui narratione quorumdam itinerantium innixi contendunt aliquas eſſe nationes aut gentes plane atheas, quę nullam Dei cognitionem habent aut immortalitatis animorum. Sed quam ſubleſta ſit itinerantium fides & auctoritas, jam plures oſtenderunt, ex quibus placet hic animadvertere, quæ Richardus Blaxmorius de pleriſque itinerum ſcriptoribus graviter prudenterque pronunciat, (*a*) eos nempe ad veritatem aſſerendam non eſſe teſtes idoneos. Namque ad litora terrarum nave advecti populos plane peregrinos offendunt, qui aut ipſi fugiunt, aut fugiuntur, cęremonias inſuetas oculis forte uſurpant: quas vero non niſi ænigmatum inſtar pro lubitu explicare poſſunt, nullas eſſe affirmant, atque adeo nec ullam eſſe apud ipſos religionem. At vero quomodo iidem mores & placita gentium barbararum explicabunt aut intelligent, ad quarum inſtituta non admittuntur, quarumque linguam neutiquam callent? Suomet exemplo Blaxomorius contrarium docet, qui inter Floridæ incolas per decennium integrum verſatus, id demum penes eos offendit, quod primis annis minime putaverat. Floridam enim ab Atheis habitari communis opinio fuerat: ipſeque Blaxmorius incolas nulli cultui exteriori deditos, idoliſque ac templis omnibus deſtitutos vidit. Sed eorum moribus penitius inſpectis tandem naturali quadam religione imbutos cognovit, & quidem, ut ait ille, longe puriore, quam quæ Socratis & Platonis fuerat. Atque ex hoc exemplo colligit Blaxmorius idem plane incerta eſſe quæ de Hottentotis itinerum ſcriptores referunt: nam cum hæc gens lingua articulata deſtituatur, unde nam conſtare ipſis poterit, an ita ſint quales videantur? Nemo ſaltem majori veritatis ſpecie iis omnem religionis naturalis ſenſum denegaverit, quam aſſeruerit: imo non deſunt, qui cum annis pluribus converſati cum ipſis fuerint, plura repererunt inditia tum cognitionis Dei, tum vitæ futurę. Atque idem dicendum videtur de aliis nationibus, quæ *Athea* a nonnullis creduntur. Dominus Stillingletus Anglus ad examen vocat hujuſmodi omnes nationes, oſtenditque perperam a quibuſdam *Atheas* exiſtimari (*b*): quod probat tum de populis inſulæ Cubæ & Hiſpaniolæ, tum de Caraibis, tum de Americanis Septemtrionalibus Virginię &c. tum etiam de habitantibus Braſiliam, de Diagritis, de Guaranis, de Calcaquinis, aliiſque.

CA-

(a) Eſſai de la Provide &c. let. 7.
(b) in orig. ſac. par. 2. cap. 1., in collectione Boyliana tom. v. pag. 81. &c.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Decretorium pro alterius vitæ ſtatus exiſtentia ex omnium gentium conſenſione depromptum argumentum concluditur. Hujuſmodi conſenſus nonniſi ab interiore naturæ vi procedere poteſt. Quam falſo a quibuſdam humanæ Politicæ, aut inventioni tribuatur. Argumenti robur nullatenus enervat aliquorum diſſenſus. Naturæ vox nunquam fallax eſt, aut errori obnoxia. Atque adeo propoſitum de futura impiorum ſorte dogma tali nixum teſtimonio verum eſſe neceſſe eſt.

I. JAm vero conſtituta omnium gentium tum veterum, tum recentiorum in dogmate de animi immortalitate, ejuſque futuro vel felici ſtatu vel miſero firma conſenſione, ad duas alias, quas antea poſui, propoſitiones demonſtrandas accedo, ut argumenti, quod ab eo conſenſu deducitur, ſumma vis & efficacia conſtet. Harum altera erat, univerſalem hujuſmodi in illo dogmate conſenſum non ab alio principio proficiſci poſſe, quam ab interiore quadam naturæ vi, aut teſtimonio, altera vero eamdem naturæ vocem, aut teſtimonium fallax eſſe non poſſe, vel errori obnoxium: adeoque neceſſaria plane conſecutione admittendum eſſe alterius vitę ſtatum, in quo & probi præmio donentur, & improbi dignis ſuppliciis plectantur.

II. Quoad primam igitur ex his propoſitionem ſpectat, ea validiſſimo hoc, & cuivis obvio argumento probatur, quod nempe de rebus cæteris quibuſcumque ita omnes judicare ſolemus, eas naturales eſſe, ſive Naturæ effectus, quas ubique & ſemper continenti ſerie ſequi conſpicimus, neque firmius aliud argumentum ad id afferri poſſe arbitramur. Sic naturales dicimus cælorum motus, & circuitus, gravium corporum deſcenſum, arborum germina ac fructus, totque alia, quæ quotidie noſtris oculis obverſantur: quia conſtanti lege ea fieri videmus: quę ſiquidem a caſu vel ab arte pendent, perpetuo mutantur, ſolaque ſunt immobilitate conſtantia. Pari ratione naturalem appellamus boni, verique appetitum, mali fugam, vitæ amorem, aliaſque plurimas ſive prænotiones, ſive affectiones, quę tum in nobis, tum etiam in brutis animantibus conſtanter ſe produnt. Cur igitur eadem de cauſſa naturalis, ſive a Natura profecta dicenda non erit generalis, atque perpetua hominum perſuaſio de animæ immortalitate, ejuſque futuro ſtatu vel beato, vel miſero juxta uniuſcujuſque merita?

III. Præterea, nemo neſcit, quam diverſa ſint hominum ſtudia, quam varii gentium ritus, mores ac leges, quam immane inter ſe diſſideant finitimę ipſę nationes in iis, quæ nedum Politiam, ſed etiam Religionem ſpectant: quam frequentes denique in rebus omnibus, quæ ab humano pendent arbitrio aut opinione viciſſitudines. Si igitur gentes omnes in hoc dogmate de futura impiorum vindicta ſemper conveniſſe deprehenduntur, ad aliud principium opinione altius, ac firmius confugere opus eſt, ad ipſam ſcilicet naturam. Quomodo enim tot nationes tum cultiores, tum barbaræ, nullo inter ſe fœdere, vel commercio cohærentes, ac plurimis ſæculis, maximiſque locorum intervallis ſejunctæ, & in cæteris omnibus longe diſcrepantes, in una ſententia conſenſiſſent, niſi in hanc veluti conſpirationem naturali quodam impulſu agerentur? *Qui de hoc dubitat*, ut Tullii verbis utar (a), *haud ſane intelligo, cur non idem Sol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit. Quid enim eſt hoc illo evidentius? Quod niſi* co-

(a) lib. 2. de Natura Deorum.

cognitum, comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſæculis ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuiſſe . . . . Opinionum enim commenta delet dies: NATURÆ JUDICIA CONFIRMAT.

IV. Accedit, quod hæc veritas ſenſuum teſtimonio non innititur, nihilque eſt in rebus mundi aſpectabilibus, quod vel ejus ideam ingerat, vel ei formandæ præbeat occaſionem. Immo, ut ſapienter adnotat Lactantius Firmianus, ſi ſolam ſenſuum hac in re repræſentationem ſequamur, ex ea potius ad animorum interitum, quam ad immortalitatem percipiendam inducimur. Quotidie enim mori homines conſpicimus, nihilque ſupereſſe poſt obitum, præter oſſa & pulverem. Qui ergo fieri poſſet, ut nedum ſapientes, ſed etiam idiotæ ac rudes, qui ſubtiliores de ſpirituali animi natura quæſtiones, deque divinis attributis, ex quibus etiam ejuſdem immortalitatem colligimus, penitus ignorant, ac inepti ſunt ad eas intelligendas, iique non pauci, ſed innumerabiles, immo omnes, aut fere omnes, tam firma, ſtabilique perſuaſione rem crederent eorum ſenſibus minime ſubjectam, niſi intimum quoddam eſſet in ipſorum ratione, ſive conſcientia teſtimonium, quod in eam fidem impelleret?

V. Aliud etiam accedit obſervatione digniſſimum, hujuſmodi veritatem nedum ſenſuum repræſentationem excedere, ſed nec ex earum numero eſſe, quæ genio hominum inſerviant, aut ipſorum cupiditatibus, & appetitionibus adblandiantur. Quin potius nihil ea moleſtius, nihil acerbius, nihil quod majorem curam inferat, ac ſolicitudinem. Quid enim magis refrænat atque coercet vivendi licentiam, quam unice deperit depravata mortalium conditio? Quid vehementius exagitat animos pravis affectibus plerumque mancipatos, quam cogitatio ſupremi cujuſdam Judicis, qui de omnibus in hac vita commiſſis rationem exigat, puniatque ſeveriſſime, quos abjecta honeſtatis regula, juxta cordis deſideria in vitiis ac voluptatibus vixiſſe deprehenderit? Id nimirum in cauſſa eſt, cur perditiſſimi quique timorem hunc moleſtiſſimum, omni, quo poſſunt, ſtudio ex animo conentur evellere, quo tranquillius, ac jucundius ſuis voluptatibus perfruantur: ut jam ex Epicuri, Lucretii, aliorumque confeſſione compertum eſt. Igitur ſi nihilominus gentes toto terrarum orbe diſperſæ præſenſionem hanc, notionemque Juſtitiæ vindicis a primis temporibus ad ætatem uſque noſtram conſtanter retinuere, fateamur oportet illam ſuperiore quadam vi in hominum mentibus impreſſam fuiſſe, ſicut naturalia cætera præjudicia. Nam jugum hoc tandem a ſe excuſſiſſent in libertatem proclives humanæ mentes: quemadmodum plura alia commenta, ipſaſque a Poetis confictas de Cocyto, de Styge, de Cerbero, deque Charonte fabulas demum exuerunt. *Quis enim* (inquit appoſite Tullius (a)) *Hippocentaurum fuiſſe, aut chimæram putat? Quæve anus tam excors inveniri poteſt, quæ illa, quæ quondam credebantur, apud inferos portenta extimeſcat?*

VI. Poſtremo univerſalem in ea veritate conſenſum non ab alio quam a naturæ fonte profluere facile quiſque ſuadebitur, qui ſemetipſum parumper recolligat, intimumque animi ſui ſinum diligenter exploret. Intelliget enim ſtatim non a caſu, qui in paucioribus duntaxat locum habet, non ab educatione, non ab humana opinione hujuſmodi de futuro ſtatu notitiam fuiſſe profectam, ſed ab interiore quodam ſenſu ſatis clare manifeſtante exiſtere ſupra nos aliquem,

N

(a) loco ante citato.

quem, cui de omni vita noſtra reddenda ratio ſit, quique juxta cujuſvis merita vel præmium rependat, vel pœnam. Audiamus non aliquem ex Eccleſiæ Patribus, ſed gentilem Philoſophum ita præclare de hoc argumento diſſerentem (*a*): „ Nec vero id collocutio hominum, aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem IN RE CONSENSIO OMNIUM GENTIUM LEX NATURÆ PUTANDA EST. Quis eſt igitur, qui ſuorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitæ commodis arbitretur? .... Atque hæc iſta ſentimus natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina. Maximum vero argumentum eſt, naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ ſunt, & maximæ quidem, quæ poſt mortem futura ſunt.... Abiit ad Deos Hercules. Nunquam abiiſſet, niſi cum inter homines eſſet, eam ſibi viam muniviſſet. Vetera jam iſta, & Religione omnium conſecrata. Quid in hac Republica tot tantoſque viros ob Remp. interfectos cogitaſſe arbitramur? Iiſdemne ut finibus nomen ſuum, quibus vita terminaretur? Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro Patria offerret ad mortem. Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne & vetera, & externa quæram, mihi: ſed neſcio quomodo inhæret in mentibus quaſi ſæculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis, altiſſimiſque animis, & exiſtit maxime, & apparet faciliime. Quo quidem dempto quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus & periculis viveret &c.

VII. Quamquam hæc cuiquam vel pertinaciſſimo ſatis eſſe deberent, attamen, ut veritas hæc firmius adhuc conſiſtat, paululum expendamus originem aliam communis hujuſce hominum conſenſionis, quam confingunt Adverſarii, ne naturæ teſtimonium cogantur admittere, quo proſterni ſe penitus ſentiunt. Ajunt illi nempe opinionem de Deo ſcelerum vindice nudum eſſe humanæ Politicæ commentum a callidis viris, ac primis præſertim Legumlatoribus excogitatum, qui feros ac palantes homines Numinis metu abſterrere, & ad leges accipiendas commodum, & ex uſu vitæ neceſſarium eſſe cenſuerunt: quod ſubinde commentum nationes, & gentes pervagatum, commune effectum eſt. Ita Siſiphus apud Critiam (*b*): ita cæteri tum Athei, tum Deiſtæ.

VIII. Quam falſum hoc ſit, quam incredibile, immo prorſus impoſſibile, nemo non videt, niſi qui ſanum omne mentis lumen amiſerit. Verum, antequam id oſtendo, animadvertere lubet, quod propriis ſe Adverſarii armis conficiunt, dum ita reſpondent, & victricem, quam impugnare pertendunt, veritatem hoc ipſo mendacio confirmant. Quid enim? Nonne ideo aſſerunt ipſi primos Legumlatores hanc effinxiſſe, & in vulgus diſſeminaſſe opinionem, quia eam neceſſariam ad commune bonum, & Reipublicæ, civiliſque ſocietatis conſervationem exiſtimarunt? Ita plane. Igitur, colligo ego, hujuſmodi opinio non commentitia, ſed vera eſt. Conſecutionem evidenter probo principio certiſſimo, quod nec Adverſarii abnuere poſſunt, nec reipſa abnuunt, immo libenter admittunt, & deprædicant (*c*), *hominem* ſcilicet *ad veri cognitionem ordinatum eſſe tamquam ad finem ſibi connaturalem, & ultimum*. Ex quo ſic argumentum conficio: Veri cognitioni magis error opponitur quam animantium incolumitati venenum. Non enim veneno vita, ſed errore veritatis ſcientia ſemper aufertur. Atqui abſurdum eſſet, quod nemini unquam in mentem venit, cogitare talem rerum omnium Auctorem produxiſſe viventium ſpeciem, quæ non alio alimento ad ſui conſervationem veſci poſſet, quam quod ipſi ve-

(a) Tullius lib. 1 quæſt. Tuſcul. (b) apud Sextum Empiric. lib. 1. con. Phyſicos cap. 54. (c) vide Card. Palav. lib. 1. perſ. Chriſt.

venenum eſt, propriæque naturæ contrarium. Ergo longe abſurdius erit, & ab omni ratione alienum fingere Deum procreaſſe humanam ſpeciem, cæterarum omnium nobiliſſimam, cujus commune bonum atque conſervatio, ab eo quod hominum naturæ adverſum eſt, errore nempe, ac mendacio, & in re quidem graviſſima ſupremi Numinis Providentiam ſpectante, neceſſario penderet. Quare ſi Adverſarii ipſi fatentur ad commune hominum bonum, & Reipublicæ conſervationem conferre plurimum, immo neceſſarium eſſe, quod homines divinam credant Providentiam cuilibet juxta merita in alia vita retribuentem, jam hæc perſuaſio, non ut ipſi blaterant, commentum eſt callide excogitatum, ſed veritas indubia, atque certiſſima, quam dum evertere tentant, amplius ipſi confirmant.

IX. Verum commentum potius eſſe, illudque putidiſſimum, quod Adverſarii pertinaciter enunciant, paucis oſtendamus. Et primo quidem, cum ajunt veteres Legumlatores, ac Principes confinxiſſe Deos ſcelerum vindices, ut feris hominibus metum incuterent, ab eis quærimus, quo rem tantam argumento nos doceant, quos teſtes, quas tabulas producant, vel ex quibus arcanis litteris myſterium hoc didicerint? Quinam primi fuerunt hujuſce opinionis promotores, atque propolæ? Ecquando, vel quonam in Concilio convenere ut eam humano generi perſuaderent? Num id effectum eſt in mundi cunabulis? Num poſt univerſalis diluvii (ſi hoc quidem admittant) ætatem? Num ex aliqua regione vel ex omnibus terræ partibus ad locum eumdem commearunt, ut eam caperent deliberationem? An potius magnis locorum intervallis invicem ſemoti caſu in unam eamdemque ivere ſententiam? At quid hiſce quæſtionibus illos ſollicitamus? Obmuteſcunt ipſi tamquam piſces, nihilque penitus reſpondent, ſed neque plane reſpondere valent. Si enim hiſtorias, ac monumenta omnium gentium vetuſtiſſima conſulimus, nuſpiam occurrit tantæ rei veſtigium: neque alia Legumlatores ac Principes ad cives in officio continendos adhibuiſſe media comperimus præter temporalium bonorum, malorumque promiſſiones, ac minas, quæ ad finem, quem ſibi præſtituerant, obtinendum opportuniora judicarunt, cum plerumque homines præſentibus magis, quam futuris permoveantur.

X. Illud vero, quod oppido falſum eſt, Adverſariis noſtris largiamur, conveniſſe Principes aut Legumlatores, aut ſaltem conſenſiſſe in ea opinione procudenda, & propaganda, ut regnum ſuum conſtabilirent; nunquid illam populis, ac nationibus, quibus imperabant, perſuaſiſſent, ſi mero mendacio niteretur, nec inſitis a natura, & quaſi conſignatis in animo notionibus conſentanea fuiſſet? Id profecto incredibile eſt. Non enim, ut paulo ante dicebam, hujuſmodi veritas de Deo malorum Judice, ac Vindice, ex earum numero eſt, cui ſenſus externi adminiculentur, aut genio & cupiditatibus hominum inſerviat: ſed potius quæ maximam moleſtiam ac ſollicitudinem ingerat, praviſque affectibus repugnet. Quis igitur populos ita dociles, & ad nutum obſequentes, aut melius dicam bardos aut ſtupidos arbitretur, ut id ſtatim ſuſcipiant, firmiterque retineant, quod jugum ſervitutis ipſorum ſummopere aggravat, corruptiſque appetitionibus adverſatur, ſi nullam de ea re jam in animo habeant anticipationem? Quis credat fidem integras nationes adjunxiſſe Tyranno non ſolidas dicti ſui rationes proferenti, ſed mera ſomnia, ac fabulas venditanti? Scripſit quidem nuper Vir alioquin inſignis (*a*) ſpem ſibi fore ut nationes integræ perſuaderentur *non a ſole oriri diem*,

(a) D. de Fontanelle in Hiſtor. Orac. *Donnez moy une demie douzaine de perſonnes, a qui je puiſſe perſuader, que ce n' eſt le ſoleil, qui fait le jour; je ne deſeſpereray pas que des nations entieres n' embraſſent cette opinion.*

diem, ſi hoc ſemel quinque vel ſex hominibus ſuadere potuiſſet. Sed hoc effatum, licet ab aliquibus cum plauſu, a cordatis tamen omnibus cum riſu jure optimo exceptum eſt: ſiquidem neque integris nationibus, neque uni quidem aut alteri, qui perſpectum habeat, quid *ſolis ac diei* nomine veniat, hujuſmodi error propinari poterit, tametſi non quinque aut ſex, ſed hominum millia id conſtanter aſſeverarent. At enim, ut concedamus in hunc errorem induci poſſe ſtupidiores aliquos, qui cucurbitam pro capite habeant, nemo certe perſpicax & acutus in eum unquam pertrahetur: ac plane pugnantia loquitur Author ille, dum homines aliquos fingit adeo ſtupidos & hebetes, ut craſſum illum errorem complectantur, ſimulque tanto ingenio, & arte præditos, ut eumdem innumeris aliis perſuadere valeant. Quis ergo incredibile prorſus non judicet, ut nedum ignari, vel rudes ex qualibet natione, ſed perſpicaces etiam atque ſapientes, quorum non paucos in quacumque gente ſemper invenire eſt, opinioni de Deo ſcelerum vindice, ſolo, ut ajunt, mendacio ſubnixæ, aſſenſum libenter præbuerint, eamque unice veram eſſe non dubitaverint?

XI. Sed quod rem conficit omnem, & Adverſariorum os ita occludit, ut ne hiſcere quidem poſſint, ſi opinio de alterius vitæ ſtatu vel felici, vel miſero, merum eſſet humanæ politicæ inventum, neque totum terrarum orbem pervadere, neque tandiu conſiſtere potuiſſet. Et primo quidem nullatenus potuiſſet pervadere ac informare omnes mundi nationes: plurimæ enim ſunt inter ſe locorum intervallis immaniter ſejunctæ, Oceani, aut immenſæ ſolitudinis ſpatio diviſæ, abſque ullo cum cæteris commercii vel ſocietatis vinculo. Plurimæ etiam moribus, ſtudiis, diſciplina, vivendique ratione adeo diſcrepantes, ut nullam invicem communionem habuiſſe dubitari nequeat. Non paucæ quoque ſine philoſophia, ſine litteris, ſine Rectoribus, ſine ulla politiæ ſpecie deprehenſæ ſunt, ſed belluarum ferme more viventes, ut ne ſuſpicari quidem liceat eas vel ab aliquo Tyranno, vel Principe in illam opinionem adductas fuiſſe, vel ab aliis gentibus hauſiſſe. Cogita tot Indiarum regna, tot Septentrionales maxime nationes: cogita Scythas, Tartaros, Quinenſes, Cafros, Braſilianos, Hurones, Virginienſes, genteſque alias innumeras, & intelliges impoſſibile omnino eſſe ut humanum aliquorum commentum in eas omnes propagatum fuerit. Equidem reperias plures tum de rebus aliis, tum de Religione, ac de ipſa futura vita errores ubique pervagatos, ob humanæ præcipue mentis infirmitatem: ſed alios & alios: eumdem vero nunquam apud omnes obtinuiſſe deprehendes. Finxerunt e. g. Orpheus & Homerus multa de inferis *portenta*, ut Cicero vocat, Campos Elyſios, Acherontia flumina, Cerberum triſaucem, Parcas, Eumenides, inferni Judices &c., tantumque valuit error, ut ſin apud ſapientes, ſaltem apud vulgus fidem invenerit. Verum intra Græciæ, proximarumque gentium fines ſe ſe continuit, nec ultra permeavit. Animorum quoque tranſmigratio, ſive Metempſychoſis plures infecit Indiarum regiones: ſed plures etiam intactas reliquit; vixque aliquam Europæ vel Africæ partem attigit, nec ad novum orbem progreſſa eſt. Atque idem dicas de cæteris quibuslibet humanis inventis. *Singuli* enim (ut ſcitiſſime ſcripſit Plinius (a)) *decipere ac decipi poſſunt. Nemo omnes, neminem omnes feſellerunt*. Cujus rei ea ratio eſt: quod cum veritas una ſit, innumeræ autem a veritate aberrandi viæ, fieri nequit ut in eumdem errorem concurrant, ac veluti offendant mortalium mentes, moribus, ſtudiis, ingeniis, affectibus diverſis atque contrariis invicem diſtentæ. Cum igitur dogma de futura impiorum vindicta, ut palam jam fecimus,

(a) in Panegyr. ad Trajanum.

mus, generalis omnium gentium perſuaſio ſit, impoſſibile eſt ut a mero humano commento proceſſerit.

XII. Multo etiam magis impoſſibile apparet, quod ſi humana duntaxat inventio foret, tandiu firmiter conſtitiſſet in omnium animis, & a primis mundi ſæculis, priſciſque temporibus ad noſtram uſque ætatem inveteraſſet. Nemo ſiquidem neſcit, qui vel primoribus labiis, ut inquiunt, hiſtorias & monumenta gentium delibaverit, quot in univerſo tum Regnorum, tum Dominiorum, tum Religionum, ac morum caſus, mutationeſque contigerint: quot humana opinamenta ſummo plauſu quondam ſuſcepta, diuturnitate tandem extabuerint, ac penitus interierint. Quid de tot Legumlatorum, Sapientumque placitis ad multitudinem regendam, atque continendam reliquum eſt, niſi tenuis quædam in libris, qui ſuperfuere, memoria? Ea ipſa Inferorum portenta, quæ modo memoravimus, a Poetis conficta quandiu apud Græcos, alioſque populos fidem invenerunt? Nonne teſtatur Cicero ne Anum quidem ævo ſuo *tam* excordem fuiſſe, quæ eadem pertimeſceret? *Opinionum* enim, ut ſapienter ſubjicit, *commenta delet dies: naturæ judicia confirmat*. Judicium itaque naturæ,non humanum inventum credere oportet de futura bonorum malorumque retributione perſuaſionem, quam non temporum diuturnitate deletam, ſed potius confirmatam, & quidem in omnium populorum animis, fateri debemus.

XIII. At inquiunt Adverſarii: plures & fuerunt, & ſunt, qui animi immortalitatem negant, atque adeo & ea omnia, quæ ipſam conſequi perhibentur. Si naturæ vox eſſet, quæ hanc edoceret opinionem, quomodo non omnes eam inſonantem audirent? Aut cur omnes aſſeruntur in unam eamdemque convenire ſententiam, ſi non paucos ab ea deſciviſſe manifeſta experientia compertum eſt?

XIV. Reſpondeo in primis, quod jam ab initio adnotavi, me *omnium* nomine in eadem perſuaſione conſpirantium intelligere omnes populos, omnes nationes, omnes etiam Philoſophos, atque Sapientes, in quibus naturæ lumen non eſt aut ſophiſmatum, aut affectuum tenebris offuſum, ſinceraſque retinent ejuſdem notiones. *Quis non Deum eſſe* (Tullii verba ſunt (*a*)) *conſenſu omnium affirmat? Et tamen Diagoras Atheus, qui dictus eſt, poſteaque Theodorus nonne aperte Deorum naturam ſuſtulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras, Sophiſtes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri ſui ſic poſuiſſet*, De Diis neque ut ſint, neque ut non ſint, habeo dicere, *Athenienſium juſſu urbe, atque agro eſt exterminatus, librique ejus in concione combuſti:* & alii tum elapſis temporibus, tum noſtris etiam inveniuntur, qui ſibi talem errorem ſuadere conati ſunt. Quis mihi obſtrepat aſſerenti conſentire *omnes* motum in rebus fieri, exiſtere nos ac vivere, felicitatem appetere, & alia id genus plurima credere? & tamen hæc vel negata, vel in quæſtionem adducta fuere a Pyrrhonicis, aliiſque quos non refellere, ſed contemnere, & irridere ſolemus. Cum itaque dicimus concordes *omnes* eſſe in dogmate de futura impiorum ultione, id eo in ſenſu intelligi volumus,quo dicere conſuevimus, *omnium oculis nivem ex. gr. vel lilium videri album*: quam propoſitionem ſine ulla controverſia recipimus, ac probamus, quamquam iis, qui aurugine, ſive regio morbo laborant, aliter videatur.

XV. Neque vero eſt cur miremur, aut quidpiam detractum putemus firmiſſimo, quod ex communi gentium conſenſione deſumimus, argumento, quod plures in contrariam ſententiam abierint, cum in effectibus ipſis, qui naturæ legibus certiſſime diriguntur, non pauci aliquando prodeant, qui a conſueto naturæ curſu deflectunt. Nonne in rebus quoque materialibus, atque corporeis ea nonnumquam emergunt præter naturæ ordinem, quæ

a) lib. 1. de Natura Deorum.

Digitized by Google

quæ *monſtra* appellamus? Neque iccirco caſu, vel fortuito concurſu cuncta fieri cenſemus. Cur ergo mirabimur in rebus etiam moralibus, & humanis ingeniis ſua monſtra deprehendi? aut cur ob hæc cuncta in opinione, non in natura poſita exiſtimabimus? *Sicut in rebus naturalibus* (ſapienter admodum S. Thomas (*a*)) *non quæritur quid ſemper fiat, ſed quid in pluribus accidat: eo quod natura corruptibilium rerum impediri poteſt, ut non ſemper eodem modo operetur; ita etiam in moralibus conſideratur, quod in pluribus eſt, non autem quod ſemper eſt.* Immo neque mirum alicui accidere debet, ingeniorum, ut ita dicamus, *monſtra* aliorum multitudinem longe ſuperare: quoniam corpora naturæ artificio formantur, ac perraro cauſæ aliæ concurrunt, quæ illud inficiant, atque depravent: ſincera autem mentis præjudicia, atque inditas a natura notiones homines ipſi corrumpunt prava animi electione, ad quam multiplici cauſſa propelluntur, ac turbidis in primis, & effrenatis affectibus, qui mentem a veritatis conſideratione avocant, & in alienas, ſibique faventes opiniones vel reluctantem trahunt. Appoſitiſſime ad rem hanc differit pari in argumento ſæpe a nobis laudatus Cicero. *Sed perturbat*, inquit (*b*), *nos opinionum varietas, hominumque diſſenſio: & quia non idem contingit in ſenſibus, hos natura certos putamus: illa, quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur, ficta eſſe dicimus. Quod eſt longe aliter. Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non Magiſter, non Poeta, non ſcena depravat, non multitudinis conſenſus abducit a vero. Animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet imitatrix boni voluptas, malorum vero mater omnium, cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernimus ſatis.* Hinc jam ætate ſua obſervavit Hierocles Pythagoreus eos, qui maxime vellent animos eſſe mortales, non vere prudentes, ac ſapientes fuiſſe, non pios, ac bene moratos, ſed impuros, ſceleſtos, quique libidinibus, vitæque voluptatibus, ſe dedidiſſent, unde ea ſupplicia merito perhorreſcere deberent, quæ ne metuerent, inſipienter negabant: quod & ætate quoque noſtra obſervare licet, ut jam Capite 1. dictum eſt.

XVI. Sed & illud poſtremo loco animadvertendum cenſeo in his etiam animorum, aut ingeniorum monſtris non ita intimum hoc naturæ lumen, ſive præjudicium pravorum affectuum, & electionum nebulis offuſum eſſe, ut non intermicet aliquando, ac ſe prodat, ſuoque fulgore vel invitos percellat, & excruciet. Cujus rei plura & exempla, & documenta proferre poſſem; ſed illud abunde eſt teſtimonium, quod perhibet Tullius (*c*) de quibuſdam ſui temporis Atheis, inquiens: *nec quemquam vidi, qui magis ea, quæ timenda eſſe negaret, timeret, mortem dico, & Deos.* Id quod experientia quoque ab aliis compertum fuit in multis ex iis *fortibus*, ut vocant, *ſpiritibus*, qui in extremo mortis diſcrimine poſiti, omni animi vigore deſtituti, fracti, dejectique ſumma conſternatione, metuque eorum tenebantur, quæ antea inſolenter contempſerant, atque univerſæ vitæ ſuæ rationem ad ea non timenda quam paratiſſimam habere anxie deſiderabant.

XVII. Ratum itaque fixumque animo ſit homines nonniſi naturali quadam vi, aut prænotione in communem illam perductos eſſe de animi immortalitate, futuræque vitæ ſtatu vel beato vel miſero perſuaſionem. Jam vero ex hoc, tertia, quam poſuimus, propoſitio ſponte fluit, quin opus ſit, ut in ea derivanda plurimum laboremus, veram nempe eſſe, nullique errori obnoxiam perſuaſionem eamdem: unde luce meridiana clarior apparet vis & efficacia argumenti, quod a generali omnium gentium in ea veritate conſenſione depromi-

(a) part. 2. q. 84. art. 1. ad 3. (b) lib. 3. de legibus. (c) lib. 1. de Natura Deorum.

mimus. Quid enim aliud naturæ vocis, aut teſtimonii nomine intelligamus, niſi vel impreſſionem aliquam, ſive animi diſpoſitionem ab Authore naturæ in nobis productam, vel ideam quamdam ab eodem ſupremo Magiſtro Deo menti noſtræ inditam, aut naturali diſcurſu facillime confectam, quæ hujuſmodi veritatem manifeſtam facit? Porro fieri nullatenus poteſt, idque omnes, qui Dei notionem aliquam perſpectam habuerint, ſtatim intelligunt, ut Deus ſumma & eſſentialis veritas, ac bonitas judicium aliquod erroneum, & falſum nobis imprimat, aut ita nos condiderit, ut naturalis ipſius luminis vi, atque impulſu in errorem prolaberemur. Erroris enim natura ſupremo ordini recta opponitur, receſſumque exprimit ab arte divinæ ſapientiæ, ac bonitatis indole, adeoque repugnat, ut ab eo deſcendat, qui omnia per artem ſuæ ſapientiæ, & ex amore ſuæ bonitatis operatur. Vera igitur ſit oportet, quæcumque prænotio, aut præſenſio, quæ interiore naturę teſtimonio nititur.

XVIII. Id experientia certiſſima declarare amplius poſſumus in omni naturali impulſu, ſive qui in nobis eſt, ſive qui in cæteris animantibus conſpicitur. Nullus plane eſt belluarum, aut animalium irrationalium inſtinctus, qui fallax dici queat, aut cui reale aliquod objectum minime reſpondeat. Neque enim ea falluntur unquam, dum quod ſibi conſentaneum judicant, proſequuntur, aut quod ſibi noxium, averſantur, & fugiunt. Sic non fallitur Cervus, dum ſaucius procurrit incitatus ad Dictamnum, unde curetur: non formica, dum undique grana conquirit, eaque in ſuis promptuariis recondit ad eſcam hybernæ tempeſtatis; nec ovis dum lupum fugit, nec avis, dum accipitrem: atque idem in cæteris quibuſcumque animadvertas. Et tamen parum referret, ſi in hiſce inſtinctibus aliquando fallerentur. Meliorne igitur credenda erit belluarum conditio, quam hominum, hominum inquam, quorum error longe eſſet graviſſimus, maximique momenti?

XIX. Sed neque in homine naturalem aliquam impreſſionem, aut inſitam animi notionem fallacem deprehendere fas eſt. Sic bonum amamus, malum fugimus, ſcientiam quærimus, averſamur errorem, & ignorantiam naturali quadam vi, & impetu, quem nemo unus falſum unquam exiſtimavit. Sic quædam in mente refulgent præjudicia, aut anticipationes, quæ *prima principia* intellectualis diſcurſus, aut dignitates appellari ſolent: quæ ſine ulla probatione, tamquam veriſſima approbantur ab omnibus, earumque veritatem veluti omnino certam habemus interiore quadam voce, ac teſtimonio naturæ clare diſtincteque loquentis adducti, atque convicti. Quod ſi huic authoritati tamquam aut fallenti, aut fallaci adjungere fidem abnuimus, jam & illud ſuſpicari fas erit atrum eſſe, quod album apparet omnibus, vel frigidum, quod calidum cuncti perſentiunt: umbras putare, & inanes mentis noſtræ repræſentationes, quæcumque oculis obverſantur objecta, aut ſenſu vivido, conſtante, & uniformi percipiuntur. Jam licebit & credere falſa eſſe ac vana eametipſa quæ intellectum omnem evidenti luce percellunt, totumque adeo non eſſe ſua parte majus. Uno verbo nihil erit in judiciis humanis, quod conſtans ac firmum ſit, ſed omnia putabimus vel delirantium ſomnia, vel ſomniantium deliria. Neque enim quidpiam eſt aliud, quod nos certiores faciat de rerum hujuſmodi veritate, niſi intimum naturæ teſtimonium, quod nos ad illa tamquam vera ſine ulla probatione tenenda impellit, ac flectit. Cum igitur hæc abſurdiſſima ſint, nec niſi a ſtultis quibuſdam Philoſophis, & non ex animi quidem ſententia aſſerantur, exploratiſſimum eſſe debet nullum naturæ judicium neque falli, neque fallere: atque adeo ſi naturæ ipſius vox, ac teſtimonium Providentiam aliquam juſtitiamque manifeſtat omnibus poſt hanc vitam juxta opera retribuentem, id certiſſimum ſit oportet, idemque abſque ulla dubitatione complecti, firmiterque retinere debemus.

XX. Atque hoc eſt fundamentum illud præcipuum, quo permoti vel ipſi Gen-

Gentiles Philoſophi ex communi hominum conſenſione invicte probari ſanxerunt Dei exiſtentiam, animi immortalitatem, diverſum pro meritorum ratione animorum in altera vita ſtatum, aliaque id genus plura. Ex quibus duos præ cæteris graviſſimos, ac authoritate, & ingenio præſtantiſſimos in teſtes adduco. Prior eſt Seneca, qui Epiſt. 117. ita ſcribit: *veritatis argumentum eſt aliquid omnibus videri, tamquam Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de Diis opinio inſita eſt: nec ulla gens eſt adeo extra leges, moreſque projecta, ut non aliquos Deos credat*. Statimque ſubjungit ea verba, quæ & alibi recitavimus: *cum de animorum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum aut timentium inferos, aut colentium*.

XXI. Frequentius, ac præclarius idem teſtatur Philoſophus alter eximius, cujus ſæpe in hoc præſertim capite authoritate uſi ſumus, nempe M. Tullius Cicero. Inſignis in primis eſt locus, qui habetur lib. 1. de Nat. Deor. ubi refert *commune aliorum etiam Philoſophorum fuiſſe hoc argumentum ex omnium gentium, generumque hominum conſenſione* depromptum, illudque magni habitum fuiſſe ad demonſtrandam Dei exiſtentiam: atque ipſum *Epicurum vidiſſe Deos eſſe*, quod in *omnium animis eorum notionem impreſſiſſet natura*. Tum vero ſubdit: *quæ eſt enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam Deorum, quam appellat* Prolipſim *Epicurus, ideſt anteceptam animo rei quamdam informationem, ſine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec diſputari poſſit.... Cum ergo non inſtituto aliquo, aut more, aut lege ſit opinio conſtituta, maneatque ad unum omnium firma conſenſio, intelligi neceſſe eſt Deos: quoniam inſitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus*. De quo *autem* omnium natura conſentit, id verum esse necesse est. *Eſſe igitur Deos confitendum eſt*.

XXII. Paria loquitur lib. 1. quæſt. Tuſc. utramque veritatem complectens & exiſtentiæ Dei, & animorum immortalitatis inquiens: *Firmiſſimum hoc afferri videtur, cur Deos eſſe credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava ſentiunt, id enim vitioſo more effici ſolet, omnes tamen eſſe vim & naturam divinam arbitrantur.... Omni autem in re conſenſus omnium gentium lex naturæ putanda eſt.... Quod ſi omnium conſenſus naturæ vox eſt, omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt eſſe aliquid, quod ad eos pertineat, qui e vita ceſſerunt, nobis quoque idem exiſtimandum eſt, utpote certiſſimum veritatis ejuſdem argumentum*. Alia loca proferre poſſem: ſed hæc ſufficiunt.

CAPUT XIV.

Tertium argumentum ex Sacrarum Litterarum teſtimonio depromptum. Tria præmittuntur, quæ a nemine poſſunt in controverſiam trahi: ex quibus colligitur Deiſtas prudenter rejicere non poſſe divinam, quæ de futuro impiorum ſtatu diſſeritur, revelationem, niſi accurato, ſinceroque examine præhabito, ea penitus argumenta ſubvertant quæ ad ipſam comprobandam afferuntur: quod hactenus non præſtitiſſe manifeſtum ſit. Singularis opinio Antonii Collinii contendentis, admiſſa etiam Chriſtianæ Religionis veritate, non eſſe omnino certam futurarum pœnarum exſiſtentiam. Quam futilis & vana ſit, pluribus oſtenditur.

I. Duobus argumentis e naturæ principiis deductis, quæ fuſe hactenus pertractata ſunt, liceat aliud ſubnectere ex Divina revelatione depromptum, quod nos maxime certos facit de veritate futuræ impiorum vindictæ, certumque facere debet quemcumque bono ſenſu ac judicio præditum. Nam ut eam controverſiam non attingam quam ſupra diſcuſſimus, num hujuſmodi veritas perſpicue fuerit in Veteri Teſtamento revelata, illud ſaltem extra cujuſvis

juſvis dubitationis aleam conſtitutum eſt, eam in Novo Fœdere perquam manifeſto fuiſſe propoſitam, adeo ut nec id tandem negare potuerint Sapientiores quique ex Socinianis, qui tot alias ſplendidas Evangelii veritates in alienos aut metaphoricos ſenſus contorquent: & eaſdem ipſas de futura pœna ſententias ex parte corrumpunt. Nihil ſane frequentius, nihil liquidius, aut disertius expreſſum occurrit, tum in Evangelio, tum in Canonicis Epiſtolis ceteriſque Sacris Codicibus: Cum & eo ferme collineant omnia quæcumque ſunt in his Chriſtianæ Religionis monumentis, ut nos ſpe futuri præmii, futuræque pœnæ metu retrahamur a vitiis, & virtutem amplectamur. Reſonant ubique in Evangelio oracula ipſius voce Chriſti prolata, quæ vindicationis & gehennæ formidinem incutiunt, ad eamque èvitandam nos admonent. *Nolite*, inquit Divinus Magiſter apud Matth. cap. 10., *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam. Bonum tibi eſt*, ſubjicit cap. 18., *ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*. Et aliis prætermiſſis, cap. 25. *inutilem ſervum*, quo nomine reprobos quoſque complectitur, *ejiciendum* denunciat *in tenebras exteriores, ubi erit fletus ac ſtridor dentium*, ac ſubinde terribilem illum diem prædicit, in quo ipſe de omnibus operibus ſeveriſſimam rationem expoſcet, & ſicut juſtos ad regnum, ita injuſtos ad ignem deſtinabit æternum. Paria paſſim occurrunt apud Marcum, Lucam, & Joannem. Apoſtolus quoque clamat in epiſt. ad Rom. cap. 2., *Deum unicuique redditurum ſecundum opera ejus iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ii autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*, &c. Et 2. ad Theſſalon. cap. 1. *qui non obediunt Evangelio, pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus*. Sanctus item Joannes in Apocal. cap. 21. *timidis*, inquit, *& incredulis & execratis, &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne*. Sexcenta alia proferre poſſem, ſed hæc ſufficiant. Nam vereor, ne quis jure ac merito reprehendat, qui in re non dubia uſi fuerimus teſtibus non neceſſariis. Cum igitur exploratiſſimum ſit, veritatem de futuræ pœnæ exſiſtentia in ſacris Novi Teſtamenti libris clare eſſe propoſitam, illud conſequens eſt, eam eſſe omnino certam & infallibilem, utpote ex Dei falli & fallere neſcii revelatione deſcendentem.

II. Hujuſmodi ſacrorum librorum authoritas ad eos, contra quos modo diſputamus, revincendos ſuperflua prima fronte fortaſſe videbitur, ac inepta: cum ipſi nec Evangelio, nec Chriſto credant, floccique pendant, quid ſacri Codices tradant, quid doceat Chriſtiana Religio, atque unum propriæ rationis lumen ſequi ſe profiteantur, & jactent.

III. Id me quidem minime fugit. Nihilominus vel ipſos Deiſtas, ac noſtrates omnes incredulos eadem ſacrorum librorum authoritate efficaciſſime urgeri contendo, adeo ut ſi hac in re non paſſione, aut anticipatione ſe duci patiantur, ſed recta ipſa ratione, quam prædicant, eam nonniſi per ſummam imprudentiam, immo ſtultitiam repudiare, adeoque & pœnas, quas denunciat, contemnere, facile convinci queant. Quod ut luculentiſſime oſtendam, tria præmitto, quæ in controverſiam trahi ne a contentioſis quidem poſſunt. Primo ſcilicet Evangelia, alioſque Canonicos libros, in quibus tam clara extant, tam diſerta futuri impiorum exitii documenta, hujuſmodi eſſe, de quarum authentia nullus ſit dubitandi locus. Quis enim moroſus adeo vitilitigator futurus eſt, qui in dubium revocet num authentici ſint ii libri, quos ut tales ab initio, quo vulgati fuere, per octemdecim ferme ſæcula habuerunt, nedum omnes Chriſtifideles, nemine diſſentiente, ſed & ipſi Judæi, atque Gentiles, Celſus, Porphyrius, Julianus, aliique Chriſtiani nominis hoſtes infenſiſſimi: quos veluti

O in-

Digitized by Google

intemeratam propriæ fidei regulam continenter appellarunt tum Catholici omnes, tum cæteræ quæcumque Hæreticorum, & Schiſmaticorum Sectæ: & quos demum a tot ſæculis nemo ſuppoſitionis, aut interpolationis probare, quin nec accuſare auſus eſt ex iiſmet ipſis, quorum hoc maxime intererat? (a). Profecto vetus nullum monumentum eſt, de cujus ſuppoſitione, aut depravatione dubitari nequeat, ſi de ſacris libris dubitetur: cum in nullo alio tot authentiæ, puritatiſque argumenta ſint, quot in Evangeliis concurrunt, aliiſque Canonicis libris.

IV. Alterum, quod præmitto, non minus certum eſt, exploratumque, nimirum ab initio Chriſtianæ Religionis ad præſentem uſque diem, ſucceſſione perenni immenſam hominum multitudinem ſacros illos libros non modo ut authenticos habuiſſe, ſed etiam ut divinos, ſeu Deo authore traditos, eaſque, quas continent fidei doctrinas, adeoque & quæ futuram impiorum calamitatem edicit, tamquam divinitus inſpiratas ſuſcepiſſe. Hoc plane Deiſtarum nemo negaverit: ſed nec illud quiſpiam inficias iverit in hac immenſa hominum multitudine plures pluresque ſemper extitiſſe, hodieque exiſtere ſapientes viros, qui non cæco quodam impetu, non educationis præjudiciis, vel populorum exemplis, non temporali aliqua cupiditate, aliove ſimili motivo in hanc perſuaſionem adducti ſunt, ſed argumentis quibuſdam accurate expenſis, quæ firma ipſis, & gravia viſa ſunt, & ad fidem de divina revelatione faciendam penitus efficacia. Num reapſe hæc argumenta firma & efficacia ſint, modo non decerno. Satis mihi eſt ut illud Deiſtæ concedant gravia & efficacia viſa fuiſſe innumeris, aut ſaltem quampluribus ſapientiſſimis viris: quod certe abnuere non poſſunt, quin ſe cordatorum omnium cachinnis exponant. Cuilibet enim Chriſtianæ Religionis ſecula vel obiter contemplanti, quamplurimi e veſtigio ſe ſe offerunt, qui ingenii præſtantia, & omnium artium ac litterarum ſtudiis excelluerunt: quorum etiam non pauci in Gentilium ſuperſtitione enutriti fuerunt, & Chriſti fidem, quam ut divinitus inſtitutam ſuſcepere, inter ſæviſſima tormenta, & acerrimos cruciatus conſtantiſſime profeſſi ſunt. Ipſo quoque ævo noſtro quamplures ex omni natione occurrunt viri ingenio, & ſapientia præſtantiſſimi, qui ea argumenta, quibus ipſi de revelationis divinæ veritate convicti ſunt, palam exponunt, certumque habent ita ſplendida eſſe, & efficacia, ut evidentem inducant ejuſdem credibilitatem, adeo ut nonniſi per ſummam impudentiam repudiari valeat. Emicat fulgentiſſime hæc ipſorum firma perſuaſio tot in libris omnium oculis expoſitis, nec eam negare poteſt, niſi qui Solem in meridie lucere neget.

V. Tertio tandem ac poſtremo loco conſtituo: Si Evangelia, cæterique Religionis Chriſtianæ Canonici libri a Deo authore deſcendant, ſive divina authoritate muniantur, Deiſtas & incredulos omnes non evaſuros æternam damnationem, ſeu obnoxios futuros pœnis omnibus, quæ ibidem denunciantur. Nam ex una parte inter prima rationis evidentiſſima principia, illud omnium, etiam

(a) Haud me latet poſt ſupra quinque jam ubique obtinentis Chriſtianæ Religionis ſæcula Mahumedem commentum eſſe in *Alcorano* Judæos & Chriſtianos, ſacros codices interpolaſſe, eaque eraſiſſe teſtimonia, quæ ſui ipſius adventum, & miſſionem prædicabant. Sed prætterquamquod non ad argumentum, quo de agimus interpolationem refert, pro nihilo hujuſce impoſtoris expoſtulationem habendam eſſe evidens eſt. Nemo quippe non intelligit fieri neutiquam potuiſſe, ut a Judæis & Chriſtianis divinæ litteræ per totum jam terrarum orbem vel ab ipſa origine vulgatæ, in plures linguas tranſlatæ, & innumeris hominum ſocietatibus longo inter ſe intervallo, ſtudiiſque ſejunctis traditæ, ex induſtria, & concordi populorum omnium conſpiratione corruptæ ac depravatæ fuerint, ne ea loca apparerent, quibus Mahumedis adventus, & doctrina prænunciabantur & quæ tamen ipſe ignoraſſe convincitur, dum ea minime profert, prolaturus certe in ſuæ cauſæ præſidium, ſi illa noviſſet.

etiam Deiſtarum, conſenſu probatur, *certum eſſe, verum, & inconcuſſum quidquid revelat, aut narrat prima veritas Deus*. Ex altera vero nihil eſt in libris ſacris clarius, ac diſertius expreſſum, quam incredulos omnes, ſive qui Chriſti fidem, & veritates ab ipſo traditas rejecerint, ad ſempiterna ſupplicia damnatum iri, quemadmodum & immenſa gloria donandos fore, qui Chriſti authoritatem ſuſceperint, ejuſque legibus ac mandatis fideliter obſecuti fuerint: quod ſexcentis locis probare in promptu eſſet, niſi id ſatis omnibus perſpectum foret, nullique ſubjectum controverſiæ. Equidem, ut mox videbimus, hic effugium aliquod, unde elaberetur, excogitavit nuperus quidam Deiſta, quod deploratæ cauſæ argumentum eſſe conſtabit. Interim hypotheticam propoſitionem a me conſtitutam veram eſſe cæteri Deiſtæ conſentient, mecumque fatebuntur nihil eſſe, unde increduli ſperare valeant, ſe evaſuros æternæ felicitatis jacturam, ac horribilia ſupplicia, quæ ſacræ litteræ ipſis comminantur, ſi divina authoritate confirmentur.

VI. Ex his ergo omnibus, quæ præmiſimus, validiſſimum emergit argumentum, unde noſtrates Deiſtæ & increduli revincantur, ac ſummæ imprudentię, immo ſtultitiæ jure optimo poſtulentur. Cum enim de re graviſſima agatur, de ſempiterna ſcilicet calamitate, quam plane non effugient, ſi divina ſit ſcripturarum authoritas, prudentię, rectęque rationis principia omnia a Deiſtis, & incredulis prorſus exigunt, ut tanto ſe diſcrimini non committant, niſi ſaltem maturo, accuratoque examine pręhabito, omnibuſque divinæ revelationis argumentis diligenter expenſis, ſincere ſibi perſuaſerint nec veram, nec veriſimilem eſſe, quæ prætenditur, ſacrorum librorum authoritatem. Eoque magis ſerium hoc ſincerumque examen prudentiæ rectæque rationis leges expoſcunt, quod, niſi pudorem omnem exuerint, inficiari nequeant ab octemdecim ſæculis, ut præmonuimus, nobiliſſimas plures nationes, in quibus ſemper floruerunt litterarum ſtudia, & ex iis innumeros viros eximios ingenio, judicio, ac ſapientia illuſtres, ac de invenienda veritate perquam ſollicitos, perſuaſiſſimum habuiſſe, & habere tantum ſignorum, rationumque concentum in Chriſtianam Religionem confluere, ut illam a Deo conſtitutam eſſe, ejuſque, quas docet, veritates ab eo puriſſimo fonte deſcendiſſe certo demonſtrent. Quare niſi prius Deiſtæ accurato inito examine luculenter oſtendant nos omnes deceptos fuiſſe, ac decipi, quæque promunt argumenta, hujuſmodi non eſſe quæ prudentem revelationis divinæ ſuſpicionem inferre debeant nedum evidentem, ut aſſeritur, credibilitatem, eam plane temere ac inſipienter rejicere convincuntur: quemadmodum veluti temerarius, & inſipiens merito derideretur, qui propoſitionem aliquam ſive phyſicam, ſive mathematicam a ſapientiſſimis viris aſſertam, & communi ſuffragio probatam, tamquam falſam rejiceret citra accuratum examen momentorum omnium, quibus ad eam aſſerendam ſe efficaciter permotos fuiſſe teſtarentur.

VII. Jam vero accuratum hocce, ſincerumque examen de revelationis divinæ fundamentis nec revera fieri, nec hactenus factum eſſe a Deiſtis, & incredulis, res eſt compertiſſima, quam tota fiducia pronuncio, quin plane verear me a quoquam jure poſſe redargui. Hoc autem ut omnibus manifeſtum fiat, duplicem veluti Deiſtarum, & incredulorum claſſem diſtinguere placet, alios quos vulgares ac Deiſtarum plebem dicere poſſumus, alios quos duces ac primates appellamus. Si de prioribus ſermo ſit, quæ maxime ſane incredulorum pars eſt, hos ſine ullo examine, ſine ulla veriſimili ratione divini teſtimonii fundamenta contemnere, faciliſſimo negotio deprehendet, qui in eorum ſtudia, ac ſermones attentius inquiſierit, vel hac ſuper re ipſos diſputando convenerit. Alii quippe ne ea quidem de ſumma, ut inquiunt, facie noverunt, reſpuuntque revelatam Religionem non alio titulo, niſi quod eorum genio non arridet, negaturi eadem facilitate vel Mathemati-

O 2 cas

cas ipſas demonſtrationes, ſi tranquillitati eorum moleſtiam crearent, aut cupiditatibus negotium faceſſerent (*a*). Pauciſſimi vix ea curſim leviterque attigere, adeo ut ad unam vel alteram, quam opportune in ipſos urgeas, probationem, fere ut piſces confeſtim obmuteſcant, ut ipſe experientia aliquando comperi, fidemque faciunt non dubiam viri alii graviſſimi, qui cum Deiſtis frequentius verſati ſunt, ubi contagioſa hæc hominum lues impune graſſatur (*b*). Quare ambiguum eſſe non poteſt hos omnes temeritate, & imprudentia ſumma Dei revelationem abjicere, pœnaſque, quas ipſa comminatur, neutiquam perhorreſcere. Nec eſt, quod tueri ſe poſſint, aliorum authoritate, quos ut propriæ Sectæ Corypheos ſuſpiciunt, & quorum libros effuſe laudare ſolent, licet ſæpe non legerint. Siquidem in negotio tanti momenti, in quo æterna ipſorum ſalus peragitur, quemadmodum non acquieſcunt, tot litterarum ſtudiis excultis nationibus, tot ſapientiſſimis viris, qui divinam revelationem vel evidenter conſtare, vel evidenter eſſe credibilem conſtanter affeverant: ita multo minus juxta prudentiæ, ſanæque rationis regulas acquieſcere poſſunt authoritati paucorum quorumdam oppoſitum aſſerentium, niſi ſaltem prius collatis utriuſque partis argumentis, curaque ſedula, ac ſtudio quam diligenti perpenſis, citra ullum præjudicium, animique paſſionem apud ſe ſincere ſtatuant, poſtremos hoſce priorum fundamenta penitus evertere, nullamque adeo prudentem ſupereſſe de revelatione divina ſuſpicionem. Quod cum ipſi nequaquam præſtent, ſummæ ſemper inſipientiæ nota jure omni damnantur.

XIII. Horum ergo imprudentiſſima temeritate luculenter perſpecta, ad alios accedo, quos Deiſtarum, aut Incredulorum duces, ac Primates nominavimus, Baylium, Collinium, Tollandum, Tindalium, Wolaſtonum. Numquid hos ſaltem accuratum, ſincerumque examen inſtituiſſe dicemus de fundamentis, ſive motivis, quibus divinam revelationem factam in ſacris libris aſſerimus, eamque eſſe evidenter credibilem? Minime gentium: cæteriſque omiſſis argumentis, quæ affatim occurrunt, non alios hujuſce rei teſtes appello, quam ipſorum libros. Quamquam enim toti ſint in oppugnanda Religione, quin & ſplendidiſſimis aliis veritatibus, omniaque arma & machinas adhibuerint, quas maleſanus ardor efferre in aciem potuit; præcipui tamen eorumdem conatus in arcana Religionis myſteria diriguntur, quæ cum intellectus humani captum excedant, nec perfecte intelligi dilucideque explicari valeant, mirum eſſe non debet, ſuperbam & imbecillam rationem plura in ipſis deprehendere, quæ criminetur, & carpat. Divinæ autem revelationis argumenta, ex quibus de veritate myſteriorum omnium quæ abſurda ipſis, aut impoſſibilia videntur, dijudicare deberent, vel omnino prætereunt: vel quibuſdam velitationibus potius, quam ſerio preſſoque conflictu adoriuntur, dubia ſolum, cavillos, aut ſuſpiciones aliquas obtendentes: vel relictis validioribus propugnaculis, quibus ſolidiſſime ſubſiſtit, in leviora quædam impetum faciunt, quæ ſi etiam diruerent, nullum ea detrimentum inde pateretur; vel demum, quæ concutere nequeunt, locoque dimovere ſuo, jocis, ac dicteriis impudenter inceſſerunt, quibus frequentius utuntur pro locis dialecticis, metaphyſiciſque omnibus, nec ullum plane offendas, qui ex inſtituto, & juxta exacti ratiocinii regulas, ut honeſtum hominem, verique amatorem decet, hoc argumentum, a quo tota lis pendet, tractandum ſuſceperit, quamquam id ſæpe fuerit exprobratum a no-

ſtris

(*a*) Quemdam ipſemet novi, qui cum præter artis ſuæ libros nonniſi Plinium, & Senecam ſe legiſſe fateretur, integrum ſibi putabat Religionem omnem fabulis accenſere. Si hunc ſtultiſſimum non appelles, quemnam, amabo, hoc nomine appellaveris?

(*b*) vide Dittonum par. 1. Religion. Chriſt. demonſ., Francil. de Roches epiſt. 5. &c. &c.

ſtris (*a*). Medium jam circiter ſæculum elapſum eſt, ex quo illuſtris Dittonus Anglus Deiſtas omnes ad ſingulare certamen provocavit, quoad unicum illud, ſed oppido inviċtiſſimum divinæ revelationis argumentum, quod a Chriſti Domini reſurreċtione deſumitur, viamque, quam ſequi omnino deberent, ad illud refellendum, præmonſtravit: nemoque adhuc unus inventus eſt, qui juxta methodum præfinitam, ac prorſus neceſſariam, in arenam præliaturus deſcenderet, pugnamque collato pede cum ipſo confereret. Quod ſi Deiſtæ tantopere faċti unius examen, quamvis laceſſiti, refugiunt, atque ad concertationem ineundam impares ſilentio ſatis ſe produnt ſuo, nulli ſane dubium eſſe poteſt, quin ſincero ſtudio, & ad juſti ratiocinii leges exaċta inquiſitione, ac diſcuſſione perpenderint tot alia faċta, tot firmiſſima momenta, quæ in Chriſtianæ Religionis veritatem comprobandam conſpirant, ejuſque divinam originem certo manifeſtant. Quare comperta res eſt vel ex hoc ſolo capite utramque Deiſtarum claſſem imprudentiſſime divinam in ſacris libris conſpicuam revelationem repudiare, ac nedum contra fidem, ſed etiam contra ſanam rationem, communemque ſenſum aperte inſanire.

IX. Animadverſionis hujuſce vis, & efficacia ex his, quæ in ſequente capite diċturi ſumus, clarius conſtabit. Lubet interim propoſitum argumentum unico ſyllogiſmo comprehendere, ac Adverſarios noſtros preſſius urgere. Si Deiſtæ cæterique omnes increduli temere & imprudenter rejiciunt divinam, quæ in Evangelicis libris aſſeritur, revelationem, nonniſi imprudentiſſime, ac plane fatue ea ſupplicia non reformidant, ac tamquam fiċtitia contemnunt, quæ in eiſdem conceptiſſimis verbis denunciantur. Atqui Deiſtæ, cæterique omnes increduli temere, & imprudenter rejiciunt divinam, quæ in Evangelicis libris aſſeritur, revelationem. Ut enim prudens hac de re conſideratumque judicium ferrent, illud ſaltem neceſſum eſſet, quod mature prius, accurateque perpenſis fundamentis, quibus eam firmiſſime conſiſtere ab innumeris Sapientiſſimis viris pro certo habetur, eadem everterent, nulliuſque ad fidem faciendam momenti eſſe demonſtrarent; quod haċtenus non præſtiterunt. Igitur nonniſi imprudentiſſime, ac plane fatue ea ſupplicia non reformidant, ac tamquam fiċtitia contemnunt, quæ in Evangelicis libris conceptiſſimis verbis denunciantur. Atque adeo hujuſcemodi homines non jam *elegantes, & cultiores ſpiritus*, ut appellari amant, ſed potius feroces, pervicaces, inſipientes, ac ſtulti jure æquiſſimo dicendi ſunt, qui in re omnium graviſſima non ratiocinantur, ſed nugantur, qui magnitudinem animi oſtentant, ubi juſtiſſima ſubeſt timendi cauſſa, qui jumentorum more præſentia ſolum recogitant, & futura mala abſque ulla gravi, veriſimilique ratione deſpiciunt.

X. Cum hoc argumento nimium ſe preſſos viderint Deiſtarum nonnulli, qui non diċteriis & ſcommatibus, ut plerique aliorum, ſed ratione cauſſam orare ſuam affeċtant, novum ſibi perfugium quæſiverunt, quo ſe proriperent, negando ſcilicet quod admiſſa divina Evangelii,

(a) Opportuna ſunt in rem hanc, quæ de hiſce Authoribus ſeribit Franciſcus de Roches Genevenſis Epiſt. 4. Defen. Chriſt.. Ces ardens, inquit, defenſeurs de l'incredulité, qu'ont-ils fait, après tout, dans leurs Ouvrages? Ont-ils attaqué le *Chriſtianiſme* dans les formes? Ont-ils mis le Leċteur en état de juger ſainement du procez, qu'il y a entr'eux, & nous? Vous le ſavez, *Monſieur*, auſſi bien que moi. Ils ont effleuré la matière. Ils ont voltigé autour de la place. Ils ſe ſont attaquez à quelques dehors, qui ne font rien à ſa ſureté. Ils ont reverſé des parapets poſtiches, que la ſuperſtition, ou le mauvais goût avoient elevez: ou, s'ils ont eſſayé d'ebranler ſes veritables boulevards, ça été par des railleries, des turlupinades, & autres machines ſemblabes, avec leſquelles on ne prendra jamais des villes. Vide, ſi lubet, alia plura, quæ de methodo in impugnanda Religione contra fas omne obſervata a Baylio, cæteriſque, profert ibidem eruditus Author.

gelii, & Chriſtianæ Religionis authoritate, neceſſario conſequatur admittenda quoque eſſe poſt hanc vitam ſupplicia, quæ ab iiſdem prædicuntur: Non quod hujuſmodi ſupplicia in Sacris libris ſatis aperte non memorentur, neque enim adeo ſtipites ſunt, ut ea non percipiant: ſed quia minarum duntaxat loco haberi poſſe exiſtimant, quibus demum eventus minime reſpondeat. Viam hanc eludendi omnia, quæ de alterius vitæ pœnis referunt Sacrę Litteræ, potiſſimum aperuit Antonius Collinius Anglus in peſtilenti ſuo libro *de libertate cogitandi* inſcripto, in quo inter alia plura, quibus totius fidei Chriſtianæ fundamenta adoritur, ita de noſtro argumento differit: „ dum Supremus aliquis Legiſlator, inquit, pœnam aliquam peccanti denunciat, decreta ipſius, ut ſolum comminatoria æſtimari poſſunt, ad deterrendos homines conſtituta, eoſque in officio retinendos: adeoque ſi etiam Evangelium a Deo profectum conceſſerimus, non alterius naturæ & conditionis credendę ſunt minæ, quæ in eo continentur: neque Deus alium in iis ferendis ſibi finem facile præfixit, quam homines pauliſper in præſenti vita perterrefacere, quo recte viverent, non autem in alia minas eaſdem ad effectum perducere. „ Quam conjectationem ſeipſa propria levitate ruentem ita firmare ſe poſſe arbitratur: „ minæ, inquit, non eandem pariunt obligationem, ac promiſſiones; Qui enim promittit, fidem ſuam oppignorat, ſeque alteri debitorem conſtituit, atque adeo tenetur juxta fidelitatis regulas ad promiſſa adimplenda. E contra vero, qui minas intentat ob offenſam in ſe commiſſam, creditoris locum obtinet. Quemadmodum igitur quivis creditor citra ullius injuriam, aut juris violationem, quod ſibi debetur, poteſt ex ſua libertate remittere, ita poteſt etiam Deus debitam peccantibus pœnam ex ſua liberalitate, ac ſupremo dominio condonare „. Ita Collinius ex Gallico in Latinum idioma ſermone converſo: Ita alii etiam Deiſtæ.

XI. Plura mihi de hac futiliſſima evaſione dicenda ſunt in tertia hujuſce Operis Diſſertat., ubi de futuri exitii æternitate ſermo erit: eadem quippe utuntur nuperi Origeniſtæ, ut Sacræ Scripturæ teſtimonia, quibus illa diſertiſſime adſtruitur, eludant. Pauca quædam interim obſervemus, quæ ad eam omnino præcludendam ſufficiunt. Fatentur itaque Adverſarii, aut ſaltem nobis largiuntur, Evangelium eſſe verbum divinum, & Chriſtianam Legem a Deo Authore prodiiſſe. Fatentur quoque in Evangelio ſatis expreſſe enunciari tum animæ immortalitatem, tum alterius vitæ ſupplicia, adeo ut de his nemo jure ambigere queat: ſolumque negant ex his neceſſario conſequi, impios homines, etiamſi ex hac vita ſine pœnitentia deceſſerint, iis affectum iri ſuppliciis, tum quia poſſunt eſſe ad terrorem duntaxat incutiendum denunciata, tum quia Deus poteſt eadem ex ſua libertate & dominio remittere. At vero quid hoc futilius excogitari potuit in deploratæ cauſſæ præſidium? Quid imprudentius fingi, & contra cujuſque Dialecticæ, juſtive ratiocinii regulas? Poſſunt eſſe futura ſupplicia ad terrorem tantum denunciata: ergo ad terrorem tantum denunciata ſunt, aut denunciata fuiſſe certo, vel ſaltem probabilius credi poſſunt? Si id non colligant, ea ſemper metuere compelluntur. Damnum enim, quod certo, aut etiam probabiliter, nos minime vitaturos putamus, juſti timoris objectum eſt. Porro id colligere nequaquam poſſunt juxta boni diſcurſus immobiles leges. Vana igitur & inanis eſt Adverſariorum evaſio, ſola etiam attenta ratiocinandi methodo.

XII. Sed vaniſſima prorſus apparet, ſi conſideremus Sacrarum Litterarum verba ac ſententias, quibus ſupplicium ab impiis in alia vita luendum exprimitur. Ita ſiquidem de illo loquuntur, ita illud frequenter deſcribunt, atque repræſentant, ut non inanis vacuique terriculi ideam ingerant, ſed quid peccatoribus contumacibus eventurum demum ſit, planiſſime atque apertiſſime ſignificent. Id liquet evidenter, ut alias præ-

Digitized by Google

præteream, ex illa Chriſti Domini ſententia in finali judicio ferenda, *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*, cui reſpondebit effectus ibidem propoſitus: *& ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. Id liquet etiam ex exemplis, quibus eandem veritatem Scriptura confirmat, Divitis Epulonis, quem in inferno jam poſitum, ibique flammis cruciatum exhibet: Diaboli, & Pſeudoprophetæ cum eorum ſequacibus, quos in ſtagno ignis ardentis torqueri aſſeverat: Judæ proditoris, de quo dictum eſt a Servatore noſtro, quod bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet. An hæc omnia & alia innumera ad terrorem tantum conficta ſunt, ut a malo quidem abſtineamus, at ſi nihil inde profecerimus, & in divinæ legis contemptu pertinaciter perſeveremus, nullum ideo detrimentum patiamur, ſolumque nobiſcum ludere voluit aliquantulum Divina Sapientia, noſtroque fruſtraneo metu ſeſe, quandiu vivimus, oblectare? *Quid ludis ipſe* (inclamat opportune S. Joannes Chryſoſt. (a)) *qui hæc cogitas in rebus non ludicris? Quid teipſum ſeducis ac decipis? Quid benignitatem Dei expugnas? Propter hoc ipſum quippe Gehennam illam & paravit, & minatus eſt, ne in illam incidamus, timore illius meliores effecti. Sed ſi nihil inde proficimus, eam certiſſime experiemur...... Quomodo audes dicere, quod ſimpliciter & fruſtra Gehennam minatus ſit, qui noſtras actiones tanta diligentia exquirit? Noli, obſecro, noli & teipſum, & eos qui te audiunt, vanis ſpebus perdere..... Collectis his omnibus*, quæ producta ſunt, aliiſque, quæ poſſent produci, *mentem tuam perſuade, ne vane nugetur, ne per experientiam diſcas eſſe Gehennam, ſed hinc & reſipiſcere valeas, & tormenta illa effugere.*

XIII. At vero inſiſtit Collinius: *Creditor ex ſua libertate ac dominio citra ullius injuriam debitum remittere poteſt. Deus autem per peccatum offenſus, pœnamque denuncians creditor tantum eſt, non autem debitor*. Quid, ſi principium hocce, quo inaniter triumphas, & quod velut omnibus exploratum obtrudis, tibi denegarem? Negavit illud certe inter alios V. Cl. Ugo Grotius (b), nec ſolum negavit, ſed etiam negandum demonſtravit, oſtendens jus puniendi in Rectore Communitatis non eſſe aut jus abſoluti dominii, aut ſolius crediti, lubetque ejus probationes afferre, ut videant omnes, quam caducis principiis nitantur Adverſarii in rebus ſummi momenti audacter definiendis, aut in quæſtionem vocandis.

„ Probatur, inquit Vir eximius, hoc primo ex fine, qui optime ſolet diſtinguere facultates. Nam jus abſoluti dominii, ut & jus crediti, comparatum eſt ejus gratia, qui id jus habet. At jus puniendi non punientis cauſſa exiſtit, ſed cauſſa communitatis alicujus. Pœna enim omnis propoſitum habet bonum commune, ordinis nimirum conſervationem & exemplum: ita quidem, ut rationem expetibilis non habeat niſi ab hoc fine: cum jus *dominii & crediti* per ſe ſint expetibilia. Hoc ſenſu Deus ipſe dicit, ſe pœna eorum, qui puniuntur, non delectari.

„ Rurſus numquam cum juſtitia pugnat de jure dominii, aut crediti cedere: quia natura hæc eſt proprietatis, ut ea tam uti, quam non uti liceat. At quædam peccata impunita dimittere (puta non reſipiſcentium) eſſet injuſtum in Rectore, etiam in Deo, ut fatetur Socinus lib. 1. cap. 1. Non eſt ergo jus puniendi idem cum jure dominii aut crediti.

„ Præterea nemo ob id juſtus dicitur ac juſtitiæ nomine laudatur, quod dominio ſuo utatur, aut quod creditum exigat. At quivis Rector atque ipſe Deus juſtus ob id dicitur, & juſtitiæ nomine laudatur, quod pœnas non remittat, ſed ſevere exigat. *Juſtus es Domine, quod ſic judicaſti*, Apoc. 16.5., quod pluribus locis ſupra probatum eſt.

„ Ite-

(a) Homil. 13. in ep. ſt. ad Rom.
(b) de Satisf. Chriſti cap. 2. Tom. 4. Oper. pag. 308.

Digitized by Google

„ Iterum virtutum diverſitas oritur „ ex diverſitate objectorum. At virtus, „ qua de dominio, aut credito noſtro ce„ dimus, *liberalitas* vocatur: illa vero, „ qua impunitas conceditur, non *libe„ ralitas*, ſed *clementia*.

„ Sed quærat forte aliquis, pergit il„ le, cum deberi pœna dicatur, quis „ ſit hic Creditor? Vix enim videtur „ poſſe intelligi Debitor, ubi Creditor „ ſit nullus. Sed notandum eſt vocem „ *debere* non ſemper denotare relationem „ inter duas perſonas. Sæpe enim, *Debeo* „ *hoc facere* nihil aliud eſt, quam *con„ venit hoc a me fieri*, ſine reſpectu ad „ perſonam alteram. Ita *debeo pœnam*, „ ideſt dignus ſum pœna, & pati eam „ teneor abſolute. Non autem relate ad „ hunc, aut illum. Ideo perinde eſt in „ qua Repub., ſub quo Rectore aliquis „ pœnas delicti luat: æque enim apud „ omnes liberabitur, quod non ita pro„ cederet, ſi, ut aliarum rerum, ita pœ„ næ certus extaret Creditor: uni enim „ illi, non etiam aliis, niſi juſſu ipſius, „ facta ſolutio debitorem liberaret. „ Contrarium ferme in præmio apparet: „ Recte enim dicitur, *debetur illi præ„ mium*: at certa perſona, quæ debeat „ (ſepoſita lege poſitiva) non apparet „: Hactenus ille ſcitiſſime, qui ſubinde cap. 3. evincit, quod „ etiamſi lex „ nullam pœnam expreſſiſſet, naturali„ ter tamen ipſe actus humanus, ſive in„ trinſecam habens pravitatem ex rei „ natura immutabili, ſive etiam extrin„ ſecam ob contrarium Dei præce„ ptum, eo ipſo pœnam aliquam, & „ quidem gravem merebatur, hoc eſt „ par erat hominem peccatorem puniri. „ Ex quibus omnibus amplius elucet, quam falſo oggerant Adverſarii pœnas a Deo pro puniendis delictis in Sacris libris expreſſas credi poſſe ad ſolum terrorem incutiendum denunciatas, effectuque carituras.

XIV. Nihilominus illud liberaliter concedamus, quod oppido falſum eſt, ſolius Creditoris rationem habere Deum in pœnis exigendis; num ideo ſibi merito blandiri poſſunt contumaces homines, pœnas, quas ille comminatus eſt, non irrogaturum: quia eas remittere poteſt citra alicujus injuriam? Quis niſi delirus & amens ſperat ſibi a Creditore ſuo debitum dimiſſum iri hoc ſolo ductus fundamento, quia dimittere illud poteſt? Quis unquam ſibi perſuaſit, ſe mortem fortaſſe evaſurum, quia in Deo ſumma poteſtas eſt, ipſum a morte liberandi? Qui hac una de cauſſa immortalitatem ſibi adpromitteret, nonne ad Anticiras ablegandus, & elleboro curandus judicaretur? Cur igitur inſanos eos non putabimus, qui in luto peccatorum hærentes, ab inferni cruciatibus ſe forſitan ſubtrahendos exiſtimant, quia ipſos ſubtrahendi Deo potentia non deficit? Apage ridiculam ſpem, futilemque imaginationem. Imo potius ita ratiocinari debemus omnes: Deus poteſt ſupplicia, quæ in Sacris Codicibus comminatus eſt, reipſa, ſi velit, infligere; ſed dubitare minime poſſumus, quin eadem infligere velit, dum attento animo perpendimus, tum odium & abominationem, qua frequenter teſtatur, ſe proſequi impios, eorumque impietatem, tum verba luce ipſa clariora, quibus ſuum de puniendis ſceleribus decretum expreſſit: tum demum exempla, queis hanc punitionem vel jam illatam, vel inferendam patefacit. Igitur eam indubitanter infliget, iique ſolum ipſam effugient, qui ſibi in hac vita per pœnitentiam, fructuſque pœnitentiæ dignos ſcelerum ſuorum veniam promerebuntur.

XV. Hæc quamquam abunde ſint ad Collinii ſophiſma funditus deſtruendum: aliud tamen lubet argumentum proferre ex iis, quæ jam contigerunt, arceſſitum, unde de iis, quæ contingere debent, judicare liceat. Plures legimus in Sacris Codicibus tum Veteris, tum Novi Teſtamenti a Deo factas hominibus comminationes. Comminatus eſt mortem primis noſtris Parentibus, ſi de vetito ligno comediſſent: Comminatus eſt Univerſale Diluvium Noeti tempore, terræ Sodomorum conflagrationem, Ægyptiorum, ac Judæorum ſubinde in Deſerto calamitates & cladem, aliaque plura, quæ commemorare longum foret.

foret. Nulla porro eſt ex tot comminationibus, cui eventus exacte non reſponderit, rebus ſaltem eodem in ſtatu manentibus: quod ſtudio advertimus, ne quis Ninivitarum ſingulare factum opponat, qui divinam ultionem a Propheta denunciatam experti non ſunt: *pœnitentiam* quippe *egerunt*, inquit Chryſoſtomus in Epiſt. ad Philem., *atque ita minas in verbis ſiſti curaverunt*. Ceterum ex aliis omnibus, qui ex minarum metu nihil profecere, nullum afferri poteſt exemplum, in quo Deus ad effectum non perduxerit, quod ſe facturum prædixit. Qua igitur probabilitatis ſpecie vel colore effutire valet Collinius alterius vitæ pœnas, de quibus tam frequens in Sacris Litteris mentio, ad inane terriculamentum credi poſſe denunciatas, eaſque Deum fortaſſe non inflicturum, ſi nullum exemplum habet, unde ad id credendum adducatur? Pulchre admodum hoc argumentum perſequitur ac urget S. Auguſt. enarr. in Pſal. 73., poſtquam longa inductione manifeſtum fecit, eveniſſe omnia, quæcumque Deus eventura prænunciaverat. „ Væ, inquit, perverſis cordibus: quoniam ita ventura ſunt, quæ reſtant, ſicut venerunt iſta, quæ tunc non fuerunt, & ventura prænunciabantur. An vero exhibuit nobis Deus omnia, quæ promiſit, & de ſolo die judicii nos fefellit? ...... Veniet omnino, quomodo iſta venerunt, veniet Fratres mei. Nemo dicat, non veniet.... ſufficiat prima deceptio. Si non potuimus primo permanere in præcepto, ſaltem corrigamur exemplo. Nondum erat exemplum caſus humani, quando dictum eſt ad Adam, *morte morieris, ſi tetigeris*. Et venit de tranſverſo Serpens, & dixit, *non morte morieris*: Creditus eſt Serpens: contemtus eſt Deus. Creditus eſt Serpens, tactum eſt vetitum, mortuus eſt homo. Nonne impletum eſt potius, quod minatus eſt Deus, quam quod promiſerat inimicus? Sic eſt certe: agnoſcimus hoc: inde omnes in morte. Jam vel experti cauti ſimus. Non enim ceſſat ET MODO Serpens inſuſurrare, & dicere, numquid vere damnaturus eſt Deus tantas turbas? Liberaturus eſt paucos? Quid eſt aliud, quam *facite contra præceptum, non moriemini?* Sed quomodo tunc, ſic & nunc. Si feceris, quod ſuggerit Diabolus, & contemſeris, quod præcepit Deus, veniet dies judicii, & invenies verum, quod minatus eſt Deus, & falſum quod pollicitus eſt Diabolus...... *Exurge Domine judica cauſſam tuam: memento opprobriorum tuorum, eorum quæ ab imprudente ſunt tota die.* Adhuc enim inſultatur Chriſto: nec deerunt *tota die*, hoc eſt uſque in finem ſeculi vaſa iræ: Adhuc dicitur, vana prædicant Chriſtiani...... *judica cauſſam meam: memento opprobriorum tuorum*. Sed quorum, niſi eorum, *quæ ab imprudente ſunt tota die?* Numquid prudens hoc dicit? &c. „ Hæc & alia Auguſtinus omnino ad rem noſtram. Plura alia proferemus adverſus vaniſſimum hoc effugium, quo inſipientes miſere ſe decipiunt, loco jam citato, cum de Æternitate pœnarum: quæ enim ibi dicentur, potiore titulo ad præſens argumentum revocari poſſunt.

CAPUT XV.

Epilogus hujus prioris libri. Productis argumentis quaquaverſum urgentur Deiſtæ, & Increduli, ut ſolidi nihil reponere contra valeant. Quare mortalium imprudentiſſimi convincuntur, ſi nullum ex iis divinæ Juſtitiæ vindicis timorem concipiant.

I. QUæ latius a me tota hac prima Diſſertatione diſputata ſunt, hoc poſtremo capite compendio colligere conſultum duco, ut uno veluti aſpectu cognoſcere Lector valeat & catholicæ communiſve ſententiæ de miſero impiorum futuro ſtatu firmitatem, & Adverſantium ſtuporem, aut potius inſaniam. Tria itaque ad rem hanc demonſtrandam argumenta produximus, quæ efficaciſſima, penituſque decretoria eſſe nemo unus, qui non affectu ſuo peculiari, ſed rationum pondere, ac vi judicium ferre maluerit, non diffitebitur: eaque etiam a cavillis omnibus vindicavimus, omniumque depulimus difficultatum nubeculas, quibus ipſorum perſpicua lux offundi potuiſſet, ut veritas, quam defendimus, ſplenderet quam maxime, & cunctorum oculos ſua claritate percelleret. Et illud quidem primum, quo tertio loco uſi ſumus a Divina Authoritate in Sacris libris apertiſſime loquente arceſſitum, ſatis eſſe deberet omnibus, qui validiſſima, quibus Chriſtianæ Religionis veritas immota conſiſtit, fundamenta, ſive credibilitatis motiva tranquilla mente, ac ingenio ſubacto vel parumper expenderint. Vel enim nulla eſt Dei revelatio facta hominibus, librique Evangelici non ſunt divinum verbum, ſed humanum commentum: vel ſi divina Evangelii revelatio admittitur, admittenda quoque neceſſario eſt animorum immortalitas, ſtatuſque ſecuturæ impiorum vindictæ: cum in iis libris, non obſcuris, non allegoricis verbis, ſed clariſſimis, & cuivis manifeſtis ea denuncietur, nec ad inanem quidem futilemque timorem mortalibus duntaxat incutiendum, ut ea explicari poſſe Collinius Anglus cenſuit, ſive potius deliravit; ſed ita ut effectus aliquando conſecuturus ſit, & conſequatur in dies: quemadmodum pluribus jam demonſtratum eſt. Quod ſi nullam Adverſarii Dei revelationem agnoſcant, & Evangelio non credant, jam iis omnibus premuntur momentis, quæ divinam Chriſtianæ Religionis originem invicte probant, quæ niſi antea, non jocando, ſed ratiocinando, ut ingenuum hominem decet, dejecerint, quod hactenus nemo eorum præſtitit, ſed neque ut fidenter aſſerimus, præſtare poterit, jam imprudentiſſime, ac ſtultiſſime & Evangelium rejiciunt, & ſupplicia, quæ comminatur, non perhorreſcunt.

II. Quoniam vero ii, quos refellimus, adduci vix ſolent, ut hujuſce generis argumenta ſeria animi conſideratione perpendant, eaque fere procaci quodam faſtu dedignantur, alterum præmiſimus argumentum ex puriſſimis notionibus, quæ omnium mentibus affulgent, de Deo, ejuſque Natura, Bonitate, Providentia, atque Juſtitia. Omnibus namque, ut Tullii verbis eloquar (*a*), *jam a principio perſuaſum eſt Dominum eſſe omnium, ac Dominatorem Deum, eaque, quæ hic geruntur, ejus geri judicio, ac numine, eumdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate Religiones colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem*. Hæ autem divinæ dotes conſtare neutiquam poſſunt, niſi alium ponamus vitæ ſtatum, in quo & bonis præmia, & flagitioſis ſint parata ſupplicia. Si enim Deus *Dominus omnium, ac Dominator eſt*, jam omnia poteſt, omniaque procurat, atque adminiſtrat. Si *optime de genere hominum meretur*, neceſſum eſt, ut cuique conferat juxta bo-

(a) lib. 2. de legibus.

bonitatis, ac ſapientiæ regulas. Si *qualis quiſque ſit*, *quidve agat*, *intuetur*, nihil ipſum latet ſive ex benefactis hominum, ſive malefactis. Si demum *piorum*, *impiorumque rationem habet*, tum pios diligit, ac remuneratur, tum impios averſatur & punit. Porro omnium oculis manifeſtum eſt Deum in hac vita mortali neque juſtos præmio, neque injuſtos ſupplicio juxta meritorum conditionem afficere, cum plerumque hos florere, boniſque fortunæ, ac voluptatibus affluere cernamus: illos vero affligi, & vexari miſeriis. Aliam igitur vitam concedamus oportet, ubi juſtus Deus omnibus æqua lance rependat, nihilque vel irremuneratum, vel inultum dimittat.

III. Nullum profecto futurum puto adeo delirum, & impium, qui Univerſi hujus Authorem, cujus amor erga hominem maxime ac Providentia tot in rebus propter ipſum conditis clariſſime elucet, poſthabere audeat Rectori cuicumque incurioſo, atque ſceleſto. Neminem porro invenire eſt, non dicam regni, ſed nec peculiaris alicujus familiæ Rectorem, qui adeo, quod rectum & honeſtum eſt, contemnat, & oderit, ut probitatem ſaltem in aliis non diligat, vitiumque non abominetur, &, ſi liberos habeat, pro nihilo pendat, quod bene vel male morati ſint, nec eos promiſſione alicujus præmii ad bonum alliciat, nec timore pœnę a malo coerceat. Qui igitur concipias, aut fingas totius bonitatis, ac juſtitiæ fontem D.O.M. res humanas omnino contemnentem ſine amore virtutis, ſine odio vitiorum, ſine ulla legum ſuarum cura, qui eodem in pretio habeat innocentiam & pravitatem, parique modo ſe gerat erga probos, & improbos, immo hos potius quam illos beneficiis proſequatur? Nulla plane Gentilium Secta eo dementiæ provecta eſt, ut talem ſibi Deum confingeret. Nam tametſi nonnulli etiam humana vitia Diis, quos colebant, adſcripſerint, eos tamen honeſtatis improbitatiſque ſenſu optime præditos exiſtimarunt, nemoque hujuſmodi animum in ſummo præſertim Deo ſuſpicatus eſt, qui honeſta opera adeo negligeret, ut eodem loco haberet prava, & flagitioſa, eodemque affectu & retributione dignaretur. Brevius dicam cum eximio ſcriptore, ex quo hanc animadverſionem deprompſi (a): ſi Adverſarios audimus, *jam mortalium nequiſſimus in pravis ſuis affectibus Deo ſimilior foret*: quod non ſine ingenti horrore dici, aut intelligi poteſt.

IV. Hæc & alia plura uberiore ſermone ſuperius illuſtravimus, ut hujuſce argumenti vis, & efficacia conſpicua omnibus fieret. Illud etiam plurimorum Eccleſiæ Patrum verbis propoſuimus, &, quod opportunius viſum eſt ad nuperos Deiſtas revincendos, etiam plurium Gentilium Philoſophorum, maximeque Platonis, qui illud in deliciis habuit, eoque non uno in loco uſus eſt ad alterius vitæ felicitatem, & miſeriam demonſtrandam. Atque id ſane maximo pudore ſuffundere deberet Adverſarios noſtros, quod Gentiles inter tenebras errorum, & ſuperſtitionum umbras meliorem de Deo, ejuſque perfectionibus ideam animo informaverint, cum eaque connexam omnino, & implicitam animæ immortalitatem, ejuſque futuram ſortem perviderint. Ipſi autem patefacta jam veritatis luce per philoſophica ſtudia jam a tot ſæculis magnopere exculta, multoque amplius per Evangelii revelationem, in tenebris jaceant, talemque de Deo opinionem habeant, quam de ſemetipſis neminem habere vellent, ſi Rectores vel familiarum eſſent, vel regnorum, aut rerumpublicarum.

V. Verum, ſi neque hoc argumento ſubigi ſe patiuntur, illud ſaltem, quod ſecundo loco expoſuimus, compellere ipſos deberet, ut triumphanti veritati faſces ſubmitterent, firma ſcilicet conſenſio nationum omnium, atque gentium in ejuſdem confeſſione unanimiter conſpirantium. Uberius hoc a nobis tractatum eſt, quam res ipſa poſtularet,

P 2

(a) Pallavic. lib. 1. Perſ. Chriſt.

laret, omni Adverſariis vitilitigandi aditu præcluſo. Ne quiſpiam mihi regereret, quod ille quondam apud Tullium (*a*) de hoc eodem argumento diſputantem: *unde notæ tibi ſunt opiniones nationum? Equidem arbitror multas eſſe gentes ſic immanitate efferatas, ut apud eas nulla ſuſpicio Deorum ſit*, aut animorum immortalitatis, eorumque futuri ſtatus. Ne, inquam, id regerere poſſet aliquis, omnium gentium, tum quæ olim, tum quæ hodieque terrarum orbem incolunt, nec quæ veterem quidem tantum, ſed etiam quæ recens detectum, de quibus quidpiam litteris conſignatum eſt, qua majore licuit, diligentia, ſenſum & perſuaſionem de hac re expiſcati ſumus. Exordium cœpimus a Judæis, antiquiſſima omnium gente, clariſſimiſque documentis adverſum aliquos oſtendimus eos continenter pro hac veritate ſtetiſſe. Tum vero luſtravimus Chaldæos, Perſas, veteres Indos, Phœnices, Thraces, Arcades, Ægyptios, Æthiopes, & Libyarum gentes: nec diligentiam noſtram effugerunt populi Septentrionales Scythæ, Gothi, Cymbri, Germani, & Celtæ: omneſque in eamdem ſententiam, ſaltem quoad rem ipſam præcipuam iviſſe palam fecimus. Hinc cultiorum nationum, Græcorum videlicet, ac Romanorum ſenſum perſcrutati ſumus, a Poetis incipientes, in quorum fabulis ſemina communis veritatis interlucere conſpeximus: Philoſophos deinde inſigniores ac celebriores, imo omnes, paucis infimæ notæ exceptis, in eodem dogmate conſenſiſſe luculentis teſtimoniis oſtendimus. Neque id ſatis nobis fuit, ſed & ipſas nationes nunc per univerſum orbem jam cognitum undequaque diſperſas, ſollicite peragravimus: nuperos Judæos, ac Mahumedanos inviſimus, Sinenſes quoque, Japponienſes, pluresque alias per Indiarum regna, ac provincias huc atque illuc diffuſas gentes: nec Tartaros præterivimus, aut Cafros, vel Quineenſes. Quin etiam ad novum orbem enavigantes veſtigavimus non Mexicanos modo, & Peruanos, ſed & Braſilienſes, Hurones, alioſque populos barbaros & efferatos, de quorum ſententia olim dubitatum fuerat: nullamque ex iis nationibus deprehendimus, quæ non aura ſaltem aliqua alterius vitæ cognitionis afflata foret, nec quoad rem ipſam cum cæteris conveniret.

VI. Diuturno tandem, ac laborioſo itinere confecto, communique ac perenni in eadem ſententia gentium conſpiratione comperta, cum in quacumque re omnium conſenſio naturæ vox ſit, ut late probavimus, nec ea errori obnoxia eſſe queat, immobili, planeque neceſſaria conſecutione deduximus, veram eſſe ejuſmodi ſententiam, ac tamquam certiſſimam ab omnibus ſuſcipiendam. Quod enim ubique & ſemper generali hominum conſenſu, & non ſenſuum repræſentatione creditum eſt, fieri nullo modo poteſt, ut vel a caſu, vel ab humana inventione dependeat, ſed fontem aliquem magnum, unde flueret, authoritatemque humana majorem, naturæ ſcilicet, ſive naturæ conditoris habuiſſe neceſſe eſt, quem nec falli, nec fallere poſſe nullus ignorat.

VII. *Quid eſt igitur* (utar accommode M. Tullii verbis (*b*)) *cur dubitandum ſit, quin ſint ea, quæ diſputavi, veriſſima: ſi ratio mecum facit* luce ipſa, ferme dixerim, evidentior, eaque non una, ſed multiplex, *ſi eventa, ſi populi, ſi nationes, ſi Græci, ſi barbari, ſi majores etiam noſtri, ſi denique hoc ſemper ita putatum eſt, ſi ſummi Philoſophi, ſi Poetæ, ſi ſapientiſſimi viri, qui Reſpublicas conſtituerunt, qui urbes condiderunt? An dum beſtiæ loquantur, expectamus, hominum conſentiente authoritate contenti non ſumus?* Quid eſt igitur, iterum rogare præſtat Adverſarios noſtros, quod eos ab hac amplectenda veritate retardat? Num argumenta ad illam comprobandam a nobis adducta ſatis perſpicua & evidentia non ſunt? Si hoc aſſerere non verentur,

(*a*) loco cit. de Nat. Deor.

(*b*) lib. 1. de Divinat.

tur, jam ſolem in meridie non lucere eodem jure affirmare poterunt. Num minus efficacia ad rem conficiendam exiſtimant? At aperiant ipſi, ſi quidem poſſint, fontes alios, unde efficaciora argumenta hauriri queant ad veritatem aliquam ſenſibus minime ſubjectam demonſtrandam. Ego plane non video quid validius aut efficacius ne excogitari quidem valeat, quam Dei ipſius teſtimonium & revelationis oraculo, & rationis judicio, & voce naturæ omnium gentium ore loquentis, exploratiſſimum. Num denique potiora habent ipſi argumenta, quibus hanc veritatem impugnent? Sed cur ea non proferunt? Cur potius in frivolis conjecturis promovendis operam ludunt? Cur ineptiis duntaxat, inanibuſque cavillis nos detinere malunt?

VIII. At enim fac verum eſſe, quod falſiſſimum eſt, producta ſcilicet a nobis argumenta non ea gaudere perſpicuitate & efficacia, quam nos ipſis tribuimus, tribueruntque quotquot ea ſerio animo perpenderunt, viri ſapientiſſimi, nunquid adeo deſipies, ut nullum penitus iis robur ineſſe tibi perſuadeas? Nunquid ſaltem probabilia non judicabis, quæ cæteri decretoria & apodictica cenſuerunt? Fac igitur ea ſolum eſſe probabilia: fac non omnino certa, ſed dubia eſſe, quæ de futura vita afferuntur, extremæ profecto imprudentiæ ac temeritatis notam non effugias, ſi tutiorem partem non ſequaris ubi de re graviſſima agitur, de ſummæ miſeriæ periculo, quam ſi incurras, non amplius errorem corrigere valeas. Prudentiæ quippe ratio, propriæque ſalutis amor id a quocumque ſano capite efflagitant ut ſaltem in re magni momenti tutiorem viam libenter præferat, quantumque poſſit ſibi caveat ut in omnem eventum ſummam rei ſalvam tueatur, perſpiciatque ne ſalus ſua quidpiam patiatur detrimenti. Sic olim hoc argumentum adverſum Gentiles ſapienter urgebat Arnobius: *non credimus*, *inquitis*, *vera eſſe*, *quæ dicit*. *Quid enim? Quæ vos negatis vera eſſe*, *apud vos liqueat*, *cum imminentia & nondum caſſa nullis poſſint rationibus refutari* ...... *Nonne purior ratio eſt ex duobus incertis*, *& in ambigua expectatione pendentibus*, *id potius credere*, *quod aliquas ſpes ferat*, *quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil eſt*, *ſi quod dicitur imminere*, *caſſum fiat & vacuum*; *in hoc damnum eſt maximum*, *ideſt ſalutis amiſſio*, *ſi cum tempus advenerit*, *aperiatur non fuiſſe mendacium*. *Quid dicitis*, *o Neſcii*, *etiam fletu*, *& miſeratione digniſſimi? Ita non extimeſcitis*, *ne forte hæc vera ſint*, *quæ ſunt deſpectui vobis*, *& præbent materiam riſus? Nec ſaltem vobiſcum ſub obſcuris cogitationibus volvitis*, *ne quod hac die credere obſtinata renuitis perverſitate*, *redarguat ſerum tempus*, *& irrevocabilis pœnitentia caſtiget?*

IX. Eodem argumento ſe permotum fuiſſe, & ad bonam frugem traductum teſtatur, quiſquis ille ſit Clementinorum ſcriptor (a). *Dicebam quippe*, inquit, *annon illic pejus quidpiam eo*, *quod me nunc cruciat*, *paſſurus ſum*, *ſi pie non vixero*, *ac ſecundum quorumdam Philoſophorum ſermones Pyriphlegetonti tradendus ſum*, *& Tartaro*, *quemadmodum Siſiphus*, *vel Titius*, *vel Ixion*, *vel Tantalus: atque in inferno æternum puniar? Iterumque replicabam dicens: Sed iſta non ſunt*. *Cum igitur*, *inquiebam*, *incerta res ſit*, *multo magis extra periculum eſt pie me vivere*. Idem etiam argumentum urgent Blaſius Paſchalis cap. 7. *cogitationum*, *ſeu reflexionum ſuarum*, & Arnaldus inter Catholicos, & inter Heterodoxos Tillotronus Anglus, Miniſter Jurieu, Jo: Albertus Fabricius, aliique.

X. Erunt fortaſſe ex Adverſariis, qui ad hoc argumentum ex eo, quo tutius eſt, deductum oggerant: ſi incerta credantur a nobis, quæ de alterius vitæ præmio ac ſupplicio narrantur, cur propter hæc voluptates noſtras, quibus jucunde fruimur, dimittamus? cur jugo divi-

(a) Homil. 1. cap. 4. Tom. 1. Patrum Apoſtol. Coteleiii.

divinarum legum colla ſubdamus? Nonne incertis certa præponere prudentis eſt, & conſiderati viri? Ita ſane garrire ſolent plures *Epicuri de grege porci*, hiſque vocibus ſatis manifeſtant, unde ipſorum credendi futuræ vitæ præmium atque ſupplicium repugnantia originem trahat, ex inſano videlicet libertatis amore, ex inordinato præſentium bonorum affectu, ex paſſione, qua tenentur, explendarum cupiditatum, non ab aliquo rationis momento, quod ab ipſis diſſenſum extorqueat. Sed non ideo extremæ imprudentiæ, ac ſtultitiæ notam effugiunt. Nam ut concedamus imprudentis non eſſe, quæ certa ſunt, dubiis & incertis præferre, cum de rebus agitur parvi momenti, idem certe nullus affirmaverit, cum de rebus graviſſimis quæſtio eſt. Cum igitur hac in quæſtione de ſumma rerum agatur, de ſumma nempe felicitatis jactura, de immani, horrenda, ac irreparabili miſeria, ſtolidiſſime ſe gerunt, qui hæc contemnunt ob futiles vitæ hujus voluptates, parvoque tempore duraturas. Atque ut ad incitas Adverſarios omnino redigamus, quæſo te, quicumque hac miſera uteris evaſione: ſi forte verſeris in ſuburbio, lætuſque cum amicis inter cantus, & epulas diem tranſigas, accedatque anhelans ex urbe aliquis, nulla cognitus tibi fraude, qui renunciet immane incendium ſubortum in Civitate, conflagrare civium domos, ædibuſque tuis jam proxime flammas impendere, atque adeo tuas res omnes, tuaque omnia bona evidenti periculo eſſe expoſita, niſi promptius accurras, ut ea in tuto colloces, aut ignem æſtuantem ab eis avertas: ſuperveniatque nuncius alter, & alter, qui eadem referant, inſiſtantque cunctationem omnem tibi exitio futuram: Quæſo inquam te, nonne vir imprudentiſſimus, maximeque inconſideratus jure cenſeberis, ſi tecum reputes vel eos, qui id retulerunt, fortaſſe fuiſſe deceptos, vel decipere te voluiſſe, nec eorum teſtimonium tanti eſſe faciendum, ut propterea hilaritatem convivii tui, dulcemque, quam percipis, oblectationem dimittere debeas: adeoque ibidem conſiſtas, nulla de amiſſione bonorum tuorum, ſummaque calamitate, quæ tibi imminere denunciatur, ſollicitudine concepta? Næ igitur ſtolidiſſimus jure omni judicandus fueris, dum in negotio æternæ ſalutis eodem modo te geris, præſertim cum & calamitas, quæ tibi impendere prædicitur, longe major ſit, & ne cum cæteris quidem omnibus conferenda: & qui de ea teſtimonium perhibent, non jam unus aut alter mortalium eſt; ſed tota Chriſtiana Religio, quæ id quod teſtatur innumeris argumentis, & miraculis confirmavit, atque confirmat: ſed totus terrarum orbis, qui communi & immobili gentium omnium conſenſione eam tamquam veritatem certiſſimam & credidit, & credit: ſed tua demum ipſa conſcientia, & intima ratio, quam ſi ſemotis præjudiciis, turbidiſque affectionibus conſulas, clara voce prodentem audies, quemadmodum bonis operibus præmium, ita malefactis pœnam deberi, neque conſtare poſſe puras, quas de Dei Bonitate, Juſtitia, ac Providentia inſitas habes, ideas, atque notiones, non admiſſa in futura vita proborum, improborumque retributione.

Finis Libri Primi.

DE

D E
FUTURO IMPIORUM STATU
LIBER SECUNDUS,

In quo de qualitate, & conditione pœnarum agitur, quibus Impii in altera vita puniendi ſunt.

CAPUT PRIMUM.

Futuræ Impiorum pœnæ ex Dei verbo maxime definiendæ. Improbatur illorum conſilium, qui plura de iiſdem abſque ſolido fundamento comminiſcuntur. Iis non favent neque Patres, neque privatæ quædam revelationes. Aliorum extrema ſententia fugienda, qui pœnas eaſdem mollire, ac extenuare ſatagunt.

I. HActenus adverſum Deiſtas, & Incredulos, quorum non exiguus hac præſertim ætate numerus, pœnas aliquas manere impios poſt mortalem hanc vitam luendas firmiſſimis argumentis, tum ex Dei teſtimonio, tum ex puris naturæ luminis notionibus arceſſitis, evidenter oſtendimus. Pœnæ ipſæ definiendæ modo ſunt, pœnarumque qualitas aut conditio, non humana quidem ratione, quæ parum lucis hoc in argumento afferre poteſt, ſed divina revelatione in ſacris libris, & Eccleſiæ traditionibus propoſita, qua certo cognoſcimus, quid ſupremus Judex, ac Vindex Deus legum ſuarum tranſgreſſoribus pro digna ipſorum punitione in futura vita paraverit. Equidem vel ſola ipſa ratio naturalis clare nos edocet peccato pœnam, & gravem ſane, deberi, cum infinitæ Dei majeſtatis offenſa ſit. Verum, cum innumeris ferme modis fieri vindicatio queat, iique ex Dei arbitrio juxta ſapientiæ ſuæ, ac juſtitiæ regulas unice pendeant, niſi ipſemet definitum punitionis modum manifeſtum nobis feciſſet, nihil omnino certi, exploratique hac de re habuiſſemus. Atque hinc factum eſt ut eæ nationes, quibus divinæ revelationis lumen non affulſit, ſolamque humanam opinionem ſecutæ ſunt, tametſi in ſententia de puniendis poſt mortem

tem

tem impiis omnes conſenſerint, in plura tamen, ſeque inter contraria, & a veritate abhorrentia placita abierint: quemadmodum ex iis, quæ ſupra deducta ſunt, ſatis perſpicuum eſt.

II. Quamquam vero in ſacris libris de qualitate pœnarum, quibus plectendi ſunt impii, diſertis verbis mentio fiat; non omnis tamen controverſia ſublata eſt quoad germanum ipſarum locutionum ſenſum, adeoque & earumdem pœnarum conditionem, multique in abſurdas, Deique verbo repugnantes opinationes prolapſi ſunt. Horum ſententiæ ad duo ſuprema capita revocari poſſunt. Alii ut futura ſupplicia exaggerent, graviorumque hominibus metum incutiant, vel arripiunt undique quaſcumque Sacræ Scripturæ locutiones, quæ alio referri debent, vel urgent in ſenſu obvio, ac litterali, quæ in metaphorico, aut figurato explicari facile poſſunt, & explicare par eſt: multaque etiam adjiciunt ipſi proprio duntaxat cerebro conficta, quibus abſonam quamdam picturam deformant, planeque haud illi abſimilem, quam Ethnici Poetæ olim confinxere. Hinc ingentes lignorum ſtrues: hinc ferreæ catenæ: hinc putei profundi: Hinc æneæ tubæ quibus Dæmones horrendo fragore damnatos excitent: hinc ignitæ ſartagines, tremendi leones, venenati ſerpentes, rabidæ tigres: Hinc inſuaves epulæ, amariſſimi potus, ardentia diademata, atque ſubſellia, & alia id genus plurima, quæ in quorumdam, ſed fere infimæ notæ ſcriptorum libris frequenter invenias.

III. Non me quidem præterit eos, qui hæc ſuppliciorum, ut ita loquar, portenta comminiſcuntur, præter quaſdam ſcripturæ divinæ authoritates perperam explicatas, duplici alio ſe motivo tueri: nimirum tum quod hæc idonea admodum ſunt ad hominum animos permovendos, qui talium cruciatuum imagine fortius afficiuntur, tum quod eadem aut ſimilia ſæpe deſcribuntur in quorumdam revelationibus, aut Sanctorum Patrum libris. Sed neutrum, ut ego quidem arbitror, iiſdem ſuffragari jure poteſt. Nam ut concedam adhiberi aliquando poſſe hujuſmodi exempla rudioribus præſertim percellendis, ea tamen paſſim omnibus proponere, & urgere, ac ſi reapſe exiſterent, id ſane prudentis & conſiderati viri non eſſe exiſtimo. Nunquid non alia plura, eaque certa & indubitata pœnarum genera ſacri Codices proponunt, quæ maximum mortalibus terrorem ingerere poſſunt? Pone mihi ante oculos vel ſolum ignis illius tremendi ſupplicium quo torquendos reprobos certo conſtare evincam: magis ego hoc uno tormento commoveor, cæterique omnes, qui ſerio illud perpenderint, facile commovebuntur, quam ſi mille leones, aut tigres dixeris, qui miſerorum carnes rabidis morſibus depaſcantur. Pœnam illam luculenter apponas, quam perpetua infert Dei, totiuſque boni privatio, acerbiſſimos conſcientiæ remorſus, ſeram & inutilem pœnitentiam, loci anguſtias, aliaque hujuſmodi & vehementius nefarios homines deterrebis, quam ſi æneos lebetes obtrudas, tubas horriſonas, ferreas catenas, epulas amariſſimas &c. Cur igitur hæc & alia ejuſdem generis effers & exaggeras mira & incredibilia, quæ ſapientes contemnere ſolent, quibuſque nonnumquam eorum, quæ certa ſunt, fidem in diſcrimen adducis, cum tot ſupplicia ſuppetant, quibus ſalutarem incutias de divina juſtitia timorem?

IV. Ad alterum reſpondeo in primis, quoad Patres attinet, aliquos quidem eſſe, qui per hujuſmodi imagines inferni pœnas explicent, ſed longe plures ab iiſdem penitus abſtinere: nec priores eas ita proponunt, ut velint reipſa credi futuras, quemadmodum verbo tenus enunciant, verum oratorio potius more loquuntur, & ex ipſa ſermonis textura ſatis apparet, nihil aliud in animo habuiſſe, quam figuratis locutionibus ſuppliciorum inferni magnitudinem ſenſilius exponere. Quis autem neſcit in quot deliria proruere poſſit quicumque tot translatas, ſeu typicas locutiones in ſacris litteris, aut Patribus inveniens, eas in

in proprio ſenſu accipiens, ſuperſtruere velit Chriſtianæ Religionis doctrinam?

V. Quoad viſiones vero aut revelationes privatas ſpectat, præter generalem reſponſionem, quod nullæ ab Eccleſia approbatæ & receptæ ſint; dico illas, quæ majoris ſaltem ponderis, & authoritatis videntur, eo ſenſu intelligendas eſſe, quo intelliguntur plures typicæ ac figuratæ Scripturæ ſacræ expreſſiones. Sic cæleſtis Patriæ felicitas oſtenſa eſt S. Joanni in Apocalypſi ſub emblemate pulcherrimæ cujuſdem civitatis in quadro poſitæ, duodecim portis diſtinctæ, auro conſtratæ, ornatæque pretioſis lapidibus, ut ſupernæ beatitudinis gloriam quadantenus conciperet mortalis homo rebus hiſce ſenſibilibus aſſuetus. Eodem igitur pacto revelatæ fuere nonnullis inferni pœnæ ſub quibuſdam imaginibus, & figuris rerum magis ſenſilium, ut acerbitatis earumdem clariorem ideam informare animo poſſent, non ut eas ita in inferno eſſe putarent. Hinc D. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 31. relata Reparati viſione immenſæ cujuſdam pyræ ad cremandum Tiburtium in inferno conſtructæ, ſapienter monet: *Rogum vero Reparatus conſtitui vidit, non quod apud infernum ligna ardeant, ut ignis fiat, ſed narraturus hæc viventibus illa de incendio pravorum vidit, ex quibus nutriri apud viventes corporeus ignis ſolet: ut per hæc aſſueta viventes diſcerent, quid de inſuetis timere debuiſſent*. Huc etiam ſpectat Petri Cluniacenſis ſententia lib. 1. Mirac. cap. 13. de iis, quæ neſcio quis morti, ac damnationi proximus perſpexerat, videlicet de leonibus proprio capiti inhiantibus, de torrentibus ignis, atque ardenti ſartagine, de quibus hæc admonet: „ facit hoc pia miſeratio Conditoris, qui cernens corporalium rerum objecta, interiorem mentis humanæ oculum excæcatum, quædam de ſpiritualibus rebus etiam per carnem quibuſdam innoteſcere præſtat, ut ad amanda, ſive timenda inviſibilia hoc ſaltem remedio, vel admoneat, vel compellat. Quid enim aptius ad fidem fidelium inſtruendam, quam hominem in carne viventem, & hic integra mente colloqui cum hominibus, & ibi ſpiritualia cernere cum ſpiritibus? Quid ſane leones tremendi, quid flammeus torrens, quid ignita ſartago aliud, quam de veritate rerum inviſibilium nullatenus dubitare, & horrendum eſſe in manus Dei viventis incidere, male ſecuros admonebant? Neque enim credendum eſt alibi, quam in præſenti ſæculo quarumlibet ferarum genera commorari, aut ubi nulla metallorum materia eſt, ferreas ſartagines fabricari. Sed quia terror ſupplicii futuri non niſi per verba uſitata, vel per expertarum rerum imagines hominibus adhuc in carne viventibus poteſt oſtendi, placuit Deo per tales corporum ſimilitudines oſtendere, quid exutæ corporibus animæ pravis exigentibus meritis cogantur tolerare „. Quamobrem licet concedamus fas eſſe quandoque maxime apud rudiores his imaginibus uti ad explicanda inferorum tormenta, nemo tamen eas urgere debet in propria ſignificatione, aut ita proponere, ac ſi vere exiſterent, neque figuræ tantum vel emblemata forent, ad aliud quidpiam duntaxat ſignificandum aſſumpta.

VI. At enimvero alii ſunt ex adverſo, qui vel omnia, quæ ſacræ paginæ habent de futuris impiorum cruciatibus, ad tropos & allegorias contorquent, vel graviſſima illa tormenta ita emolliunt, ac extenuant, ut exiguam plane improbis hominibus formidinem injicere valeant. Atque ut cæteros modo prætermittam, quorum nomina, & opiniones ſuis infra locis opportunius referemus, prodiit nuperrime in lucem anno ſcilicet 1740. Genevæ & Lauſanæ typis liber Heterodoxi Authoris cæteroquin docti, & pluribus titulis commendandi (a), qui dum ſententiam impugnat

Q

(a) Franciſcus de Roches Eccleſiæ Genevenſis Paſtor in ſuo opere, cui titulus, *D ſenſe du Chriſtianiſme*.

gnat Anonymi cujuſdam pęnarum æternitatem negantis, & Origenianam Apocataſtaſim inducentis, novam ipſe ſententiam promovet, & aliorum ſuffragio defendere conatur, metaphorica nempe eſſe, quæcumque in ſacris litteris de inferni igne enunciantur: & quamquam non omnem pœnam ſenſibilem, qua damnati crucientur, inficiari audeat; eam tamen ita intelligi & concipi poſſe autumat, ut hoc tormenti genere præter paucos aliquos omnium ſceleſtiſſimos, nequaquam reliqui puniendi ſint, ut in loco latius exponam.

VII. Utrumque ego extremum in hac Diſſertatione declinare ſatagam de pœnarum inferni qualitate, & conditione pertractans, eaſque ſcripturarum præſertim authoritate deſcribens: ut neque, quæ metaphorice accipi poſſunt ac debent, ea in obvio, ac litterali ſenſu accipiam: neque quæ in proprio ſumenda ſunt juxta ſanioris criticæ, & interpretationis regulas, ea in tropico, aut metaphorico ſumam. Atque hæc erit hujuſce Diſſertationis œconomia. Primo loco diſſeram de pœna illa, quam *Damni* appellant in Dei privatione & a beata gloria excluſione poſita. Oſtendam deinde præter hanc admittendas eſſe in inferno pœnas alias, quæ *ſenſus* dicuntur, ſive *poſitivæ*, eaſque damnatis omnibus infligendas, quamquam non eodem modo, ſed pro meritorum cujuſque ratione. Tum vero ejuſmodi pęnas recenſebo, & illuſtrabo initium ſumens a verme conſcientiæ, de quo in ſacris libris mentio. Hinc ſermo erit de damnatorum loco, ejuſque conditione, ac circumſtantiis. Ac demum de præcipuo divinæ ultionis inſtrumento, igne videlicet, quæſtionem inſtituam, ac fuſe tractabo, omnique momentorum genere probare contendam non metaphoricum quidem, aut ſpiritualem, ſed verum materialemque futurum.

CAPUT II.

De pœna Damni *primum agitur. Ea indubie juxta ſacras litteras reprobi puniendi ſunt. Æquitas & gravitas hujuſce pœnæ. Eam cæteris quibuſcumque merito præferunt Eccleſiæ Patres. Eamdem adauget plurimum immenſæ Beatorum gloriæ conſpectus, qui damnatis aſſeritur: ſicut & carentia omnium bonorum, ac voluptatum, quas in hac vita perceperunt.*

I. De pœnarum igitur qualitate & conditione, quibus impii in altera vita puniendi ſunt, ſermonem tota hac Diſſertatione habiturus, ab ea incipio, quæ præcipua eſt, ac cæterarum omnium graviſſima merito cenſetur in privatione poſita beatificę glorię, omniumque aliorum bonorum, quæ in Patria cęleſti diligentibus ſe ſumma munificentia pręparavit benigniſſimus Deus. Deſignant hanc Hebræi per vocem *Cereth*, quę juxta Abarbanelem ſignificat *elongationem a ſplendore divinæ Majeſtatis*. Mahumedani vero eam vocant *remotionem quamdam a Deo, cujus aſpectu damnati privantur*. Frequentius a noſtris pęna *damni* appellari conſuevit, quod videlicet damnum hoc ſubeat infelix damnatus, quod ſummo bono privetur, ad quod obtinendum, poſſidendumque conditus fuerat.

II. Pœna hac malos eſſe mulctandos res adeo clara eſt in divinis ſcripturis, ut ſupervacaneum videatur rem maniſeſtiſſimam productis teſtimoniis comprobare. Non omnia tamen præteribimus. Matthæi cap. 25. legimus: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*. Lucæ 13. *diſcedite a me omnes operarii iniquitatis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cum videritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei: vos autem expelli foras*. Joannis cap. 3.: *qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illum*. Et in Apocalypſi cap. 22.: *foris canes* (a Civitate Dei) *& venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat & facit mendacium*. Prima ad Corint. cap. 6.: *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite erra-*

errare: *neque fornicarii*, *neque idolis ſervientes*, *neque adulteri*, *neque molles*, *neque maſculorum concubitores*, *neque fures*, *neque avari*, *neque ebrioſi*, *neque maledici*, *neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt*.

III. Eamdem pęnam pulcherrime expreſſit Chriſtus Dominus *Matth.cap.*8., & *cap.* 22. propoſita felicitate cæleſti ſub allegoria magnifici cujuſdam convivii, in quo Electi recumbunt, ejuſque ſuaviſſimis Epulis perfruuntur: reprobi vero ab eo ejiciuntur *in tenebras exteriores*, ubi *erit fletus*, *& ſtridor dentium*. Cum enim convivium noctu plerumque celebraretur ingenti tædarum copia, qui ex Triclinio ejecti erant, in tenebris verſabantur, plorantes, & prę ira, & indignatione dentibus infrendentes. Deſignat itaque Chriſtus in hac ſimilitudine cum felicitatem eorum, qui ad cæleſte convivium, ſeu ad beatam gloriam admittuntur: tum extremam aliorum miſeriam, qui ex eo penitus excluduntur: qui idcirco *in tenebras exteriores* mitti perhibentur, quia *extra participationem veræ lucis erunt*, ut adnotat S. Thomas (*a*) ex doctrina SS. Hieronymi, & Auguſtini (*b*).

IV. Pęnæ hujuſce, qua punitur peccator, æquitatem & magnitudinem luculenter declarat pluribus in locis Præceptor idem Angelicus S. Thomas. *Lib.* 3. *cont. Gentes*, *cap.* 144. hanc inter cæteras rationem proponit inquiens. " Naturalis æquitas hoc habere videtur, quod unuſquiſque privetur bono, contra quod agit: ex hoc enim reddit ſe tali bono indignum. Et inde eſt quod ſecundum civilem juſtitiam, qui contra Rempublicam peccat, ſocietate Reipublicæ privatur omnino vel per mortem, vel per exilium perpetuum: nec attenditur, quanta fuerit mora temporis in peccando, ſed quid ſit contra quod peccavit. Eadem autem eſt comparatio totius vitæ præſentis ad Rempublicam terrenam, & totius æternitatis ad ſocietatem beatorum, qui ultimo fine æternaliter potiuntur. Qui ergo contra ultimum finem peccat, & contra charitatem, per quam eſt ſocietas Beatorum, & tendentium in beatitudinem, in æternum debet puniri. „ Quam pęnam ibidem cap. 141. vocat omnium *maximam*, quod *privatio ſit maximi boni*, ſive felicitatis, *quæ eſt ultimus finis hominis*.

V. Clarius exponit pœnæ ejuſdem magnitudinem *opuſc.* 2. *cap.* 174. his verbis: " quia miſeria, ad quam ducit malitia, contrariatur felicitati, ad quam ducit virtus, oportet ea, quæ ad miſeriam pertinent, ſumere per oppoſitum eorum, quæ de felicitate dicuntur. Ultima autem hominis felicitas, quantum ad intellectum quidem conſiſtit in plena Dei viſione: quantum ad affectum vero in hoc, quod voluntas hominis in prima bonitate ſit immobiliter firmata. Erit igitur extrema miſeria hominis in hoc, quod intellectus totaliter divino lumine privetur, & affectus a Dei bonitate obſtinate avertatur. Et hæc eſt præcipua miſeria damnatorum, quæ vocatur pœna *damni* „. Et eodem opuſ. cap. 3. comparans cum hac pęnam ignis, quę omnium terribilior videtur, docet: *carentia divinæ viſionis & ſeparatio a Deo major eſt pœna etiam exiſtentibus in inferno*, *quam ignis ſupplicium*.

VI. Eadem eſt aliorum Eccleſiæ Patrum ſententia de pęnæ hujus magnitudine, quam modo vix, ac ne vix quidem intelligunt terrenis affectibus nimium implicati, ac pęne obcæcati mortales. S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 112. *perire*, ait, *a regno Dei*, *exulare a Civitate Dei*, *carere tam magna multitudine dulcedinis Dei*, *quam abſcondit timentibus*

(a) lib. 4. diſt. 20. art. 2. ad Annib.

(b) D. Hieronymus Comment. in cap. 8. Matth., *tenebræ ſemper interiores ſunt*, *non exteriores*. *Sed quoniam qui a Domino foras expellitur*, *lumen relinquit*, *idcirco exteriores tenebræ nominatæ ſunt*. S. Auguſt. in Pſal. 6.: *tenebræ exteriores ſunt eſſe penitus extra Deum*. Et Epiſt. 120. *huic pœnæ contrarium eſt*, *quod de bono ſervo dicitur*; *intra in gaudium Domini tui*, *ut quanto ſunt iſtæ tenebræ exteriores*, *tanto ſit lumen illud interius*.

tibus ſe, perfecit autem ſperantibus in ſe, tam grandis eſt pœna, ut nulla ei poſſint tormenta, quæ novimus, comparari. S. Bernardus in Epiſtol. ad Theſ. *ego multo durius tormentum eſſe aſſero, quam Gehenna eſt, non aſſecutum eſſe tantam gloriam, & illinc delapſum eſſe: & opinor non tanto dolore lugendum de malo Gehennæ, quam caſum deplorare, quod cælo excidimus, qui eſt cruciatus omnium graviſſimus.* Paria tradunt S. Baſilius, S. Bruno, aliique.

VII. At præ cæteris hujuſmodi pęnæ acerbitatem pluribus in locis exaggerat S. Joannes Chryſoſtomus, eamque omnibus longe præfert, velut omnium graviſſimam. Ad Theodorum lapſum hæc habet: *a tantis excidiſſe bonis* (regni ſcilicet cæleſtis) *tantum infert doloris, afflictionis, anguſtiæ, ut etiamſi nullum aliud eſſet ſupplicium peccatoribus deſtinatum, illud ſolum poſſet graviorem aliis Gehennæ cruciatibus inferre pœnam, animique perturbationem.* Homil. 47. ad popul. Antioch. *multi*, inquit, *inferni ignem timent: ſed ego maxime amaram dico amiſſionem gloriæ. Nam qui non novimus magnitudinem cæleſtis boni, non poſſumus intelligere, quantum ſit malum illo privari.* Idem fortius urget homil. 23. in Matth. dicens: *novi quia plurimi pertimeſcunt Gehennam. Ego tamen illius gloriæ amiſſionem multo amarius dico eſſe, quam ipſius Gehennæ ſupplicium.* Et infra: *intolerabilis quidem res eſt Gehenna, quis neſciat? & ſupplicium illud horribile. Tamen, ſi mille aliquis ponat Gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt a beatæ illius gloriæ honore repelli.* Cauſſam vero demum aperit Homil. 49. in eundum Matth. cur homines talem pęnam omnibus terribiliorem parvipendant: quia nempe, quamdiu ſumus in hoc mundo, imperfecte cognoſcimus felicitatis objectum, ejuſque magnitudinem ignoramus. In hoc quippe mortali corpore tamquam in tenebroſo quodam carcere incluſis, vix tenuis ſublucet nobis radius immenſæ illius gloriæ, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.

VII. Facit ad augmentum hujus pęnæ id, quod non ſemel memorant ſacræ litteræ, damnatos nempe aliquatenus viſuros ſummam Beatorum gloriam, ex qua vehementius cruciabuntur, eo modo, quo a longe conſiſtentes dum alios vident in magna lætitia converſari, ſe ipſos vero procul ejectos in carcere, extremam inde triſtitiam, & indignationem concipiunt, unde amplius torquentur. Delineavit hoc Chriſtus Dominus in parabola Divitis, & Lazari. Cum enim Dives in damnatorum loco eſſet, ibique flammis cruciaretur, deſcribitur oculos elevaſſe, oculos videlicet non corporis, ſed mentis, & vidiſſe Lazari animam in Abrahæ ſinu tamquam in loco ſummæ pacis, & conſolationis requieſcentem. *Ex hac enim parabola*, ut animadvertit Euthymius in Lucæ cap. 16. *diſcimus, quod in futuro ſæculo peccatores vident juſtos, & juſti peccatores*: Quod & S. Gregorius Magnus obſervavit lib. 4. Dialog. cap. 33. inquiens: *boni malos, & mali cognoſcunt bonos. Nam Dives ab Abraham cognoſcitur, & Lazarus a reprobo eſt Divite cognitus.* Quis porro non intelligat quam magnopere hinc augeatur reproborum pęna, quam acerrime hujuſmodi aſpectu miſeri divexentur, & contabeſcant?

IX. Graphice admodum hunc cruciatum expoſuit, pęneque oculis ſubjecit Sacer Author libri Sapientiæ cap. 5. ita de juſtis, & impiis diſſerens: *tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes* (impii) *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis*, ideſt propter inopinatam ſalutem, & admirabilem juſtorum gloriam circumquaque coruſcantem, *dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.*

X. Nemo non videt his verbis reprę-

ſen-

ſentari a Sacro Scriptore ea præſertim, quæ eventura aliquando ſunt in finali Dei judicio, in quo reprobi, qui a ſiniſtris erunt, intuebuntur juſtos aſſidentes a dextris Chriſti Judicis, eorumque immenſam felicitatem & gloriam, qua æternum perfruentur: ex qua viſione incredibili angore, & turbatione commovebuntur, ſummaque afficientur triſtitia, cogitantes quibus bonis exciderint, qua gloria, & felicitate dejecti ſint. Hæc vero pœna finem eo die habitura non eſt, ſed per omnem ęternitatem duratura, quemadmodum egregie declarat S. Thomas in ſupplem. q. 98. ar. 9. ubi hanc quæſtionem excitat, *num damnati gloriam Beatorum videant?* Cui reſpondet in hæc verba: „ damnati ante „ diem Judicii videbunt Beatos in glo- „ ria, non hoc modo, quod gloriam eo- „ rum, qualis ſit cognoſcant: ſed ſo- „ lum cognoſcent eos eſſe in gloria qua- „ dam inextimabili: & ex hoc turba- „ buntur, tum propter invidiam dolen- „ tes de felicitate eorum, tum propter „ hoc, quod ipſi talem gloriam amiſe- „ runt. Unde dicitur Sap. 5. de impiis: „ *videntes turbabuntur timore horribili*. „ Sed poſt diem Judicii omnino Beato- „ rum viſione privabuntur: nec tamen „ ex hoc eorum pœna minuetur, ſed „ augebitur: quia memoriam habebunt „ gloriæ Beatorum, quam in Judicio „ viderunt, vel ante Judicium. Et hoc „ erit eis in tormentum. Sed ulterius „ affligentur in hoc, quod videbunt ſe in- „ dignos reputari etiam videre gloriam, „ quam Sancti merentur habere. „

XI. Denique ad ejuſdem pœnę cumulum accedit carentia objectorum omnium, quę impiis hominibus in hac mortali vita oblectationem & voluptatem afferre ſolent, & in quibus tamquam ſummo bono quietem animi, ac beatitudinem exquiſierunt. Etenim, dum iis objectis penitus deſtituuntur abſque ulla eadem obtinendi ſpe, eorumque ingens, quo tenentur, deſiderium ſuo ſemper fruſtratur effectu, vix concipi poteſt, quanto mœrore conficiantur, quantis cupiditatum fluctibus exagitentur. Non incommode hoc per ſitim illam exprimitur, quam Dives in Inferno conſtitutus experiebatur. Dum enim memoria præteritarum voluptatum recurreret animo, non poterat non vehementer accendi ipſius appetitus, qui irrito ſemper conatu in eadem tendens, incredibilem oportuit excitaret angorem, atque triſtitiam. Hinc ſapiens illud Sancti Auguſtini effatum; divina juſtitia fieri, *ut quæ fuerant delectamenta homini peccanti, ſint inſtrumenta Domino punienti*.

CAPUT III.

Præter pœnam damni, *etiam admittendæ ſunt pœnæ* ſenſus, *quibus reprobi affligantur. Eas quibuslibet hujus vitæ ſuppliciis longe acerbiores eſſe & ſacræ litteræ tradunt, & Eccleſiæ Patres teſtantur. His tamen non æque omnes plectendi ſunt, ſed pro meritorum ratione. Singularis opinio Anonymi cujuſdam Berolinenſis, & Franciſci de Roches Genevenſis, qui putant quoſdam tantum inſigniter impios hujuſmodi pœnis ſubjiciendos. Ea pluribus refellitur: quæque illi proferunt in ejus præſidium, nullatenus eidem ſuffragari demonſtratur.*

I. NOn ſola pœna *damni*, ſive æternæ gloriæ, bonorumque omnium privatione impios eſſe puniendos, verum etiam pœna, quam *ſenſus* appellant, ſive poſitivis afflictationibus, & ſuppliciis, res eſt in divinis Scripturis utriuſque fœderis exploratiſſima. Sæpe namque eæ memorant, tum vermem immortalem, tum ignem inextinguibilem, tenebras æternas, carcerem horrendum, aliaque hujuſmodi peccatoribus in futuro ſæculo deputata, quæ procul dubio, quovis modo explicentur, ideam omnibus ingerunt poſitivi cujuſdam tormenti miſeris damnatis infligendi. Qua de re ii etiam ſcriptores ultro conſentiunt, qui in ejuſmodi locutionibus tropicum ſenſum latere exiſtimant,

mant, ignemque ipſum metaphorice accipiunt.

II. Pluribus rationibus, iiſque valde congruentibus pœnæ hujus æquitatem declarat Doctor Angelicus S. Thomas lib. 3. cont. Gentes cap. 145., ex quibus primam tantum affero, quæ eſt hujuſmodi: *Pœna*, inquit, *debet proportionaliter culpæ reſpondere. In culpa autem non ſolum avertitur mens ab ultimo fine, ſed etiam indebite convertitur in alia, quaſi in fines. Non ſolum ergo puniendus eſt, qui peccat per hoc, quod excludatur a fine, ſed etiam per hoc, quod ex aliis rebus ſentiat nocumentum.* Quę ratio ſic exponitur: duo ſunt in peccato ſecundum affectum, & voluntatem peccantis, averſio nempe, & converſio. Averſio quidem, quatenus voluntas quæ Deo deberet tamquam ultimo fini adhærere, ſemet potius ab ipſo ſubtrahit, ac recedit, dum ſe, ſuaque omnia in Deum non refert velut ultimum finem, ipſum prę cæteris omnibus diligendo. Converſio vero, quatenus inordinata voluntas amorem ſuum a Creatore convertit, ac figit in creatura, eamque reſpicit ut finem ultimum, ſeque, & ſua omnia in ipſam ordinat. Averſioni itaque convenientiſſime ea pœna reſpondet, quę in carentia divinæ fruitionis poſita eſt, ut ſcilicet, quemadmodum Deum quis peccando dereliquit, ita a Deo derelinquatur, ne particeps ſit divinæ beatitudinis. Converſioni vero maxime congruit nocumentum ex creaturis perceptum, ut ſicut in creaturis plus debito quiſpiam delectatus eſt, ita ex iiſdem nocumentum recipiat, ac triſtitiam.

III. Pœnas has poſitivas acerbiſſimas fore, multoque graviores his, quibus in hac mortali vita affligimur, aut miſerrimi quique affligi poſſunt, ex iiſdem ſacris litteris certo colligimus. Eas ſiquidem, earumque locum his coloribus pingunt, his nominibus, phraſibuſque repræſentant, quæ maximum inter omnes cruciatum portendunt. S. Joan. in Apocalyp. cap. 14. 19. Damnatorum locum appellat *lacum iræ Dei magnum*, hoc eſt abyſſum plenum omni confuſione, horrore, tormento, dolore, adeo ut *lacus magnus* dicatur, quaſi magna Dei ira repletus: ea inquam ira quam perpendens olim Propheta Regius exclamabat: *quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare?* Lucæ quoque cap. 16. vocatur infernus antonomaſtice *locus tormentorum*, ſive in quo omnia inveniuntur tormentorum genera, aut melius dixerim, tormentorum omnium veluti virtus, & efficacia. Paulus etiam ad Hebræos clamat, *horrendum eſſe incidere in manus Dei viventis*. Et ut alia loca prætercam, pœna ipſa ignis, de qua tam frequens mentio in ſacris libris, tormentorum, quibus impii obnoxii erunt, ſummam declarat acerbitatem, conſentientibus omnibus, iiſque etiam, qui vocem ignis metaphorice ſumendam putant: eo quippe vocabulo deſignari ajunt acerrimos cruciatus, & exquiſitiſſimos dolores a damnatis perferendos, quorum ſpecies exacte definiri nequeunt: ideoque ignis nomine appellatos, quod nihil igne ſenſilius ſit, quodque acutiorem dolorem ciat, quem natura hominis maxime refugit (a).

IV. Eadem quoque eſt Sanctorum Patrum, ac Theologorum ſententia, qui unanimi conſenſu inferni ſupplicia longe atrociora eſſe quibuſvis hujuſce vitæ tormentis affirmant, ac ne cum ipſis quidem conferenda. S. Hieronymus in cap. 2. Joelis ait: *omnia mala, quæ veteribus hiſtoriis continentur, aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut peſtilentia, morbis, fame, beſtiis, hoſtium vaſtitate hominibus acciderunt, his ſuppliciis non poterunt comparari*. S. Auguſtinus ſerm. 109. de temp.: *quæ quiſque gravia patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis non parva ſunt, ſed nulla ſunt*. S. Jo. Chryſoſtomus homil. 49. ad Pop. Antioch. *pone ferrum, ignem & beſtias, & ſi quid his difficilius: attamen nec umbra ſunt ad illa tormenta*. S. Thomas Aquinas in 4. Diſt. 50. qu. 2. art. 1. quæſt. 4.: *ſicut propter perfectam Sanctorum beatitudinem nihil erit in eis, quod non ſit gaudii materia; ita nihil erit in Damnatis, quod non ſit eis materia, & cauſa triſti-*

(a) vide Vitringam in cap. 66. Isaiæ.

ſtitiæ: *nec aliquid, quod ad triſtitiam pertinere poſſit, deerit, ut ſit eorum miſeria conſummata*. Cæteros mitto.

V. Idem pariter eſt nationum omnium, aut fere omnium ſenſus. Quamquam enim plurimum inter ſe diſſideant in ſuppliciorum qualitate definienda; in eo nihilominus conveniunt, acerrimas, & graviſſimas futuras impiorum pœnas in altera vita, adeo ut hęc perſuaſio cum ipſa idea naturali de punitione malorum profecta videatur. Hinc Judæi Gehennam deſcribunt, *locum judicii juſti, in quo peccatores pœnas luent, quibus nullæ in hoc mundo ſimiles ſunt.* Mahumedani quoque, Gothi, Sinenſes, Japponienſes, cæterique ferme Orientales, ut ſupra vidimus, infernum horrende admodum depingunt. Atque ipſi etiam Poetæ tum Græci, tum Latini nefarios detrudunt in horribile barathrum, ubi modis innumeris excrucientur. Nec ſine horrore legi poſſunt, quę de futuris impiorum cruciatibus referunt Plato, & Plutarchus locis jam ſuperiore Diſſertatione allegatis.

VI. Licet autem tam horribilia ſint Damnatorum tormenta, illud extra cujuſvis dubitationis aleam poſitum eſſe debet, non æqualiter omnes puniendos eſſe, ſed magnam inter ipſos futuram ſuppliciorum diverſitatem. Cum enim non eadem ſit in omnibus meritorum conditio, & quidam plura, quam alii, gravioraque peccata commiſerint, quemadmodum & longe major nonnullis auxiliorum, donorumque gratiæ copia collata fuit, quibus æterna ſupplicia vitare facile potuiſſent; æquitas ſane ipſa, immo juſtitiæ ratio poſtulat, ut magna quoque in punitione conſtituatur diverſitas, ut pœnam inter atque delictum proportio intercedat. Idem vero & ipſæ ſacræ litteræ crebro teſtantur. Incolarum enim urbium Sodomę & Gomorrhæ, itemque Tyri, & Sidonis tolerabiliorem fore in die judicii conditionem, quam illorum, qui rejecta limpidiſſima Evangelii luce, in tenebris, & tenebrarum operibus vivere maluerunt, Servator ipſe diſerte pronuntiat Matth. cap. 10. Si quorumdam conditio tolerabilior futura eſt, quam aliorum, certos pœnarum gradus admittamus, oportet. Pari ratione & ſervum illum, qui cum Domini ſui voluntatem perſpectam haberet, ei tamen morem gerere detrectavit, pluribus plagis vapulatum iri Chriſtus edicit. Sapientiæ itidem cap. 4. legimus: *potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus, ſive iniquioribus fortior inſtat cruciatio.* Et clarius in Apocalyp. cap. 18., de muliere meretrice dicitur: *quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Atque hoc eſt, quod Scriptura Sacra tam diligenter inculcat, *Deum* nempe *unicuique redditurum ſecundum opera ſua:* quod profecto niſi proportione quadam inter pœnam, & culpam obſervata fieri nequit.

VII. His conſona eſt Patrum omnium ſæculorum doctrina: ex quibus duos, vel tres duntaxat produco. Origenes homil. 8. in Num. ita loquitur: *Si peccator ſum, nunquid eadem mihi erit pœna, ſi ſemel peccavi, quæ & ſi ſecundo, & tertio, & ſi frequentius peccemus? Non ita erit: ſed pro modo, numero, & menſura peccati, etiam pœnæ quantitas metienda eſt. Deus enim dabit nobis panem lacrymarum, & potabit nos lacrymis, ſed in menſura, menſura autem hæc erit, quam ſibi quiſque vel minus, vel amplius peccando quæſierit*. S. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſ. cap. 19.: *nec dubitandum eſt quidem pœnas ipſas, quibus cruciabuntur* (Damnati) *pro diverſitate criminum diverſas eſſe, & alias aliis acriores ut in ipſo igne æterno pro diſparibus ponderibus peccatorum, ſint diſparia tormenta pœnarum.* S. Gregorius Magnus lib. 4. Dial. cap. 43. *ſicut ſub uno ſole multi conſiſtunt, nec tamen ejuſdem ſolis ardorem æqualiter ſentiunt: quia alius plus æſtuat, atque alius minus; ita illi in uno igne non unus eſt modus incendii: quia quod hic diverſitas corporum, illic hoc agit diverſitas peccatorum.*

VIII. His accedit decretum in Concilio Florentino ab Ecclesia univerſa

tum

tum Græca, tum Latina concordi animorum fœdere latum: nimirum, *omnes, qui in peccato mortali ex hac vita decedunt, in infernum ſtatim deſcendere pœnis diſparibus puniendos*.

IX. Cæterum, tametſi pœnarum hanc pro meritis cujuſque inæqualitatem admittere neceſſe ſit; illud tamen omnino credere opus eſt, firmiterque tenere, quemlibet hominem, qui ob peccata a ſe commiſſa ad inferos damnatus fuerit, utraque pœna, privativa videlicet, ſive *damni*, & poſitiva, ſive *ſenſus* cruciatum iri. Oppoſitam ſententiam veluti ſatis veroſimilem inſinuare veritus non eſt ſupra laudatus Franciſcus de Roches (*a*) ſecutus Theologum quemdam Berolinenſem, cujus opera extant in Biblioth. Germanica. Fatetur Author iſte ſæpe in ſacro eloquio mentionem fieri de utraque pœna, privativa, & poſitiva, ſive, ut ipſe vocat, afflictiva: neque alterutram negari poſſe in inferno citra errorem in fide. At vero putat priorem quidem reprobis omnibus futuram eſſe communem: non ita poſteriorem, qua ſolum plectendos exiſtimat eos, quos monſtra impietatis, crudelitatis, & injuſtitiæ appellat, ſive qui totam ferme vitam impie, crudeliter, & injuſte citra moderationem ullam tranſegerunt: quibus poſtea adnectit illos, qui gratiam ſibi a Deo peramanter oblatam Chriſtum Redemptorem agnoſcendi pervicaciter rejecere, ejuſque diſcipulos perſecuti ſunt, vel leges ab ipſo conſtitutas, quas clare noverant, & ſequi ſe tamquam divinas profitebantur, per ſummam imprudentiam violarunt (*b*). Quod, ne proprio duntaxat arbitratu dixiſſe videatur, confirmare nititur tum teſtimoniis, quæ habentur Matth. cap. 22. com. 13., & cap. 25. com. 12., & 30., ubi Chriſtus Dominus ſolam pœnam excluſionis ab æterna beatitudine memorat, dum fatuis Virginibus divinum ſponſum dicturum teſtatur: *neſcio vos*, & carentem veſte nuptiali, ſervumque inutilem *in tenebras exteriores* ejiciendos prænunciat: tum authoritate Apoſtoli Pauli ad Roman. cap. 2. ajentis: *quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt, & quicumque in legem peccaverunt, per legem judicabuntur*: ex quo, inquit, ſequitur, qui in Evangelium ſibi cognitum ac perſpectum peccaverint, pœnis ab ipſo Evangelio denunciatis obnoxios futuros. At quoniam haud ſatis clarum ſibi viſum eſt hocce teſtimonium, roborare illud ſtudet *verbis*, ut inquit, *clarioribus*, quæ leguntur cap. 10. epiſt. ad Hebræos a com. 28. *irritam quis faciens legem Moyſis, ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverint, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Atque ille quidem eo conſilio hæc proponit, ut fidem de pœnarum æternitate facilius, feliciuſque propugnet adverſum nefarios impetus Anonymi cujuſdam ſcriptoris, qui illam machinis omnibus nuper aggreſſus eſt. Sed plane illud in Rocheſium regeri poſſe mihi videtur,

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis indiget ſacratiſſimum hoc Chriſtianæ Religionis dogma, cum melioribus armis, atque tutioribus a perditorum hominum inſultibus & conatibus defendi valeat, ut alibi Deo favente, conſtabit: immo cauſſam æternitatis pœnarum, quantum quidem arbitror, prodit ipſe po-

(a) Defenſe du Chriſtianiſme epiſt 37., & 38. Tom. 2. pag. 330.

(b) Le Theologien, que je viens de citer va plus loin encore. Il inſinue que ces *peines afflictives* pourront bien n'être le partage, que des plus coupables d'entre les Hommes; de ces monſtres d'impieté, de cruauté, & d'injuſtice, dont les debordemens font horreur à tous ceux, en qui il reſte quelque ſentiment de vertu &c. Et pag. 339. je ajouterai, *Monſieur*, que peut-être la menace *des peines eternelles afflictives* ne regarde (les plus ſcelerats du reſte des Hommes toujours exceptez) que ceux qui ajant eu les moyens de connoître Jeſus Chriſt, l'eurent fierement rejetté, & perſecuté dans ſes diſciples, ou ſe ſeront obſtinez à violer ſes loix les plus claires, & les plus juſtes, malgré la profeſſion, qu'ils faiſojent de les reconnoître pour divines. Cette conduite renferme une ingratitude ſi noire, une malice ſi deſeſperée, une fureur ſi impie &c.

potius, quam juvet. Quam enim rationem habeat Adverſarius ſtraminei hujus propugnaculi, quod jam videat cæterorum omnium judicio & authoritate convelli?

X. Hujuſce igitur Authoris limitatio vel eo ſolo titulo meritiſſime repudianda foret, quod in Eccleſia Chriſti inaudita plane ſit, omnibuſque Eccleſię Patribus, ac Theologis incognita. Nam quamvis de pœna eorum, qui primigenia tantum culpa infecti moriuntur, non eadem fuerit, neque ſit Theologorum ſententia, communiorque eos ſoli *damni* pœnæ ſubjiciat; nemo tamen unus idem aſſeruit de cæteris, qui propriis pravis noxis contaminati ad inferos deſcenderunt. Et certe ſi ſacras litteras conſulamus, nullum in eis fundamentum invenimus, impios aliquos, aut peccatores, qui ſine pœnitentia ex hac vita decedunt, eximendi ab illis ſuppliciis, quæ omnibus, qui legem Dei tranſgreſſi fuerint, ſæpiſſime, nullo facto diſcrimine, comminantur. Nam quod attinet textus a Paſtore Geneveníi productos, adeo inepti ſunt ad ejus opinionem adſtruendam, ut mirum ſit a Scriptore alias non indocto potuiſſe proferri. Quid enim refert Chriſtum Dominum uno vel altero loco de excluſione a gloria cæleſti duntaxat mentionem feciſſe? Num per hoc alias pœnas excludit, quas ſexcentis in locis diſertiſſime commemoravit ob peccata etiam, quæ leviora videntur? Nonne Matth. cap. 5. denunciat: *qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit Gehennæ ignis?* Quid levius in ſpeciem hoc contumelioſo verbo? Nonne eodem capite propter aſpectum impudicum projiciendos decernit homines in Gehennam? Nonne ibidem cap. 3. teſtatur *omnem arborem non facientem fructum bonum excidendam, & in ignem mittendam?* Qui hujuſmodi a Supremo Judice Chriſto ad pęnam æterni ignis damnantur, oppido non ſunt *monſtra illa impietatis, crudelitatis, & injuſtitiæ*, quæ ſolum ad talem pęnam damnanda opinatur Modernus Author. Quid plura? Nonne exerte dicitur in Apocalypſi cap. 20. *qui non inventus eſt in libro vitæ, miſſus in ſtagnum ignis?* Igitur non mortalium ſolum perditiſſimi, aut qui Evangelii gratiam ſibi oblatam pervicaciter rejecerunt, aut Chriſti diſcipulos inſectati ſunt, aut leges ab eodem Chriſto conſtabilitas per ſummam impudentiam, contemtumque violarunt, ſed omnes penitus, qui in libro vitæ conſcripti non ſunt, ſive in lethali aliquo crimine præventi morte fuere, nedum ab æternæ vitæ poſſeſſione arcendi erunt, ſed etiam in ſtagnum ignis mittendi, ut eo procul dubio crucientur.

XI. Verum enim vero in iiſdem ipſis locis a nupero Scriptore objectis, ſatis perſpicua proſtant ad ipſum revincendum documenta. Poſtquam enim divinus Magiſter dixerat, non habentem veſtem nuptialem, & ſervum inutilem ejiciendos in tenebras exteriores, e veſtigio ſubjecit: *ibi erit fletus, & ſtridor dentium*, his verbis inſinuans ea tormenta, unde effectus hujuſmodi in miſeros damnatos derivantur: præſertim cum eodem cap. 25. Matth. poſt ſermonem de pœna ſervo inutili infligenda, ſtatim enarret, quid dicturus ipſe ſit in extremi Judicii die iis omnibus, qui a ſiniſtris ejus erunt, nimirum: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*. Vel ſolus iſte Scripturæ locus abunde ſufficere deberet ad rem conficiendam, novæque ſententiæ limitationem pleniſſime refellendam, ſi & hæc eadem verba, & quæ ſequuntur diligentius conſiderentur. In illa namque ſententia utraque pœna & *damni*, & *ſenſus* clariſſime exprimitur. *Damni* quidem cum dicitur: *diſcedite a me maledicti*: *ſenſus* vero cum additur *in ignem æternum*. Porro terribilis hujus ſententiæ, quam Chriſtus in reprobos laturus eſt, cauſſa profertur ab eodem Supremo Judice his verbis: *eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me*. Qui hæc miſericordiæ opera non præſtitere, profecto non ſunt *impietatis monſtra*, aut homines inſigniter impii, qui totam vitam ſuam in horrendis ſceleribus traduxerint:

& tamen eos Chriſtus Dominus æterno igni adjudicandos prædicit. Nonne igitur inferre opus eſt multo magis in eumdem ignem detrudendos eſſe raptores, fornicarios, adulteros, blaſphemos, infideles, cæteroſque, qui legem divinam tranſgreſſi ſine pęnitentia deceſſerunt? *Quanta damnatione*, inquit appoſite S. Gregorius Magnus (*a*), *plectendi ſunt, qui rapiunt aliena, ſi tanta animadverſione feriuntur, qui ſua indiſcrete tenuerunt?* Et S. Baſilius (*b*) expendens maledictionem, qua Chriſtus ſterilem ficum perculit, *multa*, inquit, *ſimilia invenire eſt, ex quibus demonſtratur, quod non ſolum ii, qui mala faciunt, digni ſunt morte, quibus inextinguibilis ignis paratus eſt: ſed cum eis condemnantur etiam illi, qui a bonis operibus vacant.* Nec ſine ſpeciali, ut quidem arbitror, divino conſilio Salvator noſter tum cap. laudato Matth. tum aliis in locis ſæpe meminit pęnæ, quæ pro bonorum operum omiſſionibus irroganda eſt, ut quiſque ſcilicet intelligeret ea ipſa, quæ apud homines minora videntur peccata, coram divina juſtitia æternis ſuppliciis digna reputari.

XII. Nihil igitur Genevenſi Miniſtro ſuffragantur laudata ex Evangelio verba. Sed neque ex verbis Apoſtoli Pauli quidpiam extundere poteſt, quod ſibi faveat. In priore ſiquidem loco ex cap. 2. Epiſt. ad Rom. aliud non ediſſerit niſi majorem futuram punitionem Judæorum, qui in legem peccaverint, cujus clara notitia illuſtrati erant, quam Gentilium, qui lege ſcripta carentes ſolo rationis lumine quid agendum ſibi foret, quidve fugiendum, cognoſcere poterant. Ita præter alios exponit mentem Apoſtoli S. Joan. Chryſoſtomus (*c*) inquiens: *hic non ſolum æquo eſſe honore Judæum, & Græcum oſtendit, ſed multum gravatum ex legis acceptione Judæum. Græcus enim ſine lege quidem judicatur. Sine lege vero judicari hic intelligit non gravius, ſed mitius, & levius judicari, hoc eſt non habere legem accuſantem. Nihil enim eſt aliud ſine lege, quam præter eam, quæ ex lege eſt, condemnationem ex ſolis naturæ rationibus judicari. Judæus vero per legem damnatur, hoc eſt præterquam quod ex naturæ rationibus judicatur, etiam ex legis judicio condemnatur. Quanto ſiquidem majore imbutus eſt ſcientia, tanto majorem dabit peccati pœnam.* Idemque eſt ſenſus alterius loci ex Epiſt. ad Hebræos, ut ex ipſis verbis liquidiſſime conſtat: illud enim ſolum affirmat Apoſtolus *deteriora mereri ſupplicia*, ſive gravius Judæis ipſis eſſe puniendos eos omnes, qui beneficiis & gratiis peculiaribus ſibi a Chriſto liberalius erogatis, abuſi fuerint: quod ultro fatemur, & jam ab omnibus tenendum eſſe docuimus.

CAPUT IV.

De Verme diſſeritur, quem inter damnatorum ſupplicia divinæ Scripturæ memorant. Nonnulli verum quoddam animal futurum putant: Communior ac probabilior eſt Patres inter, Theologoſque ſententia, quæ eo nomine conſcientiæ angorem deſignatum decernit. Animadverſiones aliquæ in ejuſdem confirmationem. Proferuntur cauſſæ, unde in damnatis oritur hujuſmodi conſcientiæ cruciatus.

I. INter pęnas poſitivas, quibus infelices damnati affligendi ſunt, celebris ea eſt, quæ in ſacris litteris nomine *Vermis* exprimitur. De hac tribus in locis Vet. Teſtamenti mentio fit, nempe Judith cap. 16. ubi legitur: *dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum.* Eccleſiaſtici cap. 7.: *Vindicta carnis impii ignis, & vermis.* Ac demum Iſajæ cap. 66. *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: quæ verba ſecundum litteram de damnatorum pęna eſſe intelligenda, infra notum fiet. In Novo autem Fœdere a S. Marco dumtaxat memoratur cap. 9.: *bonum eſt tibi* de-

(a) Par. 3. Paſtor. cap. 21. (b) Homil. 2. (c) in Comment. hujus epiſt.

debilem introire in vitam, quam duos pedes habentem mitti in Gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur: quod ſecundo ac tertio ibidem repetit.

II. Quo pacto explicanda ſit hujuſmodi pęna, an videlicet *Vermis* vocabulum in obvio ſenſu ſumi debeat de animali quodam mordente, ac torquente: an vero in ſenſu metaphorico de conſcientiæ remorſu, non eadem eſt Sanctorum Patrum ac Theologorum opinio. Plurium ævo ſuo diſſidentes ſententias refert S. Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 22. inquiens: *in pœnis malorum & ignis inextinguibilis, & vivaciſſimus vermis ab aliis, atque aliis aliter, atque aliter eſt expoſitus. Alii quippe utrumque ad corpus: alii utrumque ad animam retulerunt: alii proprie ad corpus ignem, vermem vero tropice ad animam: quod credibilius eſſe videtur*. Et lib. 21. cap. 9. producta ſententia aliquorum, qui tum ignem, tum vermem ad animæ pœnas referebant, adeoque metaphorice explicabant, ſubdit, *qui vero pœnas & animæ, & corporis in illo ſupplicio futuras eſſe non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod etſi credibilius dicitur: quia utique abſurdum eſt ibi dolorem aut corporis, aut animæ defuturum; ego tamen facilius exiſtimo, ut ad corpus dicam utrumque pertinere, quam neutrum: & ideo tacitum in illis divinæ ſcripturæ verbis animi dolorem, quoniam conſequens eſſe intelligitur, etiamſi non dicatur, ut corpore ſic dolente, animus quoque ſterili pœnitentia crucietur... Eligat quiſque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem: hoc proprie, illud tropice: aut utrumque proprie corpori*. Ex quibus liquet diverſa fuiſſe opinantium placita circa maxime ſenſum illius vocis *vermis* tempore Sancti Auguſtini: Ipſe autem, licet permittat cuicumque de *verme* credere, quod libuerit, propendet in ſenſum metaphoricum, quem *credibiliorem* putat. Nec obſtant verba illa, *facilius exiſtimo* &c. Nam, ut inquit S. Thomas in ſupplem. q. 97. art. 2. ad 2., *ibi Auguſtinus loquitur ſub quadam comparatione. Non enim vult ſimpliciter aſſerere, quod ille vermis ſit materialis, ſed quod potius eſſet aſſerendum ignem & vermem materialiter intelligi quam quod utrumque ſpiritualiter tantum intelligatur: quia ſic nullam pœnam corporalem damnati ſuſtinerent: ut patet ſeriem verborum ejus ibidem inſpicienti*.

III. Sed definite in obvio ſenſu eam vocem accepiſſe videntur alii Patres. S. Baſilius in pſal. 33. ait: *animo tibi fingas barathrum profundum, tenebras impenetrabiles, ignem ſplendoris expertem, vim quidem urendi in tenebris habentem, ſed luce deſtitutum: ſubinde vermium quoddam genus venenatum, ac carnivorum, edens inſatiabiliter, nec unquam exſatiatum, intolerabiles dolores morſibus inducens &c.*

IV. S. Gregorius Niſſenus orat. 3. de Reſurrect. *Ego etiam hoc audio, quod condemnati juſtis afficientur ſuppliciis, igne, tenebris, verme, quæ omnia compoſitorum, ac materialium corporum pęnę cruciatuſque ſunt*.
Prudentius in Hamart. ſic canit:

Vermibus, & flammis, & diſcruciatibus ævum
Immortale dedit, ſenio ne pœna periret,
Non pereunte anima &c.

V. Innocentius tertius P. M. lib. 3. cap. 2. ſcribit: *Vermis duplex, interior, qui rodit cor, exterior, qui rodit corpus*. Et cap. 4.: *In inferno erunt vermes indeficientes*. Ugo Victorinus lib. 4. de anim. cap. 13.: *In inferno omnes comburuntur, & vermibus corroduntur, nec conſumuntur*. S. Anſelmus in Elucid.: *tertia pœna in inferno eſt vermes immortales, ideſt ſerpentes, & dracones viſu & ſibilo horribiles, qui, ut piſces in aqua, ita vivunt in flamma*. Et hanc ſententiam inter alios Theologos probabilem reputant Franciſcus Suarez *tract. de Ang. pœna*, & Barradius *in cap. 25. Matth.*

VI. Verum ſalva, quæ hiſce Authoribus debetur, reverentia, longe probabiliorem, ac veriorem puto aliorum ſententiam, qui *Vermis* vocabulum in tropico ſenſu accipiunt, non pro animali aliquo, quod corpus pungat, ac terebret, ſed pro conſcientiæ remorſu, ſtimulo, & cruciatu. Magnis nominibus

hæc ſententia nititur, & authoritate in primis graviorum Eccleſiæ Patrum. S. Ambroſius lib. 7. in Lucam hæc habet: *vermis eſt, eo quod irrationabilis animæ peccata mentem Rei, ſenſumque compungant, & quædam exedant viſcera conſcientiæ, quæ tamquam vermes ex unoquoque naſcuntur, tamquam ex corpore peccatoris.*

VII. S. Hieronymus in caput 1. Iſaję: *putredo, & tinea, & operimentum vermium pœnæ intelliguntur æternæ, quas propria gignit conſcientia, quæ ex propriis peccatis naſcitur. Sicut enim quandiu cadaveris materia eſt, & aliquis humor in cadavere, vermes naſcuntur: ſic ex ipſa materia peccatorum ſupplicia gignuntur.* Et hanc explicationem a pleriſque ſuo tempore receptam fuiſſe tradit *in cap. 66.* ejuſdem Prophetæ.

VIII. Vetus Auctor libri *de ſpiritu, & anima* inter opera S. Auguſtini: *per Iſajam ſcriptum eſt*: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: *quia nec ipſi damnati conſumentur. Vermis conſcientiam corrodet, ignis carnem comburet: quatenus, qui Authori ſuo corde, & corpore deliquerunt, corde ſimul, & corpore puniantur.*

IX. S. Proſper, ſive, ut alii putant, Julianus lib. 3. de vita contempl., poſtquam aſſeruit corporeo igne damnatos eſſe torquendos, ſubdit: *jam vero quod dicit*: vermis eorum non morietur, &c. *ad totam refertur damnati hominis pœnam, quem inefficacis pœnitentiæ ignis exurit, & conſumentis conſcientiæ vermis immortaliter rodit.*

X. S. Bernardus lib. 5. de Conſiderat. *hic eſt vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potius innatus per peccatum hæſit firmiter, nunquam deinceps avellendus. Nec ceſſat rodere conſcientiam, eaque paſtus, eſca utique inconſumptibili, perpetuat vitam. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis.*

XI. Gemina tradunt Origenes, Procopius, & Theophylactus. Sed nemo veterum Patrum hoc diſertius, ac uberius explicuit, quam Victor Antiochenus, qui floruit quarto, vel quinto Eccleſiæ ſæculo: Ita enim ſcribit in caput cit. Marci: *omni ſupplicio gravius eſt immortalem illum vermem perpetuo citra ullam prorſus intermiſſionem devorantem, direque corrodentem circumferre. Deſignatur autem hoc vermis nomine impura, ſceleratаque conſcientia. Siquidem una hæc animam peccatricem, nulliuſque boni ſibi conſciam inutilis pœnitentiæ aculeis, inſtar edacis vermis pungit, & mordet. Unuſquiſque ergo ſceleratorum ſui ipſius accuſator erit. Etenim dum ea ſecum perpendit, animoque jugiter revolvit, quæ in mortali hac vita improbe geſſit, vel invitum ſe reum confiteri compelletur, propriæ nimirum conſcientiæ ſtimulis actus, ejuſdemque contra ſe teſtimonio aperte convictus. Ad hunc itaque ſenſum peccatorum* vermis immortalis *dicitur.*

XII. In eamdem explicationem fere omnes conſentientes eunt clariores Sacræ Scripturæ Interpretes, nobilioreſque Theologi omnium Theologorum Principem ſecuti S. Thomam, qui 3. p. q. 97. art. 2. expreſſe docet: *vermis, qui in damnatis ponitur, non debet intelligi eſſe materialis, ſed ſpiritualis, qui eſt conſcientiæ remorſus, qui dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, & animam affligit: ſicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo.*

XIII. Igitur juxta communiorem hanc ſententiam dicendum eſt, *vermem* in ſacro eloquio memoratum deſignare ſtimulum, cruciatumque conſcientiæ, quo damnati perpetim affliguntur, non aliquod animal, quod in inferno corpora pungat, ac rodat. Nam tametſi hujuſmodi animalcula per divinam Omnipotentiam in igne conſiſtere queant, quemadmodum reipſa conſiſtent corpora damnatorum; nihilominus nulla in primis afferri veriſimilis ratio poteſt, cur vermes potius, quam alia animalia ad reprobos puniendos deſtinati fuerint: neque enim dicere fas eſt vermes ex damnatorum corporum corruptione progigni, cum ea corruptibilia minime futura ſint.

XIV. Deinde vel hujuſmodi vermes in ipſa inferni conditione creati ſunt, vel ſolum poſt extremi judicii diem creabuntur. Utrumque porro improbabile eſt. Si enim jam ab initio rerum creati

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, cum, adverſariis ipſis aſſentientibus, nihil in animas ſpirituales agant, abſque ullo effectu ad uſque mundi finem perſiſtere deberent. Quis autem dicat eos poſt diem Judicii creandos eſſe?

XV. Ulterius rationi valde conſentaneum videtur tum Iſajam Prophetam, tum Chriſtum Dominum apud Marcum utramque damnatorum pœnam fuiſſe complexos, nempe & quę corpus præcipue afficit, & quæ animam affligit: quod jam obſervarunt S. Proſper, & Vetus Author lib. *de ſpiritu, & anima*, ut conſtat ex eorum ſententiis modo allatis. Cum igitur per *ignem* eam pœnam, quæ corpus maxime ſpectat, inſinuent, dicere par eſt per *Vermem* exprimere, quæ animæ peculiaris, & intima ſit, conſcientiæ ſcilicet remorſus, ac ſtimulus.

XVI. Demum, quod me præſertim movet, ſi hoc ſenſu *Vermis* vocabulum ſumatur, pro animi angore, & cruciatu, nulla vis infertur ſacro textui: quin immo optime conſtat analogia inter utrumque. Et quidem nullam vim ſacro textui inferri patet, ſi advertamus eam Chriſti ſententiam, quæ habetur apud Marcum, depromptam eſſe ex cap. *66.* Iſaiæ, iiſdemque verbis circumſcriptam, nimirum *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Porro *Vermis* nomen apud Iſajam metaphorice ſumi per alluſionem ad vermes, qui cadavera depaſcuntur, & exedunt, ex eo liquet, quod commate immediate præcedente dixerat Propheta: *& egredientur, & videbunt cadavera eorum, qui prævaricati ſunt in me*. Cum igitur mox ad æternas Damnatorum pœnas deſignandas prophetico more tranſvolet, mirum eſſe non debet, quod nomine *vermis* conſcientiæ ipſorum ſtimulum, & angorem expreſſerit. Quæ ſane analogia & metaphora valde accommoda, & propria eſt, & in vulgari ipſo ſermone familiaris. Conſcientia enim accuſans (*a*), pungens, mordens, angens, ac terrens, & inde homini exprobrans atrocitatem criminum adverſus divinam longanimitatem, & gratiam impudenter perpetratorum: inde miſeris ob oculos ponens magnitudinem irę Dei, ſecundum quam tremendus eſt, ſeveritatiſque ejus juſtitiam, & in puniendo potentiam, eſt inſtar vermis rodentis, & exedentis hominem poſitum in ſtatu mortis ſecundæ, cum moleſto doloris continui morſu, & ſenſu: qui, qua vita caſſus ſpirituali, appellatur *cadaver*: qua exiſtens, ſentiens, & vivens, fingitur eſſe cadaver cum ſenſu per figuram, quæ Græcis *Oximoron* dicitur. Quod autem ex hoc inferri minime debeat etiam *ignis* vocabulum, quod habetur in utroque loco Iſajæ & Marci, metaphorice eſſe intelligendum, poſtea manifeſtum fiet.

XVII. Quod attinet duo alia loca laudata Eccleſiaſtici, & Judith, in quibus impiorum carnes vermibus affligendæ dicuntur: Reſpondeo in primis in textu Græco loci prioris non legi, *vindicta carnis impii*, ſed ſolum *vindicta impii*: atque ita etiam in verſione Syriaca, & Arabica nulla carnis mentio eſt. Sed admiſſa Vulgatæ lectione S. Auguſtinus (*b*) ea verba in hunc ſenſum exponit: *vindicta carnis impii*, ideſt, *carnalis vitæ ignis corpori, & vermis animo*. Quæ expoſitio etiam Judith verbis aptari poteſt: *dabit ignem, & vermes in carnem eorum*, ideſt in carnalem vitam eorum, ſeu puniet vitam carnalem igne & verme. Atque eodem ferme pacto, cum idem ſibi objeciſſet argumentum Sanctus Thomas loco citato reſpondet inquiens: *dicendum, quod ipſæ animæ Damnatorum dicuntur carnes earum pro eo, quod carni ſubjectæ fuerunt*: additque præterea: *vel poteſt dici etiam, quod per vermem ſpiritualem caro affligetur, ſecundum quod paſſiones animæ redundant in corpus, & hic, & in futurum*.

XVIII. Alia hiſce teſtimoniis reſponſio adhiberi poteſt, quæ aliquibus plauſibilior

(a) vide Vitringam ad hunc locum. (b) loco ſupra citato.

ſibilior videtur: nempe, *vindicta carnis impii ignis & vermis:* ignis, inquam, in Tartaro, ſive in futura vita: *vermis* in ſepulcro juxta illud ejuſdem Eccleſiaſtici cap. 10: *cum morietur homo, hereditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Neque dicat aliquis, vermes in ſepulcro non eſſe vindictam carnis impii: quia nullum ibi doloris ſenſum habet. Vindicta enim *carnis impii* vermes dici poſſunt, quia mors & corruptio vindicta carnis eſt, & ex morte, & corruptione carnis vermes naſcuntur. Quaſi dixerit Sapiens: vindicta carnis impii eſt mors, atque corruptio, quam vermes conſequuntur, & exprimunt. Similiter & Judith inquit: *dabit in carnes eorum ignem* poſt judicium, ante judicium vero dabit mortem, corruptionem, & vermes.

XIX. Jam vero ex his, quas produximus Sanctorum Patrum ſententiis colligi facile poteſt & unde prodeat, & quam moleſta futura ſit pœna illa, quam nomine *vermis* oracula ſacra deſignant. Ex triplici nempe capite ea ſubnaſcitur, ex vivida cognitione delictorum, quæ Damnatorum menti jugiter obverſantur: ex virtutis neglectu, & abuſu divinæ gratiæ, ac miſericordiæ: ac demum ex pœnitentia nimium ſera, penituſque inefficaci, & inutili. Hæc omnia complexus eſt Sapiens in ea Authoritate cujus ſupra mentionem fecimus. Poſtquam enim cap. 4. de Damnatis aſſeruit, *uſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes*, quaſi redditurus rationem extremæ hujus deſolationis, ac gemitus, ſubnectit: *venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum:* hoc eſt, impii mente, ac memoria ſua, conſcientia ipſa dictante, in unum quaſi cumulum colligent omnia anteactę vitæ ſcelera. Hæc autem perpetim ipſos accuſabunt, coarguent, condemnabuntque incredibili plane anguſtia, & cruciatu. Etiam in hac vita delictorum conſcientia grave tormentum eſt, ac teſte S. Gregorio in Pſal. 143. cæteris afflictionibus, ac moleſtiis gravius. Attamen plura hic confluunt, quæ crebro tormenti hujus acerbitatem temperent, ac deliniant, aut ſaltem interrumpant. Non ita erit in inferno, ubi nulla quietis intervalla, nullæ interſpirationes, conſolatio nulla: ſed dies noctesque conſcientiæ vermis laniatum undique pectus perrodet. *Vermis eorum*, inquit Propheta, *non morietur*. Supplicium hoc non inepte ethnici expreſſere in Titio, quem ea lege apud inferos alligatum fingebant, ut jecur ipſius a Vulture ſemper dilaniaretur, & exederetur, conſumtumque renaſceretur denuo, ne dilaniandum aut rodendum pabulum inſatiabili fauci unquam deeſſet.

XX. Pulcre admodum tormentum hujuſmodi deſcribit S. Baſilius Magnus (*a*) his verbis: *qui mala fecerunt, in opprobrium & confuſionem reſurgent, in ſe ipſis turpitudinem, & formas peccatorum impreſſas habentes. Et fortaſſis ea confuſio, in qua æternum vivent peccatores, horrenda eſt magis, quam tenebræ, & ignis æternus, cum veſtigia admiſſi in carne peccati, in modum indelebilis cujuſdam tincturæ, ſemper ſint habituri ob oculos, quæ perpetuo in anima eorum memoria permanſura ſunt.*

XXI. Pergit Sapiens laudato loco, duaſque alias cauſſas recenſet, unde ſummus in damnatorum animos angor, ac triſtitia redundat: eos enim repræſentat, *pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*, atque deſperatione abreptos in hæc verba erumpentes: *ergo erravimus a via veritatis & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis: ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia vitæ, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia, tamquam umbra .... Et virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumti ſumus.* Ac tandem concludit: *talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Quæ

(*a*) in Pſ. 33. num. 6.

Quæ verba expendens S. Hieronymus (*a*) ait: *maximo dolore torquetur anima, cum in pœnis conſtituta jam ſero dolet, ſe tunc negligentem fuiſſe, quando per bona opera potuit ſubvenire. In inferno enim Dæmonibus cruciata, infructuoſe peccata præterita declarat, juxta illud, quod Scriptura teſte, impii in inferno dicturi ſunt: Ergo erravimus a via veritatis &c.* Similia ſcribunt S. Jo. Chryſoſt. *ad Theod. lapſum*, & S. Cyrillus Alexandrin. orat. *de exitu animæ*.

CAPUT V.

Locum aliquem admittere neceſſe eſt puniendis impiis deputatum, eumque certum, ac definitum. Vanum & abſurdum Ubiquiſtarum *de Inferno commentum. Illud exploditur ſacrarum maxime litterarum oraculis. Damnatorum loci plura nomina. De* Gehennæ *vocis origine, & ſignificatione uberius diſſeritur. Duriores quædam eliquantur Niſſeni, & Auguſtini ſententiæ. Aliæ objectiunculæ ſolutæ.*

I. CUm Supremus Judex, ac vindex Deus hominum ſcelera condignis in futura vita ſuppliciis punire decreverit, conſequens eſt ut locum, aut loca aliqua exercendæ vindictæ ſuæ deputaverit. Neque enim animarum punitio, multoque magis corporum, quibus illæ denuo copulandæ ſunt, quocumque modo explicetur, aut definiatur, niſi in loco fieri, aut intelligi poteſt. Hinc quotquot futurum vitæ ſtatum, in quo & probi premio, & improbi ſupplicio afficerentur, credidere, realia etiam loca præmiorum, atque pœnarum conſequenter poſuerunt, ut in allatis ſuperiore Diſſertatione monumentis perſpici facile poteſt. Equidem referuntur aliqui ex ipſa Chriſtiana gente tamquam huic dogmati adverſantes: nimirum ex antiquis Marcionitæ cum aliis ejuſdem furfuris Hæreticis (*b*); & ex recentioribus Lutherus, Calvinus, Beza, Danæus aliique (*c*); pluresque allegantur in hujus rei confirmationem eorum ſententiæ. Verum alio eos reſpexiſſe, nec omnem penitus locum pro puniendis impiis inficiatos eſſe facile crediderim: corporeis nempe inſtrumentis, ac materiali præſertim igne plecti reprobos abnuerunt, terrorem duntaxat, & anxietatem conſcientiæ pro juſto ipſorum ſupplicio conſtituentes, ut poſtea dicemus. Et plane, ſi Ameſio Calviniano fides, Beza ipſe, qui ea tormenta ceteris impudentius irridet, adverſus Brentium diſputans, nedum locum Damnatis attribuit, ſed aſſerit etiam *eos in meridie cæcutire, qui ex Hiſtoria Lazari, & Divitis non deducunt verum locum inferorum, ubi Damnati torqueantur* (*d*).

II. At vero ſatis non eſt locum quemvis punitionis indeterminatum admittere, ſed certum, ac definitum eſſe credere oportet. Ut enim Magiſtratus, ac Reges ad ſubditos pro delictis puniendos carceres habent, atque patibula, eaque in locis determinatis; Sic etiam Regum omnium Regem certa animadverſionis impiorum loca habere decuit. Quę ratio præclare admodum a Guillelmo Pariſienſi tractata eſt (*e*). „ Cum univerſum, inquit, veluti domus quædam „ ſit Creatoris, qui eſt Dominus omnium ſæculorum, & Rex, ac Rector Univerſi, neceſſe eſt ut domus „ ejus completa ſit totalitate partium ſuarum, & opportuna ſufficientia congruentium officinarum. Tu vero non „ dubitas, quoniam neceſſarius ſit carcer in omni regali palatio, atque habitatione, præſertim ubi tanta multitudo latronum, & juſtitiandorum. Amplius: nulla eſt Civitas ordinata, cui „ bonus Rex præſideat, & bono Magiſtratu regatur, quæ non habeat locum exercendæ juſtitiæ. Cum igitur „ cer-

(a) lib. 1. in cap. 1. lament. Hieremiæ.
(b) vide Alfonſum a Caſtro V. Infernus.
(c) Suarez de Angelis lib. 8. cap. 16. Fevardentius in Theomachia lib. 14. cap. 2.
(d) apud Bellarm. Tom. 5. in vindiciis.
(e) par. 1. Univerſ. cap. 55.

„ certum ſit, & omnium Philoſopho-
„ rum conſenſione firmatum, Univer-
„ ſum, ſeu Mundum Civitatem eſſe
„ Dei altiſſimi, in qua cives ſunt ho-
„ mines, & Angeli, hoc eſt omnes, &
„ univerſæ ſubſtantiæ ſpirituales.... ne-
„ ceſſe eſt hanc Civitatem, quæ Deo al-
„ tiſſimo rectore regitur, locum habere
„ univerſalem, communem, & appro-
„ priatum exercendæ divinæ juſtitiæ.

III. Oppoſitam huic ſententiam commenti ſunt Lutherani ex eorum Secta, quos *Ubiquiſtas*, aut *Ubiquetarios* nominant, quorumque caput Brentius eſt. Pertendunt iſti juxta Bellarminum, Fevardentium, Gretſerum, & ipſum Bezam Calvinianum, Damnatorum locum, ſive Infernum, ubique eſſe, ſive diffuſum per univerſum Mundum, non uni vel alteri, imo neque pluribus locis coarctatum. Quod ſi revera docuerunt, jam horum ſententia exſibilanda potius, quam refutanda eſt. Si enim ubique eſt Infernus, neceſſario ſequitur, nedum Damnatos, ſed & Beatos cum Chriſto regnantes, non modo cacodæmones, ſed etiam bonos Angelos, cunctoſque homines in terra degentes, in Inferno eſſe: quod nemo non rideat. At quis ſibi perſuadeat tam monſtroſam opinationem cuipiam in mentem venire potuiſſe? Malim igitur ego ita ipſorum mentem exponere, ut Infernum ubique eſſe aſſeruerint, non quaſi locus omnis Damnatorum locus ſit; ſed quod nullum Deus puniendis improbis locum certum deſtinaverit: verum arbitratu ſuo modo hunc, modo illum ad hujuſmodi officium deligat. Quam ſententiam, etiam aliqui alii præter Ubiquetarios, amplexati ſunt.

IV. Hæc tamen opinio ſic etiam temperata falſa eſt, & aliena a fide Catholicæ Eccleſiæ, quæ docet, ſemperque docuit, unum eſſe certum, definitumque locum a Deo ad punitionem reproborum, ſive Dæmonum, ſive hominum deputatum. Nititur Eccleſiæ fides clariſſimis ſacrarum litterarum documentis, & perpetua Sanctorum Patrum, & fidelium traditione. Conſtat hæc in primis ex hiſtoria, ſive Parabola de Lazaro, & divite Epulone. Nam Dives, dum in Inferno inter horribiles flammas cruciaretur, elevaſſe dicitur oculos ſuos, ut videret Abrahamum, tamquam ex loco profundiore in altiorem reſpiciens: Abrahamus vero ipſum alloquens, præter alia, repoſuit: *in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, ut qui hinc volunt tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*. Ac deinde Dives idem orans inducitur pro fratribus ſuis, *ne & ipſi*, inquit, *veniant in hunc locum tormentorum.* Cæcus ſit oportet, qui non videat in hoc textu, exerto veluti digito commonſtrari locum certum, & peculiarem, illumque damnatis omnibus communem. Nam & a ſinu Abrahæ aperte diſtinguitur, & inter utrumque *magnum chaos* interjectum eſſe perhibetur, & *tormentorum locus* diſtincte nominatur, & nedum pro infelici Divite, ſed & pro fratribus ejus, cæteriſque omnibus, qui ipſius veſtigia ſecuti fuerint, deputatum.

V. Idem comprobant ea teſtimonia, quæ ſubinde afferemus ad veritatem adſtruendam ignis corporei, ſive materialis puniendis impiis a divina juſtitia parati, & in quem demum omnes projiciendos eſſe Chriſtus Dominus teſtatur. Quis enim dixerit illum nullo in loco certo, ac determinato conſiſtere? Aut quis plura loca ſomniaverit, in quibus diſperſus ſit? Idem ea teſtimonia confirmant, queis cælum Beatorum ſedes, & infernus Damnatorum ergaſtulum, tamquam duo loca ſibi mutuo oppoſita deſcribuntur. Atque hæc plurima ſunt tum in Veteri, tum in Novo Teſtamento, & cuique legenti facile occurrunt.

VI. Sed inter cætera, nomina ipſa, quæ a ſacris litteris Damnatorum carceri tribuuntur, luculenter deſignant certum illum eſſe, communemque locum, in quem una omnes amandandi ſunt. Nam in primis vocatur *Abyſſus*, ut Lucæ 8.31., ubi narratur cacodæmones Chriſtum rogaſſe, *ne imperaret illis, ut in Abyſſum irent*. Et Apocalyp. cap.20., ubi S. Joannes refert ſe vidiſſe *Angelum deſcendentem de cælo, & apprehendentem Draconem, qui eſt Diabolus, & miſiſſe*

eum

eum in Abyſſum, & ſignaſſe eum, ut non ſeducat amplius gentes. Conſtat autem Abyſſum profundiorem quemdam eſſe in terra, vel in aqua locum, ſive ſitum aliquem inferiorem.

VII. Vocatur *Lacus*, ut præter alia, Pſal. 29. 3. *Domine eduxiſti ab Inferno animam meam, ſalvaſti me a deſcendentibus in lacum*. Iſaiæ 14. 15.: *verumtamen ad Infernum detraheris in profundum laci*. Et Apocal. 14. 19.: *miſit in lacum iræ Dei magnum*. Vocatur *Stagnum ignis*. Apoc. 20. 9. *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulfuris*. Et cap. 21. 8. *timidis autem, & incredulis &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne*. *Terra noviſſima*, & *terra ultima*, ut Ezechielis cap. 26. 20.: *cum detraxero te cum his, qui deſcendunt in lacum ad populum ſempiternum, & collocavero te in terra noviſſima, &c.* Et cap. 32. 18.: *Fili hominis cane lugubre &c. & detrahe eam ipſam, & filias gentium robuſtarum ad terram ultimam cum his, qui deſcendunt in lacum &c. loquentur ei potentiſſimi de medio Inferni &c.* Porro hæc nomina *Lacus*, *ſtagni ignis*, *terræ noviſſimæ* certum quemdam deſignare locum, res eſt ſatis explorata.

VIII. Sæpe numero appellari ſolet *Infernus*, Hebraice *Sceol*, Græce *Adis*. Sic Pſal. 48. 5.: *Sicut oves in* ſceol *inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos*. Et Pſ. 85. 13. *eruiſti animam meam ex* ſceol tactith *inferno inferiori*. Proverb. 9. 18.: *ignoravit, quod ibi ſint gigantes, & in profundis inferni* (ſceol) *convivæ ejus*. Et cap. 15. 24. *ſemita vitæ ſuper eruditum ut declinet de inferno noviſſimo*, ſceol tactith; & cap. 23. 14. *tu virga percuties eum, & animam ejus ab inferno liberabis*. Eccleſiaſtici 41. 7. *non eſt in inferno*, adi, *accuſatio vitæ*. Lucæ 16. *mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*. Sceol autem & Adis foveam quamdam profundam ſignificare, & ſtationem animarum intra telluris viſcera nobiliores quique inter eruditos conſentiunt, prout alibi fuſe oſtendam.

IX. Denique, ne plura congeram in re ſatis perſpicua, appellatur frequenter in novo Teſtamento *Gehenna*, & *Gehenna ignis*. Matth. 5. 29. *expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in Gehennam*. Et cap. eodem *qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit Gehennæ ignis*. Marci 4.: *bonum tibi eſt debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in Gehennam*. Luc. 12.: *timete eum qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem mittere in Gehennam*, & aliis in locis unicuique obviis. Atque hoc quoque nomen a peculiari quodam loco ad Damnatorum ſedem deſignandam tranſlatum eſſe, nullus ignorat.

X. Quoniam vero de Gehenna, quam paſſim memorant libri novi Teſtamenti, mentionem fecimus, liceat mihi originem, ac notionem hujuſce vocis plenius exponere, quæ, tametſi Damnatorum carcerem in primitiva ſua ſignificatione non denotet, ei tamen denotando jam ab antiquis temporibus accommodata eſt. Gehennam, ut præter alios obſervat Bartoloccius, vir rerum Judaicarum peritiſſimus (a), ſive Gehennæ vocabulum corruptum eſt a vulgo ex voce *Ghe Hinnon*, vel *Ghe ben Hinnon* (utraque enim vox reperitur in libro Joſue cap. 15.) & ſignificat *vallem Hinnon*, vel *vallem filii Hinnon*: quæ vallis, ut ex eodem cap. Joſue liquet, erat in tractu Auſtrali urbis Hieruſalem, qua ſe flectit ad Orientem. In hac valle locus erat, qui dicebatur *Tophet*, ut habetur ex verbis Jeremiæ c. 7. 31. *Ædificaverunt excelſa Tophet, quæ eſt in valle filii Ennon*. Unde etiam integra hæc vallis appellatur *Tophet* juxta eumdem Jeremiam, qui utrumque nomen alternatim adhibet cap. 19. R. David ad Pſal. 27. 13. (b) & alii autumant vallem hanc fuiſſe locum contemptiſſimum, in quem cadavera, ſordes, & civium expurgamenta projicerentur, ibique ad ea comburenda perpetuum ignem fuiſſe ſervatum. Sed alii, inter quos Campejus Vitringa, improbabile putant vallem hanc amœnam prope torrentem Cedronem, in vilem hujuſmodi uſum converſam fuiſſe, vel Reges I-

(a) In Biblioth. Rabbinica Tom. 2. pag. 124. &c.
(b) apud eumdem.

dololatras in loco impuriſſimo, & graveolenti ſacra facere voluiſſe numinibus, quorum ſe venerationi devoverant. Patet autem ex lib. 4. Regum non Achazum tantum, & Manaſſem, ſed & ipſum Salomonem eadem divinitatis propudia in hoc, vel ei proximo loco coluiſſe.

XI. Sed ut ut res ſe habeat, illud certum eſt Reges Judæorum Idololatras in hac valle ſacra feciſſe Molocho, ſive Herculi Tirio ex deteſtabili Ammonitarum, & Phœnicum inſtituto, atque adeo ibidem foviſſe ignem per quem liberos ſuos luſtrabant, vel, quæ genuina illius idololatriæ ſpecies eſt, cui eos Molocho devotos cremandos tradebant: quo maxime ſcelere ſe obſtrinxerunt Achaz & Manaſſe, ut diſcimus ex lib. 4. Regum cap. 23. 10. Qua de re conſentiunt tum Rabbini, qui videri poſſunt apud laudatum Bartolocciam, tum Chriſtiani expoſitores (a), ex quibus unius tantum S. Hieronymi teſtimonium profero in cap. 10. Matth. inquientis: *Nomen Gehennæ in veteribus non invenitur, ſed primum a Salvatore ponitur. Quæramus ergo, quæ ſit ſermonis hujus occaſio. Idolum fuiſſe juxta Hieruſalem ad radices montis* Moria, *in quibus Siloe fluit, non ſemel legimus. Hæc vallis & parva campi planities irrigua erat, & nemoroſa, plenaque deliciis, lucuſque in ea Idolo conſecratus erat. In tantam autem dementiam populus Iſrael venerat, ut deſerta Templi vicinia, ibi hoſtias immolaret, & rigorem Religionis deliciæ vincerent, filioſque ſuos dæmoniis incenderent, vel initiarent.* Et in cap. 7. Jerem. *tradunt Hebræi ex hoc loco, ideſt Gebinnam, vel valle filiorum Ennon, appellatam Gehennam: quod ſcilicet omnis populus Judæorum ibi periret offendens Deum. In quo loco etiam filios in igne idolis conſecrarint, ſive holocauſtum obtulerint.*

XII. Ex hoc igitur igne in ea valle continenter ſervato ſumpſit occaſionem Propheta Iſaias deſcribendi Damnatorum carcerem ſub emblemate hujus vallis, ſive *Tophet* cap. 30. 33., ubi ſic ait: *præparata eſt ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda, dilatata: nutrimenta ejus ignis, & ligna multa: flatus Domini, ſicut torrens ſulſuris ſuccendens eam.* Atque inde Sanctis antiqui temporis *Gehennæ* notio nata eſt, cœpitque in vulgari lingua uſurpari hoc nomen pro deſignando carcere reproborum, quam conſuetudinem retinuit ipſe Chriſtus Dominus in ſuis ſermonibus, dum de inferno loqueretur, & poſt ipſum Apoſtoli. Ipſi quoque Judæi non in locutione tantum familiari, ſed & in ſcriptis ſuis, ſcripturæque ſacræ verſionibus vocem hanc in eadem ſignificatione frequentius uſurpare cęperunt. Pro loco Damnatorum, ut animadvertit Druſius (b), ea voce uſus eſt ante Chriſtum Dominum R. Simeon F. Johai in lib. *Zoar* dicto, qui primus fundamenta jecit ineptæ illius Cabbalæ, cujus periti vulgo *Cabbaliſtæ* nuncupantur: cum vero Cabbala longe alia ſit, nempe traditio a majoribus per manus accepta. Uſus eſt etiam Jonatham F. Uzielis interpres Chaldæus Chriſti coætaneus, tum in loco cit. Iſajæ, tum in aliis pluribus, quæ inter doctos Buxtorfius (c) & Lighfootus (d) adnotarunt. Uſi ſunt etiam paſſim Thalmudiſtæ, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Bartoloccium: ex quibus Elias Levita in ſuo *Tiſchi* ad vocem *Gheinnam*, poſtquam aſſeruit vallem filii Hinnon, eamdem eſſe, ac Gheinnam prope Hieruſalem, & in ea conſueviſſe Judæos immolare filios ſuos idolo Moloch, addit: *vocaverunt Rabbini noſtri B. Mem. locum, ubi impii poſt mortem puniuntur, Gheinnam Gehennam, ex eo, quod Ghe ben Hinnon, vallis ben Hinnon conjuncta erat Hieroſolymis, & erat locus immundus, in quo exurebant filios ſuos idolo Molech. Fuit autem hic locus ita vocatus: quia pueri* (qui idolo immolabantur) *eju-*

(a) S. Hieronymus &c. Iſidor. lib. 4. orig. Cornelius Janſenius in Concord. Evang. cap. 40., Druſius, Vitringa &c. (b) ad illud *Matth. bonum tibi eſt &c. quam mitti in Gehennam* in Criticis ſacris. (c) in lexico ad h. V.
(d) præfat. in oper. Tom 2. apud Vitringam, & Claſſenium.

ejulabant, *& clamabant*. Sed jam e diverticulo haud prorſus inutili in viam regrediamur.

XIII. Conſtat itaque ex ſacris litteris evidentiſſime Damnatorum ſedem certum eſſe, definitumque locum pro impiis omnibus inſimul puniendis a divina Juſtitia conſtitutum. Idem etiam conſtat ex perpetua Patrum & Eccleſię traditione, cujus innumera prope ſunt teſtimonia; a quibus tamen proferendis abſtineo, ne prolixa nimium oratio ſit, præſertim cum ea, quæ in ſequentibus de igne inferni differentes, tum quæ latius alio in opere de ejuſdem ſitu dicturi ſumus, huic veritati firmandæ ſubſerviant, atque huc ferme omnia revocari queant. Subobſcure quidem ex Patribus videntur fuiſſe locuti de reproborum loco S. Gregorius Niſſenus *in Dial. de anim. & Reſur.*, & S. Auguſtinus *lib.* 12. *ſuper Geneſ. ad litteram*. Verum quod Niſſenum ſpectat, licet, ne quid diſſimulem, duriora aliqua ſint in eo Dialogo, quæ nulla poſſe videntur interpretatione molleſcere; non arbitror tamen illum a cæteris Patribus reipſa præcipua, de qua diſputatur, diſſentire, adeo ut verum certumque locum negaverit puniendis impiis deputatum. Ibi enim Gregorius in hunc modum *Magiſtram*, ſive Sororem ſuam Macrinam interrogat: *& quomodo, inquam, ſubterraneum locum in eo dici putant, illumque animas, quaſi publico recipere diverſorio, tamquam quoddam ſpatium ejus naturæ ab univerſa humana vita eas ad ſe trahens?* Cui Magiſtra ita reſpondet: *ſed nihilo magis lædetur dogma per hanc opinionem, ſi verum eſt, quod a te dicitur*. Atque ubi expoſuit ſententiam, quæ corporeo carcere animas malorum concludit, ſubjicit: *quandiu præcedens dogma non labefactat, quæ ſit objectio.... de loco nihil noſtra pugnabit oratio, ut quæ corporum tantum ſentiat proprium eſſe in loco ſitum: animam autem, cum ſit incorporea, nequaquam neceſſe habere ex ſua natura, ut illis locis detineatur*. Videtur itaque ſolum negaſſe animam poſt mortem in aliquo loco eſſe, quaſi eodem circumſcribatur, quod corporum duntaxat proprium eſt; non autem quod nullo penitus loco definiatur. Hoc vero accuratius non expoſuit, quod ſcopus ſibi propoſitus minime poſtularet: ibi enim ſolam animę immortalitatem ſibi probandam præſtituerat, deque illa diſſerit, attenta propriæ ſpiritualis ſubſtantiæ conditione, quæ ut exiſtat, nullum neceſſario corpus efflagitat: atque hac ratione Epicureos refellit, qui objiciebant Apoſtoli Pauli authoritati, animam non ſupereſſe poſt diſceſſum a corpore, quod in nullo corporum eſſe poſſit: oſtenditque adverſum hos animam ſuapte natura a corporeis locis non pendere, ac perinde immortalem ſubſiſtere, ſive loco detineatur, ſive loci expers exiſtimetur. Sed de hoc infra ſermo recurret, cum de inferni igne.

XIV. Auguſtini ſententia, quæ adverſa videtur, his verbis concepta eſt loco cit. cap. 32.: *Si quæritur, cum anima de corpore exierit, utrum ad aliqua corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus ſimilia .... cito quidem reſponderim, ad corporalia loca eam vel non ferri, niſi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri.... Ad ſpiritualia vero pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia ſimilia corporibus*. Et poſtea: *Eſt ergo inferorum ſubſtantia, ſed eam ſpiritualem arbitror eſſe, non corporalem*.

XV. Candide fateor me penitus ignorare, quid ſibi velit his verbis S. Auguſtinus. Quid enim ſunt *loca ſpiritualia*, ad quæ pro meritis anima fertur? Quid *loca pœnalia*, *quæ corpora non ſint*, *ſed ſimilia corporibus*? Quid demum *inferorum ſubſtantia ſpiritualis* non *corporalis*? Plane aliam oportet S. Doctorem hiſce vocibus affinxiſſe notionem, quam quæ a cæteris tributa eſt, aut modo tribuitur. Nam juxta notionem, quam nunc de ipſis habemus, facilius Hippocentaurum, aut Chimæram concipias, quam *locum ſpiritualem*: immo hunc ne ullo quidem pacto intelligas: cum invicem pugnent ideæ loci, ac ſpiritualis ſubſtantiæ. At quidquid hiſce nominibus intellexerit S. Pater dum hæc ſcriberet, illud potius debe-

mus attendere, quod legitur lib. 2. Retractat. cap. 24. ubi correxit, quod de hoc argumento minus caute dixerat *in lib. de Geneſi ad litter.* inquiens : *In duodecimo de inferis magis mihi videor docere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe credantur, ſive dicantur, quaſi ita non ſit.* Ubi & corporeum locum admittit, & intra telluris viſcera contineri profitetur. Hinc etiam retractavit lib. 1. cap. 5. quod libro de immortalitate animæ ſcripſerat : *anima, ſi caret corpore, in hoc mundo non eſt.* His adde idem omnino judicium ferendum eſſe de inferni loco, ac de igne in eo contento. Ignem autem inferni apud S. Auguſtinum materialem eſſe perſpicuum eſt ex iis quæ tradit de Civit. Dei lib. 21., noſque infra proferemus.

XVI. Quibus præcipue momentis fulcire ſtudeant commentum ſuum *Ubiquiſtæ*, plane me latet. Unum illud memini me legiſſe, Brentium opponere ſolitum, nullum determinatum locum ad malos omnes continendos capacem futurum, cum tanta ſit reproborum multitudo. Id objicienti Brentio recte per jocum Bullingerus Sacramentarius reſpondet, *non eſſe, quod Ubiquetarii timeant ſe ob loci anguſtias ab inferno excludendos: ſatis enim fore capacem omnium Ubiquiſtarum, & ſceleratorum :* Additque Gretſerus, *ſacramentariorum quoque, & hæreticorum omnium*. Sed de hac objectione alibi ſermo erit.

XVII. Aliud fortaſſis opponent argumentum ex eo depromptum quod Dæmones, cum etiam in his ſuperis orbis terraquei partibus verſantur, in inferno eſſe dicuntur, adeoque non eſſe infernum certis loci alicujus limitibus circumſcribendum. Quod roborare poſſunt verbis Petri Apoſtoli Epiſt. 1. cap. 2., quibus ait, *Angelis peccantibus Deum non pepercisse, ſed inferni rudentibus detractos in Tartarum cruciandos tradidiſſe:* ubi inferni nomine S. Auguſtinus, & alii ſublunarem hunc mundum intelligunt, in quo tamquam in caliginoſo carcere Dæmones detineantur.

XVIII. Sed nullius plane momenti eſt hæc objectio. Quamquam enim lubens concedam plures ac plures cacodæmones in hoc aere, atque orbe terreſtri relictos ob altiſſimas divinæ Providentiæ erga homines diſpoſitiones ; nego tamen eos eſſe in inferno proprie accepto, ſive in loco ſempiternæ eorum miſeriæ deputato. Ut enim bonus Angelus, dum nobiſcum verſatur in terris, interim non exiſtit in cælo, licet beatitudinem ſuam ſecum circumferat; ita Angelus malus, dum circuit terram, tamquam leo rugiens quærens, quem devoret, in inferno non eſt, ſed in terra, tametſi ſuam ſemper ſecum deferat damnationem & pœnam. Apoſtoli autem Petri verba Patres, & expoſitores communius non de hoc aere caliginoſo, ſed de Barathro inferni interpretantur, & ipſe S. Auguſtinus in alia ſignificatione frequentius uſurpavit. Sed etſi ea de aere explicentur, Ubiquetariis nequaquam favent: tum quia ſatis commode de inferno minus proprie dicto, & in ſenſu figurato accipi poſſunt : tum maxime quia, cum ibi mali ſpiritus ad tempus reſerventur, poſtremo detrudendi in Tartarum, ibique æternum cruciandi, jam locum alium deteriorem, illumque certum ac definitum admittere neceſſe eſt, in quem demum terribili illa Chriſti ſententia cum cæteris reprobis projicientur : *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.*

CAPUT VI.

Damnatorum loci conditiones. Tenebræ ibi ſunt, ſed maligno quodam lumine intermixtæ. Damnatorum ſocietas quam grave ſupplicium. Adauget illud maxime tenebricoſi Carceris anguſtia. An frigus in eo, præter alia tormenta admittendum ſit, haud concors Theologorum opinio. Sententiæ utriuſque fundamenta in medium afferuntur: nihilque eſſe, quod ajenti ſubſcribere cogat, oſtenditur.

I. Cum itaque Damnatorum carcer certus ſit, definituſque locus, ſequitur ut aliquas ejus conditiones curſim attingamus. Præcipuas unica ſententia complexum fuiſſe videtur Sanctiſſimum Jobum, dum ita Deum deprecatus eſt cap. 10.: *dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Quem textum commodius ad infernum, ſeu ad animarum ſtationem, quam ad ſepulcrum referri, oſtendunt Pineda, aliique illuſtres interpretes, ejuſque priora verba cum Sancto Auguſtino hoc ſenſu explicant, quod nempe Job *velit requieſcere, antequam eat in pœnas æternas, ad hoc utique ut non eat: quemadmodum ſi dicamus alicui, corrige te, antequam damneris: non enim, cum ſe correxerit, damnabitur.* Cui expoſitioni adſtipulantur ex antiquis Olympius, S. Hieronymus, ſive Authr Commentarii in Job, Beda, S. Bernardus, S. Thomas, & alii.

II. In hac ergo ſententia deſcribit S. Jobus inferni regionem tamquam *terram tenebroſam*, aut lumine caſſam, *& opertam mortis caligine*, ideſt lethalibus umbris, & immedicabilibus tenebris: rurſuſque eam vocat terram miſeriæ, ſeu juxta proprietatem hebraicæ vocis ערב laſſitudinis, deliquii, defectus, obſcuritatis, *& tenebrarum*, ut ſignificet ibi tenebras, tamquam in nativo ſolo ſuccreſcere, ſicut dicitur *terra auri, & argenti*, ubi hæ res proveniunt. Has tenebras quoque Damnatorum loco tribuunt alii Scripturæ textus. Eccleſiaſtici cap. 21. legitur: *via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* 2. Petri cap. 2. *hi ſunt* (impii videlicet) *quibus caligo tenebrarum reſervatur.* Et S. Judas V. 17. *quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.*

III. Hoc idem paſſim tradunt Eccleſiæ Patres, qui inter alia hoc aſſignant ignis inferni ab elementari diſcrimen, quod ille minime luceat, luce ſaltem clara, & perſpicua, ſive ut inquit S. Gregorius Magnus (*a*), *non luceat ad aliquam conſolationem, luceat tamen ad majus tormentum.* Quod egregie declarat Doctor Angelicus S. Thomas 3. p. q. 97. art. 4. his verbis: „ diſpoſitio inferni erit talis, quod maxime miſeriç damnatorum competet. Unde ſecundum hoc ſunt ibi lux & tenebrç, prout maxime ſpectant ad miſeriam damnatorum. Ipſa autem viſio ſecundum ſe delectabilis eſt.... Sed per accidens contingit viſionem eſſe afflictivam, in quantum videmus aliqua nobis nociva, vel noſtræ voluntati repugnantia. Et ideo in inferno hoc modo debet eſſe locus diſpoſitus ad videndum ſecundum lucem, & tenebras, ut nihil ibi perſpicue videatur; ſed ſolummodo ſub quadam umbroſitate videantur ea, quæ afflictionem cordi ingerere poſſunt. Unde ſimpliciter loquendo locus eſt tenebroſus; ſed tamen ex divina diſpoſitione eſt ibi aliquid luminis, quantum ſufficit ad videndum illa, quæ animam torquere poſſunt. „

IV. Huic addere lubet præclaram doctrinæ S. Thomæ expoſitionem, quam habet Dominicus Soto in 4. diſ. 50. art. 4. inquiens: „ viſus, qui omnium (ſenſuum) eſt præſtantiſſimus, tenebris obducetur. Nam etſi ignis in ſua ſubſtantia res ſit luminoſa; tamen ratione materiæ eſſe poteſt tenebroſus. Id autem illic primum ratione ſulfuris accidet, & præterea ratione loci, ubi aer incluſus non habet juſtam ra- „ ri-

(a) lib. 9. Moral. cap. 39.

Digitized by Google

„ ritatem. At vero neque omnimodæ „ ſunt tenebræ, quales eſſent in centro „ terræ, ſi nullus illic ignis arderet. „ Sed conjicitur eſſe lumen quoddam „ ambiguum, quo poſſint ſe miſeri mu„ tuo conſpectare, idque ad majorem „ triſtitiam, cum ſuas calamitates in„ vicem conſpiciant. Nam & ſolatio „ deſtituti ſunt, quod eſſe ſolet miſeris, „ dum accidit ſocios habere pœnarum. „ Torquentur vero præſertim dum eos „ intuentur, quos criminum complices „ habuerunt, vel ſua contagione conta„ minarunt. Tunc enim majori ſuffun„ duntur pudore. Conjectari ergo de „ illa tenebroſa luce poſſumus, aut „ ſublucidis tenebris ad modum illarum „ rerum, quas ſomniantes in ſemivigilio „ patiuntur, dum videre ſibi videntur, „ maligne tamen, illos, cum quibus „ colloquuntur. Unde Gregorius quam„ vis ſuper illud Evangelii, *mittite eum* „ *in tenebras exteriores*, dixiſſet, quod „ ſi ignis ille lucem haberet, nequaquam „ in tenebras exteriores mitti dicere„ tur; tamen loco citato moralium ad„ jecit, quod *quamvis ille ignis ad con*„ *ſolationem non luceat*, *tamen*, *ut magis* „ *torqueat*, *lucet*. *Nam ſequaces*, *quos* „ *ſecum traxerunt de mundo*, *reprobi*, „ *flamma illuſtrante*, *viſuri ſunt*. „

V. Atque hæc, quæ de moleſto aliorum Damnatorum aſpectu effert S. Gregorius, ſubindicaſſe videtur S. Job verbis, quæ ſequuntur, nempe, *ubi umbra mortis*, *& nullus ordo*, *ſed ſempiternus horror inhabitat*: quibus, ut Sacri Expoſitores advertunt, deſignatur, quidquid in inferni tenebris conſpicitur, horrificum eſſe, terribile, ſimulacra, & imagines mortis, triſtiſſima reproborum ſpectra, non ſine ingenti miſerorum cruciatu. Sunt equidem nonnulli, qui potius ſolatium aliquod ac levamen ſe percepturos obganniunt ex aliorum conſortio. Sed vana, ſtultaque ſpe infelices ſe lactant, ac deludunt. Nam, ut ſapienter obſervat S. Auguſtinus, conſolatio, quæ a malis aliorum originem trahit, in mediocri tantum afflictatione locum habet. Cum autem cruciatus acerrimus eſt, & animus nimium vexatus, nullum omnino ex conſortio aliorum ſolatium percipitur; id quod in Podagrico cognoſcere licet, qui ſi acutis doloribus excrucietur, etſi mille offerantur vehementius dolentes, nullum inde levamen habet.

VI. Quinimmo docet S. Thomas in 4. diſ. 50. qu. 2. art. 1., quod ex Damnatorum multitudine pœna ſingulorum augebitur; quemadmodum major futura eſt electorum gloria ex multorum ſocietate; tum ob perfectiſſimum odium, quo ſe invicem Damnati proſequuntur; tnm ob perpetuos clamores, convicia atque blaſphemias, quæ locum horridiorem efficient. Quam pœnam inter inferni graviſſimas reponit S. Maximus ſerm. Hortat. (*a*) ita differens: „ quod „ omnibus miſerabilius eſt, ſive, ut ve„ rius dicam, moleſtius, atque gravius, „ cujus vel mentio dire cruciat, quanto „ magis ipſum rei periculum, ac per„ peſſio, quæ a Deo, ſanctiſque ejus „ virtutibus eſt ſeparatio, ac cum dia„ bolo, ejuſque nequiſſimis dæmonibus „ in ſempiternum duratura neceſſitudo, „ quodque nulla ſit ab his expectanda li„ beratio. Quibuſcum per hujus vitæ „ tempus decurrente ſæculo, pravis ſtu„ diis noſtris, voluntate, animique ar„ bitrio verſari elegimus, cum illis, ut „ verſemur neceſſario vel inviti, futuro „ illo ævo damnabimur; omnique du„ rius cruciatu, & acerbius eſt, vel „ ſine tormentis, ut cum illis perpetuo „ agas, qui oderunt, odioque haben„ tur, &c.

VII. Accedit ad incrementum pœnę loci ejuſdem anguſtia ob Damnatorum præcipue multitudinem. Siquidem juxta imaginem hujus loci, quam nobis præformant ſacræ litteræ, anguſtum omnino, arctumve eſſe fateri neceſſum eſt. Iſajas cap. 24. 22. ita de impiis loquitur: *congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum*, *& claudentur ibi in car-*

(a) Tom. 2. Edition. Combefiſ. pag. 217.

in carcere. Sermonem hic eſſe de æterno impiorum ſupplicio metaphorice expreſſo conſentiunt Interpretes. Metaphora deſumpta eſt a captivis bello factis, aut quibuſque aliis criminis gravioris conſortibus, qui gregatim vincti, manus pedeſque ligati detruduntur in carcerem, arctæque mandantur cuſtodiæ. Sic enim futurum prædicit Propheta de omnibus impiis, cum a Chriſto Judice ligatis manibus, & pedibus mittentur in tenebras exteriores, ſeu in tenebricoſam inferni cuſtodiam in qua turmatim, collectimque compingentur, inſtar lignorum in uno faſce collectorum, adeo ut mutuo ſe premant, comprimantque, & nedum ambulare, ſed neque loco movere ſe poſſint. Id etiam in Evangelio figurate Chriſtus expreſſit in Matth. 13. 30. verbis illis: *colligite zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum*. Atque eamdem quoque inferni ideam nobis ingerunt nonnulla Apocalypſeos teſtimonia.

VIII. An Damnatorum locus frigidus ſit, ſive an Damnati inter alias pœnas etiam acerbiſſimo frigore crucientur, lis eſt & controverſia inter Theologos, & Scripturæ Sacræ Expoſitores. Qui partem ajentem propugnant, his potiſſimum nituntur fundamentis. Primum, illudque præcipuum petitur ex verbis Jobi cap. 24.: *ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius*: ubi viciſſitudo quædam ponitur ab igne in aquam frigidiſſimam. Ulterius: Sapient. cap. 5. teſtatur, *terrarum orbem contra inſenſatos* pugnaturum: & Deum *vim daturum Creaturæ ad ultionem inimicorum ſuorum*. Igitur & aqua univerſitatis particeps, Deique creatura injurias in Creatorem ſuum vindicabit. Præterea: cap. 3. Matth. legimus: *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Stridor autem dentium ingentem frigoris vim conſequitur, ſicut & aliorum membrorum tremor. Demum afferunt authoritatem S. Hieronymi, Caſſiani, Bedæ, Philippi Presbyteri, Petri Damiani, Bernardi, Anſelmi, aliorumque, quorum teſtimonia legi poſſunt apud Pinedam in cap. 24. Job. & Franciſcum Suarez lib. 8. de Angel. cap. 12.

IX. Graviora procul dubio ſunt fundamenta ſententiæ negantis, eaque ferme proponuntur a Dominico Soto loco ſupra laudato his verbis: „ Primum argu-
„ mentum eſt, quod cum Chriſtus di-
„ verſis locis Evangelii univerſa inferni
„ tormenta recenſuerit: nempe ignem,
„ fletum, ſtridorem dentium, & tene-
„ bras, de frigore nullibi meminit. Imo
„ vero Zachar. 9. ubi de inferno extat
„ vaticinium, ſic legitur: *tu autem in*
„ *ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos*
„ *de lacu, in quo non erat aqua*. Quaſi
„ diceret, *ſed purus ignis*. Quin vero
„ Lucæ 16., ubi Epulo ille guttam a-
„ quæ depoſcebat, qua linguam refri-
„ geraret, documentum præbuit merum
„ ignem abſque ullo frigore illic arde-
„ re.

„ X. Mox & ratione loci arguitur:
„ ignis & nives eodem loco eſſe non
„ poſſunt: ſi vero loco diſtent, non eſt
„ intellectu facile, quomodo, aut qui-
„ bus interpolatis temporibus tranſmit-
„ tantur Damnati ab uno in alterum
„ locum, aut quomodo ignis nivibus ſub-
„ intrantibus loco cedat, aut frigori in
„ quacumque ſit materia, ſive aqua ſit,
„ ſive alia quæcumque.

„ XI. Præterea, ſi verum eſt, quod
„ ſupra probabiliſſimum exiſtimabamus,
„ nempe quod Damnati non ſunt loco
„ ſemoti, ſed veluti in acervo conge-
„ ſti, non eſt poſſibile loca omnes muta-
„ re, nec apparet quomodo divexare
„ eos, per vices valeant aqua, & ignis.

„ XII. Sed potiſſimum argumentum
„ eſt, quod Chriſtus *in ignem æternum*
„ illos miſſurus eſt: ignis autem æter-
„ nus eſt, qui jugiter & perpetuo abſque
„ ulla interpolatione torquet. Calor
„ vero & frigus non poſſunt ſimul tor-
„ quere, etiamſi per ſpirituales ſpecies
„ id faciant: quoniam ſenſatio caloris
„ & ſenſatio frigoris mutuo ſe expel-
„ lunt. Nulla ergo erit illic frigoris
„ afflictio.

„ XIII, Jam vero tandem arguitur.

„ Si

„ Si viciſſitudo illa illic locum haberet,
„ maxime ad augendam doloris vehe-
„ mentiam. Sed illa ſatis eſt magna per
„ ſolum ignem, & augeri poteſt, quan-
„ tum æquitas juſtitiæ popoſcerit: er-
„ go officium frigoris ſupervacaneum eſt,
„ atque adeo illic ei non datur locus.

XIV. Nolim ego in hac controverſia ſedere Judex, illudque ſolum aſſero rem eſſe ut minus incertam extantiam frigoris, aut aquæ frigidiſſimæ in inferno: cumque, ut jam ab initio memini me dixiſſe, non arbitratu noſtro, ſive conjecturis definienda ſint Damnatorum ſupplicia, quæ a voluntate Dei juxta ſapientiæ ſuæ ac juſtitiæ leges unice pendent; nihil eſſe plane video in divinis Scripturis, & Eccleſiæ traditione, quod nos ad frigoris pœnam in inferno conſtituendam cogat. Nam in primis quoad textum Jobi, qui ſententiæ affirmantis potiſſimum eſt, ac fere unicum fundamentum, congrue, quin & congruentius de pœna impiorum temporaria explicatur, vel etiam de culpis vitæ præſentis, quemadmodum illum exponunt S. Thomas in Commentario, aliique paſſim Interpretes. „ Imo, inquit
„ Soto, ut meam ignorantiam ſub ali-
„ orum cenſura confitear, miror quo-
„ modo ex illo loco talis fuerit colle-
„ cta ſententia. Objurgat enim illic Job
„ adulterum dicens: *oculus adulteri obſervat*
„ *caliginem*, & inter ejus qualitates ait: *le-*
„ *vis eſt ſuper faciem aquæ*: & maledicens
„ ei ſubdit: *maledicta ſit pars ejus in*
„ *terra: ad nimium calorem tranſeat ab*
„ *aquis nivium, & uſque ad inferos pec-*
„ *catum illius*. Ubi Gregorius nihil de
„ alternatione inferni meminit, ſed ini-
„ quitatem adulteri frigiditatis nomine
„ intellexit, a qua ſolet ad calorem ſu-
„ perbiæ conſcendere. Aut, ſi hoc ma-
„ gis placet, turpes hujus ſæculi vo-
„ luptates, quia refrigeria exiſtimantur,
„ & veluti nix liquefiunt, nivium fri-
„ gori comparavit, a quibus impreca-
„ tur adultero, ut ad nimium inferni calo-
„ rem tranſeat: quia vix ſolent concubi-
„ narii ad cor redire: & ideo explica-
„ tius ſubdit: *& uſque ad inferos pec-*
„ *catum illius*. Non ergo intellexit, quod
„ poſtea futurus eſſet a calore ignis ad
„ frigus nivium regreſſus: ſed quod eſ-
„ ſet a nivibus hujus ſæculi perpetuus
„ ingreſſus.

XV. His addere præſtat, quæ ſcribit P. Franciſcus Suarez loco citato in confirmationem prioris expoſitionis, quæ communior eſt, & probabilior. „ Atque
„ hæc, inquit, expoſitio conſentanea lit-
„ teræ eſt, ſi verbum *tranſeundi* non per
„ modum imprecantis, ſed per modum
„ futuri & affirmantis legatur, ut Hie-
„ ronymus, & D. Thomas, & alii le-
„ gunt. Quia vero probabilius eſt, im-
„ perando, vel deprecando legendum eſſe
„ *tranſeat*, prout vulgata habet editio;
„ ideo convenientius, verba de impreca-
„ tione pœnarum intelliguntur, non ta-
„ men pœnarum vitæ futuræ, ſed præ-
„ ſentis. Nam in verſu præcedenti
„ cœpit Job pœnas peccatori poſtulare
„ dicens: *maledicta ſit pars ejus in terra*,
„ *nec ambulet per viam vinearum*: qui-
„ bus verbis pœnas hujus vitæ peccato-
„ ri imprecatur, utique ſterilitatem terræ,
„ & carentiam omnis refrigerii, & ſolatii:
„ & ſtatim adjungit; *ad nimium calorem*
„ *&c.* ideſt non inveniat in hac vita re-
„ frigerium, ſed ab una graviſſima in-
„ commoditate ad aliam extremam tranſ-
„ eat, & ita vivat, donec ad inferos
„ tranſmittatur: aut etiam ab aquis ni-
„ vium peccatorum ad nimium calo-
„ rem futurum in inferno tranſeat.

XVI. Quoad textum lib. Sapientiæ, nihil ipſum urgere ſatis perſpicuum eſt. Nam præterquamquod ejuſmodi emphaticæ locutiones ad iram Dei erga impios clarius exprimendam referantur, nec in ſenſu rigoroſo & grammatico ſumendæ ſint, loquitur ibi Sapiens non de vindicta de impiis in inferno exigenda, ſed de illa potius, quæ futura eſt in fine mundi, & in ipſo judicii ſupremi die, cum cæli, terra, cæteraque elementa commovebuntur, ut exponunt graviores Interpretes: idque patet ex verbis tum præcedentibus, tum maxime ſubſequentibus. Nam poſt ea verba: *pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos*, ita pergit Sapiens: *ibunt directe emiſſiones fulgurum, & tamquam a bene curvato*

Digitized by Google

vato arcu nubium exterminabuntur, &c. & a petroſa ira mittentur grandines: excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos. Quis non videt hæc verba, etiamſi nolit in eis figuram agnoſcere, intelligi nequaquam poſſe de ſuppliciis inferni, niſi forte adeo deſipias, ut in eo loco etiam fulgura ponas, turgentes nubes, grandines, ventorum turbines, maris & fluminum aquas &c.

XVII. Sed neque quidpiam extundi poteſt, quod affirmanti ſententiæ faveat ex textu Evangelii: *ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Nam ſicut *fletus* juxta communem acceptionem intenſiſſimum dolorem denotat, qui in Damnatis ex propriarum calamitatum conſideratione oritur; ita *ſtridor dentium*, quem realem futurum in aſſumptis corporibus concedere nulla ratio vetat, ex aliis principiis præter frigus oriri poteſt. Stridor quippe ille vel voluntarius eſt, vel neceſſarius. Voluntarius quidem gigni poteſt vel ex iracundiæ furore, quo adverſus Deum Judicem Beatoſque infremunt, vel ex ſera, & inutili deliĉtorum pœnitentia, vel ex bonorum, quæ amiſerunt, memoria. Neceſſarius vero ex vehementia doloris procreari valet, quem ab igne patiuntur. Hinc S. Jo. Chryſoſtomus (*a*) fletum & ſtridorem dentium *cruciatus incredibiles* ſignificare ſcribit: & S. Proſper, ſive Julianus (*b*) *dolores acerrimos:* atque ita etiam alii ſacri Expoſitores interpretantur.

XVIII. Demum quoad Patres attinet, quos producunt tamquam ſuæ ſententiæ faventes: in primis S. Hieronymus in cap. 24. Job non definite, ac firmiter, ſed dubitanter loquitur: *forte*, inquit, *in ipſa Gehenna talis ſenſuum cruciatus fiet illis, qui in ea torquebuntur &c.* Cæteri autem pauci ſunt, ſi cum iis conferantur, qui nullam penitus de hac frigoris pœna mentionem fecere, adeo ut Eccleſiæ traditionem eruere ex illis minime valeas: ſed ut ſummum privatam eorumdem opinationem.

CAPUT VII.

De inferorum igne. Recenſentur, qui illum tropice accipiendum putant: Origenes in primis: qui tamen multorum ſtudio ab hoc nævo purgatur: Calvinus deinde, aliique ex ejus præſertim Diſcipulis. Nimia caſtigatur Theologi cujuſdam Berolinenſis confidentia ferme unanimem de metaphorico ignis ſenſu perſuaſionem jactantis. Quin potius hujuſmodi ſenſus fere ab omnibus improbatus oſtenditur.

I. SEd jam de præcipuo divinæ juſtitiæ ad impios in alia vita torquendos inſtrumento latius diſſeramus: de igne videlicet, cujus tam frequens mentio eſt in ſacrarum litterarum oraculis. An hæc ignis pœna, quam ſupremus judex denunciat, in obvio & nativo ſenſu accipienda ſit, an vero in metaphorico aut figurato, a quibuſdam hac præſertim ætate noſtra in controverſiam adducitur. Et quidem ex Catholicis neminem futurum puto, qui inferni ignem verum & corporeum eſſe negare auſit. Quamquam enim de hujuſce ignis natura nullum hactenus decretum editum fuerit, quod *definitivum* vocant; univerſæ tamen Eccleſiæ conſenſus ſatis oſtendit, quid unicuique tenendum ſit. Hinc ab

T omni-

(a) Epiſt. ad Theod. lapſ.
(b) lib. 1. de vita contempl.

omnibus Theologis ſtatim rejecta, & exploſa ſententia fuit Ambroſii Catharini, qui a proprio, & obvio Scripturæ verborum ſenſu recedens, *ignis* vocabulum allegorice intellexit, deſignatamque ea voce arbitratus eſt ſummam aliquam pœnam, aut cruciatus omnes a reprobis perferendos. Quam quidem ſententiam alii *hæreticam*, alii *hæreſi proximam*, univerſim autem ſaltem *erroneam*, ac admodum *temerariam* appellant.

II. Ex Heterodoxis vero plures ſunt, qui inferorum ignem tropice explicandum eſſe cenſuerunt. Primus omnium, qui hoc diſerte docuerit, creditur Origenes, de quo S. Hieronymus in Epiſt. ad Avitum (*a*) ſcribit: *Ignem quoque Gehennæ, & tormenta, quæ Scriptura ſancta peccatoribus comminatur, non ponit in ſuppliciis, ſed in conſcientia peccatorum, quando Dei virtute, & potentia omnis memoria delictorum ante oculos noſtros ponitur .... & quidquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conſpectu noſtro pictura deſcribitur, at præteritas voluptates mens intuens conſcientiæ punitur ardore, & pænitudinis ſtimulis confoditur*. Locus Origenis, quem præſertim ſugillat Hieronymus, habetur lib. 2. Periarchon Cap. 11, ubi recitata Iſajæ ſententia ex Cap. 50. V. 11, *ambulate in lumine ignis veſtri, & flamma, quam accendiſtis*, ſubdit: *per quos ſermones hoc videtur indicari, quod unuſquiſque peccatorum flammam ſibi ipſi proprii ignis accendat, & non in aliquem ignem, qui antea jam fuerit accenſus ab alio, vel ante ipſum ſubſtiterit, demergatur: cujus ignis materia, atque eſca noſtra ſunt peccata*. Quibus verbis ſatis perſpicue declarare videtur ignis pœnam reprobis denunciatam non aliud eſſe præter conſcientiæ cruciatum, quem ſibi quiſque propriis noxis, ac flagitiis inducit.

III. Quamplures nihilominus ſunt inſignes viri, qui Origenem ab hoc nęvo pro viribus purgant, contenduntque ex illa interpretatione verborum Iſaję, non eſſe hauriendam Origenis mentem quoad naturam ignis ad improbos puniendos a Deo in futura vita paratis, cum pluribus aliis in locis juxta catholicam doctrinam ſcripſiſſe ſatis conſtet. In primis enim in eodem lib. Periarc. paulo inferius obſervat, quod *ſicut in morbis corporalibus primo ferri rigor, & ſectionis aſperitas ſolet juxta morbi qualitatem adhiberi, & tandem etiam adhibetur ignis; quanto magis*, inquit, *intelligendum eſt & hunc medicum noſtrum Deum volentem diluere vitia animarum noſtrarum, quæ & peccatorum, & ſcelerum diverſitate collegerat, uti hujuſmodi pænalibus curis: inſuper etiam ignis inferre ſupplicium his, qui ſanitatem animæ perdiderunt:* ubi diſtinguit conſcientiæ anguſtias & curarum morſus a pœna ignis, qua tandem improbos cruciandos eſſe decernit. Sed clarius mentem ſuam exponit *Comment. in Matth. n.* 72. (*b*), ubi declarans verba illa Chriſti: *ite maledicti in ignem æternum*, ait: *qui autem recedunt ab Jeſu decidunt in ignem æternum, qui alterius generis eſt ab hoc igne, quem habemus in uſu*. Sed in quo ſita eſt ejuſmodi diverſitas? Num fortaſſe, quod noſter ignis verus, ac materialis eſt: ille autem ſpiritualis, aut allegoricus? minime. Sequitur namque: *nullus enim ignis inter homines eſt æternus, ſed ne multi temporis: extinguitur enim cito: æternus autem ignis eſt ille, de quo & Iſajas dicit in fine prophetiæ ſuę:* vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.

IV. Alia duo loca profert in defenſionem Origenis S. Pamphilus Martyr in Apologia: primum ex Comment. in Proverb. Salomon. ubi ſcribit: *manifeſtum eſt, quod una pœna tam dæmonum naturę, quam humano generi peccatorum a Domino præfinita ſit illa, quam Dominus ſua ſententia deſignavit dicens:* ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus: *oſtendens quia eadem ſpecies pœnarum peccatoribus hominibus, & angelis ejus præparata ſit, licet in eadem pœna*

(*a*) Num. 7 Tom. I. edit. Veron. (*b*) Edit. Monach. S Mauri.

pœna diverſa ſit quantitas pœnæ. Alterum vero ex comment. in pſal. 6. ubi ait: *poſſibile eſt conſiderare ex his maxime doloribus, quos in hoc corpore poſiti ſentimus &c. Si in hac præſenti vita tam intolerabiles ſunt pœnarum dolores, quid putandum eſt, cum non jam anima craſſiori utetur indumento, ſed cum id ſpirituale effectum ex reſurrectione recipiet; & eo vehementius utique quo ſubtilius eſt, ſentiet vim doloris*. Quibus verbis non interiorem animæ cruciatum, ſed extrinſece adhibitum tormentum ſatis perſpicue deſignat. Atque eadem vel paria habet lib. 5. cont. Celſum, Homil. 4. in Iſajam, Homil. 8. in Joſue, & aliis locis.

V. Sed ut ut ignem inferni intelligendum putarit Origenes, illud pro comperto eſt, ſequiore ævo plures Origenis diſcipulos anſam arripuiſſe ex laudatis *Periarchon* verbis promovendi ſententiam de igne metaphorico. Id ſiquidem diſerte teſtatur Oroſius in commonit. ad S. Auguſtinum de erroribus Priſcillianiſtarum, & Origeniſtarum (*a*). Queritur enim quoſdam Origeniſtas jactare ſolitos, *ignem æternum, quo peccatores puniuntur, non eſſe ignem verum, dicentes dictum eſſe ignem propriæ conſcientiæ punitionem*.

VI. Sententiam eamdem non uno in loco docet Calvinus. Lib. 3. Inſtit. cap. ult. definit, *infernum nihil aliud eſſe, niſi conſcientiæ horrorem*. In Epiſt. ad Hebræos cap. 10., *ignem, quem reprobis ſcriptura minatur, eſſe malæ conſcientiæ cruciatum*. Et in caput 3. Matth. *de igne æterno*, inquit, *ſcio argute a multis fuiſſe diſputatum; at colligere licet metaphoricam eſſe locutionem*: quod & repetit in caput 25. ejuſd. Matth.

VII. Calvini veſtigia ſecuti ſunt diſcipulus ejus Theodorus Beza, & Lambertus Danæus. Prior *in confeſſione fidei* nedum Damnatorum pœnas nudum terrorem eſſe cum Magiſtro conſtituit, & *anxietatem conſcientiæ cogitantis Deum ſibi eſſe iratum, & infenſum*, ſed etiam *ad aniles fabulas rejicit, quæ de inferni doloribus alii ſcripſere, quas toto animo execrari ſe garrit*. Alter vero in caput 109., & 113. Enchiridion S. Auguſtini in ſcholaſticos Theologos invehitur, affirmantes ignem inferni corporeum eſſe, vereque comburere. Horum opinationem alii deinceps complexi ſunt, quos inter Daniel Claſſenius recenſet *Junium, Filenum & Raimoldum*, qui illud præcipue urgent, quod materialis, & corporeus ignis non ſit aptus, & idoneus corporibus, animiſque Damnatorum, & cacodæmonum ſubſtantiis ſpiritualibus cruciandis.

VIII. At nemo confidentius hanc ſententiam propoſuit, quam nuperus Theologus Berolinenſis (*b*), de quo ſupra mentionem fecimus, quem laudat ac ſequitur Franciſcus Roches Paſtor Genevenſis Epiſt. 37. Poſtquam enim conceptis verbis aſſeruit verum, ac proprie dictum non eſſe ignem in ſacris litteris ad puniendos impios denunciatum, ſubjicit, *jamdiu conſenſiſſe homines, aut Theologos, Scripturæ verba de hoc igne prolata in ſenſu metaphorico accipienda eſſe, adeo ut ignis ille ferme extinctus fuerit* (*c*). Quo nixus fundamento hoc obtrudat, plane me latet; immo verius dixerim enormi nimium confidentia fuiſſe locutum, dum talem conſenſionem jactat, & quidem jampridem obtinentem, tamquam omnibus exploratam. Nam ſi nullo etiam in pretio habeat Theologos omnes catholicæ Religionis, totiuſque Eccleſiæ Romanæ ſenſum, quem nullus profecto non iniquus æſtimator flocci fecerit; neque Lutheranos Theologos, neque Calviniſtas conſentientes afferre poteſt: cum eorum plures, iique magnæ apud eos authoritatis oppoſitum diſertiſſime docuerint, ac doceant. Teſtatur D. Swinden Theologus Anglus, qui hoc ſæculo ſcripſit (*d*), hanc eſſe *fidem Eccleſiæ Anglicanæ*, ignem ſcilicet inferni verum, ac materialem eſſe; producitque in teſtes tres præ cæteris eximios ejuſdem Eccleſiæ Theologos, nimirum Doctorem Barrow

(a) Inter opera S. Auguſt. Tom. 8. edit. Monach. S. Mauri. (b) Tom. 45. Biblioth. German. pag. 95. (c) Il y a deja long temps, qu'on eſt convenu du ſens metaphorique des expreſſions de l'Ecriture là deſſus, & qu'on a preſque éteint ce feu.

(d) In ſuo libello, cui titulus *Recherches &c.*

in *expoſitione ſymboli*, celebrem Hammondum *in ſuis commentariis in Matth.* ad illa verba *cap.* 25. *diſcedite a me maledicti in ignem æternum &c.*, & perdoctum Epiſcopum Bilſon, qui & verum ignem in inferno, & ſulphur etiam ejus eſſe materiam ex locis Apocalypſeos probari contendit. Alios item memorat ex aliis Proteſtantium Eccleſiis primi apud illas ſubſellii Theologos ejuſdem ſententiæ defenſores, ac vindices, nempe Petrum Martyrem *in lib. Regum*, Munſterum *annot. in caput.* 30. *Iſajæ*, Bullingerum *Homil.* 90. *in Iſaj.*, Qualterum *homil.* 163. *in Iſaj.*, Muſculum *in Matth. cap.* 25. & Zanchium *de operib. Dei* 1. *par. lib.* 4. *cap.* 19.

IV. Plures alii etiam inter Lutheranos recenſeri poſſunt ſententiæ ejuſdem Patroni: quos inter Centuriatores Magdeburgenſes *Centuria* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. in fine, ubi de igne æterno agentes inquiunt: *quem crebibile eſt non tantum ſpiritualem, ſed & corporalem futurum, cum tam ſæpe ſic loquatur ſcriptura*. Sed egregium ſane Eccleſiæ ſuæ ſenſus teſtimonium perhibet Jo. Franciſcus Buddæus, qui poſtremis hiſce annis inter Lutheranos floruit, ac fortaſſis hodieque floret, dum *in Inſtitut. Theologico-dogmaticis* lib. 2. cap. 3. n. 16. ſcribit: *non eſſe dubium, quin ignis, cujus in cruciatibus Damnatorum mentio injicitur, proprie ſic dictus intelligendus ſit, ſed talis, qui in corpora hominum, qualia poſt reſurrectionem futura ſunt, agere, & dolorem in illis excitare poteſt*. Neque enim id extra dubitationem conſtitutum poſuiſſet, ſi hanc in Eccleſia ſua doctrinam vigere, & communius ſaltem approbari non perſpexiſſet. Nam Author idem de æternitate pœnarum agens eos non prætermiſit, qui ex Lutheranis novum Origeniſtarum commentum amplexi fuerant. Nihil igitur eſſe video, cur tanta confidentia jactare poſſit ſcriptor Berolinenſis conſenſum Theologorum unanimem diu jam obtinentem de igne inferni metaphorico, adeo ut jam fere ignem illum extinxerint, quem veteres olim accenderant; mirarique ſubit fucum ſibi fieri paſſum Miniſtrum de Roches ab hoc Authore naves omnes in Pyræo ſtantes ſuas eſſe temere venditante, dum paucos admodum, ſi cum aliorum numero præſertim conferas, Theologos numerare valet ſuæ ſententiæ fautores.

X. Quamquam ergo nonnulli extiterint, ac extent, qui Scripturæ verba de igne ſempiterno in allegorico ſenſu intelligenda putent; fateantur omnes oportet longe adeo plures eſſe, qui eadem in proprio ſenſu accipiunt, ut comparatione inſtituta, prior ſententia vix ulla gaudeat ejus generis probabilitate, quæ a ſolo ſcriptorum numero & authoritate depromitur. Nam præter conſenſum Eccleſiæ Romanæ quem ab Apoſtolorum ævo continenti Patrum traditione ſemper obtinuiſſe manifeſtum faciam, præter Heterodoxos, quos modo memoravimus, cæteræ quoque Orientales Eccleſiæ a Romana nunquam ſatis deplorando ſchiſmate ſejunctæ, in eamdem ſententiam unanimiter conſpirant. De Eccleſia Græca res ſatis comperta eſt. Hinc tametſi in Concilio Florentino Græci Patres non eadem ſenſerint, ac Latini quoad ignem purgatorium, quo electorum animæ temporaliter expiantur, nulla tamen de reproborum æterno igne diſſenſio fuit; pluraque affert Allatius diſſert. 2. de lib. Eccleſiaſt. quibus Eccleſiæ Græcæ conſenſus in eo dogmate evidenter adſtruitur. Coptos pariter, Neſtorianos, Æthiopes, aliaſque Chriſtianas gentes idem omnino ſentire liquet tum ex earum Liturgiis, qua publici juris fecit Renaudotius, tum ex iis ſcriptoribus, qui harum Eccleſiarum dogmata, ritus, aut hiſtoriam tradidere (*a*).

XI. His omnibus adnectere lubet etiam Judæorum, & Mahumedanorum, aliorumque de Gehennali igne perſuaſionem, non quaſi magni pendam hac in re eorum authoritatem, ſed eo fine duntaxat ut conſtet, quam late ſemper apud

(a) Legi poteſt inter alios Jovethus Tom. 1. de Relig. totius mundi.

Digitized by Google

apud homines invaluerit, ac invaleſcat ea ſententia, quæ verum illum, materialemque profitetur. Ac Judæi quidem tum ob Scripturæ Sacræ textus, tum propter majorum ſuorum traditionem eam concorditer tenuerunt, retinentque, licet nonnullis erroribus, ac figmentis ex rabbinica vena prodeuntibus obvolvant: ut inter alios obſervat Bartoloccius (*a*), qui etiam perhibet eoſdem docere *ignem illum tenebroſum eſſe, ut eſt ignis in materia opaca terreſtri, ut in ſulphure, & fumo denſo, cujus claritas per eum offuſcatur*: & ob hujuſmodi rationem tenebræ dicuntur eſſe in inferno, ut habetur in *Veellè Scemoth*, *Rabbà Paraſcit* ad illud Pſal. 18. *ponet tenebras latibulum ſuum*. Hunc etiam ignem Leo de Mutina in *lib. Judæor. Cærem.* die Sabbati propter feſtivitatis honorem extingui fabulatur.

XII. Gemina ſæpe tradit de inferni igne Mahumedes in Alcorano. Nam Sura 28. *incredulos*, inquit, *die Judicii prorſus ignis circumdabit*. Et Sura 32. *Incredulis Deus aptabit veſtes igneas, eorumque ventres, & capita igne volvens, & revolvens perpetuo exire inde volentes repellet*. Clariſſime vero Sura 62. ſcribens: *Dei vindicta ſuperveniet, quam nemo evitare poterit... Tunc ad ignem Gehennæ vocatis Deus inquiet: hic eſt ecce ignis, cui ſæpius audiendo contradixiſtis. An hunc imaginarium, atque magicum, an vero verum ignem eſſe jam videtis? illum igitur patienter ſuſtinete: non minus enim patiemin., ſi ſuſtinere nolueritis: quia ſecundum opera veſtra meritum ſuſcepturi eſtis*. Quam doctrinam religioſe recipiunt, ac probant Mahumedani, ut videre eſt apud Hottingerum lib. alibi cit. pag. 253., & D. d'Herbelot in biblioth. Orient. pag. 368.

XIII. Demum & ipſis Gentilibus eadem ſedit opinio, quam ſicut & alia multa hauſerunt ex ſacris libris juxta veteres Patres, & plures recentes eruditiſſimos viros Huetium, Natalem Alexandrum, Voſſium, Bochartum, Bullum, alioſque. Hinc in inferno Pyriphlegetontem conſtituerunt, ſeu amnem igneum, in quem ſceleſti, ac facinoroſi homines devolverentur: de quo tum Plato, tum alii antiqui, tum præcipue Poetæ frequenter mentionem faciunt. Multas etiam nunc eſſe infidelium nationes, quæ idem cenſeant, ex teſtimoniis, quæ ſuperiore libro deſcripſimus, manifeſtum eſt.

CAPUT VIII.

Scripturæ Sacræ loca, ubi de inferorum igne mentio fit, collectim proponuntur: eaque in primis, quæ extant in veteri teſtamento, & de futuro impiorum ſupplicio omnino intelligenda ſunt, quorum aliqua vindicantur ab ineptis quorumdam interpretationibus. Ea deinde, quæ extant in Evangeliis, aliiſque novi fœderis canonicis libris longe plura, atque clariora.

I. PRoductis jam præcipuis Authoribus, qui Gehennæ ignem non verum ac proprium opinantur, ſed metaphoricum aut figuratum, concertationem adverſum ipſos aggredior, communemque Eccleſiæ Doctrinam pro viribus defendendam, & in tanta luce collocandam ſuſcipio, ut ſiquis rem hanc nondum ſatis exploratam habuerit, eum pudeat de tam aperta veritate ſolummodo dubitare. Quoniam vero præcipuum argumentum promitur ex ſacrarum litterarum authoritate, illudque inviĉtiſſime conſtat non ex uno vel altero eorumdem textu, ſed ex omnibus maxime collectim ſumptis, qui ſibi invicem adſtipulantur, ſeque magis declarant ac firmant; ideo valde proderit omnes in anteceſſum ſub uno veluti oculorum aſpectu proponere, quos

(*a*) In Bibliothec. Rabbin. Tom. 2. Diſſert. de Infern.

quos deinceps attento ſtudio ponderabimus, pluraque inde eliciemus firmiſſima argumenta. Ex his porro nonnulli proſtant in veteri Teſtamento; plures vero, iique luculentiores in novo.

II. Atque ut a veteri ordiamur teſtamento, occurrit in primis locus celebris ex Deuteronomio cap. 32. 22. *ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad Inferni noviſſima:* in quo ſermonem eſſe de pœna, qua improbi in futura vita plectendi ſunt, tradunt plerique, & graves etiam ſcriptores, ac interpretes: quos inter Galatinus lib. 7. cap. 9. ex Gloſſa in libro Tanhuma refert, *ignem ſuccenſum in ira Dei idem eſſe, quod in medio Gebennæ*. Et Grotius pariter ad hunc locum teſtatur Hebræos nomen Sceol, ſive inferni, quod hic legitur, intelligere *graviſſimarum poſt hanc vitam pœnarum regionem, aut ſtatum*. Et ſi quidem ita locus iſte ſumatur, decretorius plane eſt pro ſententia, quam defendo. Ea namque quæ de igne illo in furore Dei ſuccenſo Scriptor Sacer enarrat, non niſi de vero, ac materiali intelligi valent. Sed quoniam Vatablus, Clarius, Grotius idem & alii (*a*) locum hunc exponunt de igne terreſtri conſumente omnia uſque ad radices defixas intra terram, & ſaltem probabilis eſt horum opinio; iccirco huic textui non inſiſto quemadmodum nec aliis nonnullis, quæ a doctis etiam ſcriptoribus afferuntur, qui ſatis commode de temporaria punitione explicari queunt, & ad certiora progredior.

III. Primus locus habetur apud Jobum cap. 20., in quo ſupplicia deſcribuntur tum hujus vitæ, tum futuræ, quibus Deus in impium hominem animadvertit; & poſt plura ibi recenſita com. 26. ſic ait: *omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis ejus; devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur*: ſive ut in Hebræo, *qui ſlat u non excitatur:* qua in lectione conveniunt Vatablus, Clarius, Munſterus, Caſtalio, Druſius, Grotius, & alii, a quibus non diſſentit Pagninus, dum vertit: *ignis inextinguibilis*: talis quippe ignis *halitu*, ſive *inſufflatione* non indiget. Locum hunc de pœna alterius vitæ intelligendum eſſe ſatis manifeſtum eſt. Nam præter ipſa verba, quæ congruam aliam expoſitionem non patiuntur, favent ea, quæ immediate ſequuntur, nempe: *revelabunt cæli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum*, utique in extremo Judicii die; ſequitur enim *detrahetur in die furoris Domini:* ſic enim Judicii dies a Prophetis appellari conſuevit. Ac tandem concludit: *hæc eſt pars hominis impii a Deo, & hæreditas verborum ejus a Domino*, ſcilicet, hæc eſt pœna a Deo definita, quæ impium manet, non alia ſane, niſi quam Juſtiſſimus Judex in illa die irrogaturus eſt. Favent etiam Paraphraſis Chaldæa, quæ ita legit: *conſumet eum ignis Gebennæ, qui non eſt ſufflatus*, & reliquæ verſiones, quas inter ea quæ Clarii & Munſteri eſt, habet: *multa pericula, quæ impius non prævidet, manent eum, quouſque tandem perpetuo igni, qui ſufflatione opus non habet, tradatur* (*b*). Favent demum Eccleſiæ Patres, qui in librum Jobi ſcripſere, & celebriores quique Expoſitores Druſius, Pineda, a Lapide, Tirinus, aliique communiter; ex quibus poſtremus ſic aptiſſime ea verba declarat: *devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur, alimento terreno, vel flabello; ſed ſemel ab origine mundi a Deo ſuccenſus in ſemetipſo cum ſuis fomentis inconſumptibilis æternum ardebit, Deo illum conſervante ad æternum impiorum cruciatum*.

IV. Litteraliter etiam de inferni cruciatibus accipiuntur duo præ aliis Pſalmorum loca, quorum alter petitur ex Pſalmo 10., alter vero ex Pſal. 139. Prior juxta Vulgatam ita legitur: *pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*. Vel juxta Hebraicum textum: *pluet ſuper impios laqueos, vel carbones, aut prunas; ignis, ſulphur & ſpiritus vertiginum, aut terrorum erunt pars calicis eorum*.

(a) Videſis *Critica Sacra* ad hunc locum.

(b) In Criticis Sacris.

rum. Alludit hic Regius Pſaltes ad Sodomorum incendium, inſignem nempe illam divinæ juſtitiæ ultionem, quæ ſecundum Apoſtolum Judam *com.* 17. figura eſt ignis æterni, quem hic deſignat. Et certe tum antecedentia, tum conſequentia hunc ſenſum definiunt. Præmittit enim Propheta, quod *Dominus interrogat*, aut juxta vim hebraicæ vocis *probabit*, aut *examinabit*, in tremendo ſuo judicio, *juſtum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam*: utique quia in ſemetipſum eam *ignis* pœnam, *ſpiritusque procellarum*, aut *terrorum* accerſit, quam mox commemorat. Ac denique hujuſce ultionis hanc rationem aſſignat: *quoniam juſtus Dominus, & juſtitiam dilexit; æquitatem vidit vultus ejus*, retribuendo videlicet unicuique juxta opera ſua.

V. Locus alter ſic effertur in noſtra Vulgata: *cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos; in miſeriis non ſubſiſtent*. In textu autem hebraico: *conjicientur ſuper illos carbones; in ignem eos ruere facies, & in miſerias, ubi non ſubſiſtent*, vel ut alii legunt, *non evadent amplius fovea, in quam ceciderint*. Sermonem hic fieri de peccatoribus a Deo puniendis, res eſt explorata. De punitione autem non præſentis vitæ, ſed futuræ, textum hunc intelligere cogunt tum ipſa verba, quæ certam pœnam exprimunt impiis omnibus inferendam, & quidem in loco, a quo nunquam emergant, qui alius plane non eſt, niſi infernus; tum quia ibidem dicitur, quod *virum injuſtum mala capient in interitu*, ſive ut legit Chaldæus, *virum pravum, & operatorem malorum venetur Angelus mortis, & detrudat eum in Gehennam*. Tum demum quia ſubjicitur: *cognovi, quia faciet Dominus Judicium inopis, & vindictam pauperum. Veruntamen juſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo*, ſeu, ut Vatablus, *coram facie tua*, aut *in conſpectu tuo perpetuo vivent*: quibus exprimitur Judicium, quod aliquando facturus eſt Dominus, & vindicta de improbis ſumenda, præmiumque, quod in æterna vita juſti recipient. Præter hæc plures locum illum urgere ſolent ex pſalm. 20.: *pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis*. Verum cum originarius textus ſenſum alium exhibeat, quam qui ſpecie tenus in his verbis apparet, ab eo afferendo abſtinemus.

VI. Plura in præſens argumentum teſtimonia ſuppetit Propheta Iſajas; ſed tria præcipua ſunt. Primum habetur cap. 33. com. 14. *conterriti ſunt in Sion peccatores; poſſedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis?* Mentionem hic fieri de pœnis impiorum poſt hanc vitam luendis tradunt S. Hieronymus, Procopius, & alii Patres; tradunt etiam Forerius, a Lapide, Calmetus, Tirinus, & communiter Interpretes tum Catholici, tum Proteſtantes. Equidem aliqui ex his poſtremis diſſentiunt *per ignem conſumentem* intelligentes vel Deum peccata populi ſui per Aſſyrios punientem, ut Pelicanus, & Piſcator: vel exercitum ipſum Aſſyriorum, cujus vim Judæi ſubſtinere non poſſent, ut Ugo Grotius. Verum hos omnes adeo nervoſe refellit Doctiſſimus inter eos Campejus Vitringa (*a*), ut omni penitus probabilitate ipſorum interpretationem exuerit; qui poſt plura erudite animadverſa, ita demum concludit. " Sub notionem ignis conſumentis, & focorum " æternorum non tantum cogitabis de " puritate & zelo Dei in vindicanda gloria ſua, veluti fundata in æterna Dei " natura; verum etiam de certa Dei voluntate gloriæ ſuæ læſæ in peccatoribus impœnitentibus ulciſcendæ in " æternum ſupplicio ſummo, & graviſſimo expreſſo per illius ſententiæ verba, " *execrandi abite in ignem æternum*. Chaldæus hoc loco de impiis judicandis " exponit, & tradendis Gehennæ incendio æterno. Hoc poſtulatum eſt divi-

" næ

(a) In hunc Iſajæ locum.

„ næ Juſtitiæ. Supplicia hujus vitæ „ temporaria non explent emphaſim „ phraſios *ignis conſumentis*, *& focorum æternorum*„ Hæc ille.

VII. Locus alter inſignis legitur cap. 30. com. 33. juxta Vulgatam: *præparata eſt enim ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa. Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*. Spectaſſe Prophetam his verbis infamem Damnatorum ſedem conſentiunt Sacri Expoſitores, vix ullo diffidente, S. Hieronymus, Forerius, Munſterus, Vatablus, Clarius, a Lapide, Calmetus, Vitringa, &c.; ex quibus Clarius, & Munſterus poſtquam adnotarunt, Iſajam deſignaſſe *Aſſyrios non tantum in hoc mundo feriendos, ſed etiam in futuro infernalibus pœnis perpetuo cruciandos*, hæc ſubdunt (*a*): “ Gehenna enim hic Tophet dicitur; & fortaſſe alibi tam clare deſcriptam non invenies, conſentientibus etiam hebræis cum noſtris „ ſcriptoribus. Et primo quidem dicitur *præparata ab heri*, hoc eſt ab initio mundi: hoc enim *heri* non raro in „ Scriptura ſignificat juxta illud Hebr. 13. *Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula*. Hebræi quoque exponunt „ infernum jam antea paratum prædicentibus Prophetis, &c. Secundo indicat Propheta profundum eſſe infernum, & latum, quo agnoſcas multitudinem damnandorum. 3. dicit habitaculum illud eſſe igneum, ut intelligas cruciatum perpetuum. 4. Gehenna „ eſt æterna; quia Spiritus, & voluntas „ Domini perpetuam vim incendii ſuppeditat„. Vitringa quoque in hunc locum, ita inter cætera alia ſcribit: „ realis interpretatio Emblematis non „ poteſt videri obſcura peritis verbi Prophetici. Hieronymus hic ſecundum „ hypotheſim ſuam cogitat *de lata, & ſpatioſa Gehenna* Dæmones, hoſteſque „ populi Dei æternis uſtura ardoribus. „ Nec aliter Paraphraſtes. Verba ejus: „ *etenim ordinata eſt a ſæculis Gehenna* „ *propter peccata eorum*. Certe Propheta ſic ſcripſit ut pingendo infernum „ terreſtrem, & temporarium, qualem „ hic deformat, nobis ob oculos poneret imaginem inferni veri, & æterni „.

VIII. Poſtremus Iſajæ locus, iſque celebratiſſimus ſumitur ex cap. 65. com. 24, ubi totam ſuam prophetiam ita concludit: *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni*. Loqui hic Prophetam de damnatorum ſuppliciis nemo ex omnibus Patribus, & Expoſitoribus, quos conſulere licuit, non conſentit præter Grotium, quem egregie refutat, & caſtigat laudatus Vitringa, ejuſque explicationem nedum improbabilem, ſed & ridiculariam patefacit. “ Illuſtris Vir, inquit, Ugo Grotius, „ cui hic loci adhuc dum obverſantur „ imagines rerum Machabæicarum, tentavit cum his componere hæc verba „ prophetica *cata gramma* interpretando: „ quod ſane idem eſt, ac ſiquæ fabuloſa „ vetuſtas reliquit de Prometheo, Ixione, Tantalo (abſit comparationis irreverentia) hiſtorice interpretaretur. „ Sed adverte animum ad ea, quæ ad hęc „ verba adſcripſi: *vermis eorum non morietur*, ideſt, *diu vermis paſcetur illorum*, „ *qui in Antiochi partibus fuerint, cadaveribus, quia ſepultura indigni judicabuntur. Et ignis eorum non extinguetur*, „ ideſt *ignis ſigna in oppidis accenſis*. Hei „ mihi, vir magne, quorſum abis? Num „ vermes longius eorum depaſcuntur cadavera, qui ſepultura indigni habiti „ relinquuntur in campis, quam qui putreſcunt in ſepulcris? Cadavera inſepulta a vulturibus, percaopteris, corvis „ feris carnivoris utique magis vorantur, quam a vermibus, & ab iis multo „ citius abſumuntur, & exeduntur, quam „ ſepulta a vermibus. Num. incendia „ oppidorum, & caſtrorum horum defectorum a Machabæis facta ullo ſermone hominum dici poſſunt *ipſorum ignis*? Ignis ipſorum eſt ignis, qui ipſos „ urit, & abſumit; ignis *oppidorum*, & ca-

(a) In Criticis Sacris.

„ *caſtrorum*, qui caſtra conſumit. Quid
„ ad judicatos & mortuos attinebat, ſi
„ ipſorum ædes, & caſtra longum ferrent
„ incendii notas? Poterat id eſſe incom-
„ modum aliis, non ipſis. Eſt præterea
„ hic mentio *de igne non extinguendo*,
„ *& verme non morituro*: non longum
„ ſævituro, longum roſuro &c.„ Ac
ſubinde communem interpretationem roborat authoritate Judæorum, & Interpretis Chaldæi, qui viderunt exerte hoc loco deſcribi ſupplicium Damnatis a Deo decretum ferendum ab iis in æternum, docetque hinc Sanctis antiqui fœderis natam eſſe Gehennæ notionem, quam poſtea Chriſtus Dominus, & Apoſtoli commendarunt, & clarius expoſuerunt.

IX. Duo alia teſtimonia de ſupplicio futuro intelligenda ſubminiſtrant libri Judith, & Eccleſiaſtici, qui licet ab Heterodoxis tanquam canonici non recipiantur, non poſſunt tamen non eſſe magnæ etiam apud eos authoritatis. Judith quidem ita loquitur cap. 16. com. 20.: *Dominus Omnipotens vindicabit in eis* (impiis): *in die judicii viſitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant*, vel juxta Græcam lectionem, *& lugeant uſque in ſempiternum*. Agit hoc loco Mulier Sancta generatim de Gentilibus procacibus, & ſuperbis, qui adverſus verum Deum, Deique populum efferatis ſcelerum conatibus inſurgunt, deque his prænunciat nomine ignis & vermis ſupplicium a Divina Juſtitia exigendum, non in hac vita tantum, ſed potiſſimum in futura, ut & ex verbis, quæ præmittit, & ex iis, quæ ſequuntur, quam maxime elucet. Loquitur enim de ea vindicta, quam Supremus Judex expoſcet in extremo die Judicii, & quæ nullum finem habitura eſt, ſed uſque in ſempiternum duratura.

X. Eccleſiaſtici vero cap. 21. com. 10. dicitur: *ſtuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis*: Complut. addit *in perditione*. Sive nomine *conſummationis* intelligas peccatorum conſumtionem, ſive melius juxta græcam vocem *finem*, conſtat hic ſermonem eſſe de ultione Dei exercenda in impios ad inferna detruſos, veluti *ſtuppam* ad combuſtionem collectam: quod comma ſequens confirmat: *via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*. De eodem enim peccatorum ſupplicio agitur in utroque loco. Plura alia Veteris Teſtamenti loca miſſa facio, quæ non ſine aliqua probabilitatis ſpecie de pœnis temporariis, aut præſentibus explicari poſſunt.

XI. Frequentiora longe ſunt, & clariora, quæ de inferorum igne proſtant in novi Teſtamenti libris oracula, neque laborandum nobis eſt, ut ea ad futura ſupplicia referri commonſtremus, cum nulla de his poſſit eſſe controverſia. Quare ea tantummodo proponemus. At primum Matth. 3. c. 10. prædicit S. Joan. Baptiſta turbis ad eum concurrentibus, quæ mala ipſis impenderent, niſi fructus dignos pœnitentiæ feciſſent. *Jam ſecuris*, inquit, *ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*; & com. 12. prænuncians, quæ facturus eſt Salvator erga juſtos, & injuſtos ait: *congregabit triticum in horreum: paleas autem comburet igne inextinguibili*. Prior ſententia *omnis arbor &c. excidetur, & in ignem mittetur*, habetur etiam ex ore Servatoris noſtri apud eumdem Matth. cap. 7. com. 19., & ejuſdem Joannis Præcurſoris apud Lucam cap. 3. com. 9.

XII. Matth. cap. 5. com. 22. Chriſtus ita comminatur: *ego autem dico vobis; omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Judicio; qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit Concilio; qui autem dixerit fatue, reus erit Gehennæ ignis*. Atque hic eſt primus locus in Novo Teſtamento, ubi nominatur Gehenna; quam ſubinde eodem capite iterum, atque iterum memorat inquiens com. 29.: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in Gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te; expedit enim*

tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in Gehennam. Porro Gehennæ nomine deſignari locum, in quo magnus nutritur ignis ad impiorum punitionem, res eſt compertiſſima, tum ex ipſo verborum contextu, tum ex iis, quæ ſuperius late dicta ſunt agentes de voce Gehennæ: tum vel maxime quia idem S. Matth. eaſdem Chriſti ſententias referens cap. 18. a com. 8. habet: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quam duos occulos habentem mitti in Gehennam ignis*. Ubi apparet utrumque pro eodem uſurpari, *Gehennam* videlicet, & *ignem*, in quem conjiciuntur Damnati. Quod clarius adhuc expreſſit S. Marcus cap. 9. Chriſti ſententiam ſecundo, ac tertio repetens his verbis: *bonum eſt tibi &c., quam duas manus habentem ire in Gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Bonum eſt tibi &c. quam duos pedes habentem mitti in Gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis &c. & ignis non extinguitur. Bonum eſt tibi &c. quam duos oculos habentem mitti in Gehennam ignis; ubi vermis &c., & ignis non extinguitur. Omnis enim igne ſalietur*. Quibus evidens eſt idem eſſe apud S. Evangeliſtam *Gehennam*, & *ignem*, ſumique indifferenter & locum continentem, & rem in ipſo contentam. Hinc etiam in eodem ſenſu de Gehenna fit ſermo Matth. cap. 10. com. 28.: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in Gehennam*. Quam ſententiam Lucas ita refert cap. 12. com. 15.: *timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in Gehennam*. Et Matth. cap. 23. com. 15.: *væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ*, ſeu deſtinatum igni æterno. Et com. 33.: *quomodo fugietis a judicio Gehennæ?*

XIII. Præter hæc illuſtris locus extat capite 13. ejuſdem S. Matth. com. 24., ubi Divinus Magiſter proponit parabolam de tritico, & zizaniis, quæ cum eodem in agro una creviſſent, tempore meſſis ab invicem ſecernuntur, & zizania quidem alligantur in faſciculos ad comburendum, triticum autem in horreum Domini congregatur. Deinde cum requiſitus eſſet a Diſcipulis ut eam exponere dignaretur, ſubjecit a com. 38. *zizania filii ſunt nequam.... Meſſis vero conſummatio ſæculi, meſſores autem ſunt Angeli. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur; ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Et adducta itidem parabola de ſagena miſſa in mare, & ſeparatione facta piſcium bonorum, & malorum, ſubdit: *ſic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus, & ſtridor dentium*.

XVI. Demum idem S. Matth. cap. 25. com. 41. adducit terribilem illam ſententiam, quam in ſupremo die judicii Judex vivorum, & mortuorum Chriſtus Jeſus ſe pronunciaturum denunciat in omnes, qui a ſiniſtris ejus erunt, ſive in reprobos his verbis conceptam: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis ejus*. Cujus poſtea executionem refert inquiens: *& ibunt hi in ſupplicium æternum*, ſive ut legit Auguſtinus, *in combuſtionem æternam: juſti autem in vitam æternam*.

XV. Non abſimili modo Damnatorum pœnam exprimunt ceteri tres Evangeliſtæ. Marci ſententias jam attulimus, quemadmodum & Lucæ Cap. 3. Com. 9. Sed iſte alibi quoque de pœna ignis mentionem facit, in ea ſcilicet celebri narratione ſive hiſtoriam, ſive parabolam appellare mavis de Divite, & Lazaro. Nam poſtquam Divitem ob vitam in deliciis traductam, & immiſeri-

Digitized by Google

miſericordiam in Pauperes ad inferos damnatum deſcripſit, illum conquerentem inducit de ardore ignis, quo horrendum cruciabatur iis verbis: *crucior in hac flamma*. Unde & aquam poſcebat ad aliquod iſtius ardoris refrigerium. Evangeliſta etiam Joannes Cap. 15. com. 6. memorat verba a Chriſto prolata de quovis, qui ſibi per unionem gratiæ & charitatis non adhæſerit, nempe: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*: quibus ſignificat pœnam abſque vita ſupernaturali decedentibus inferendam.

De hoc eodem igne teſtimonia non deſunt in Paulinis Epiſtolis. 2. ad Theſſalon. Cap. 1. com. 8. loquens Apoſtolus de ſupplicio, quod reprobis Chriſtus irrogaturus eſt in ſecundo ſuo adventu, illud repræſentat *in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus*. Ad Hebręos etiam Cap. 10. com. 26, *voluntarie*, inquit, *peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia: terribilis autem quædam exſpectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumtura eſt adverſarios*.

XVI. Sed frequentiſſima ſunt in Apocalypſi. Cap. 14. com. 10., de omnibus qui *beſtiam adoraverint*, dicitur: *cruciabuntur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni*. Cap. 18. com. 8. de muliere fornicaria legitur: *quantum glorificavit ſe &c. in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis eſt Deus, qui judicabit illam*. Cap. 19. 20: *Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea Pſeudopropheta..... vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*. Cap. 20. 9. *Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia, & Pſeudopropheta cruciabuntur nocte ac die in ſæcula ſæculorum*. Et com. 14. *Judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera eorum, & mors, & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis: hæc eſt mors ſecunda. Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*. Cap. 21. 8. *Timidis autem & incredulis, & execratis &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure: quod eſt mors ſecunda*. Præter hęc vocat damnatorum locum *fornacem magnam*, aliiſque vocabulis, & phraſibus utitur, quę eamdem pœnam ignis deſignant.

CAPUT IX.

Divinæ Scripturæ locutiones in ſenſu tropico ad arbitrium accipiendæ non ſunt: ſed ſervatis ſanæ Critices, & Hermeneutices regulis. Quæ profertur a pluribus ad proprium nativumque ſenſum diſtinguendum, minus videtur idonea. Certiores aliæ ſanciuntur: iiſque ſacrarum litterarum voces de inferni igne proprie ſumendas eſſe fuſe demonſtratur.

I. Quinquaginta ferme loca produximus, in quibus Sacræ Litterę de futura impiorum vindicta ſermonem habentes, eam exprimunt vocabulo *ignis*, ſive quod perinde eſt, *flammæ*, *ardoris*, *combuſtionis*, *Gehennæ &c.* Vel ſimplex horum propoſitio ſatis eſſe deberet, ut quilibet æquus Judex pro vero proprieque dicto inferorum igne ſententiam ferret. Clara ſiquidem ea ſunt, nec aliam eadem citra præjudicia ulla legenti ideam, quam veri ignis ingenerant. Præſtat nihilominus ea operoſius expendere, & ad accuratum examen vocare, adhibitis in ſubſidium ſanioris Critices, & Hermeneutices regulis, ut luculentius appareat, quam falſa, quam futilis & inepta ſit illorum opinio, qui a proprio & obvio ſenſu recedentes, metaphorice, aut tropice intelligenda pertendunt.

II. Et illud quidem in primis pro certo tenendum eſt, quod omnes advertunt Sacrarum Litterarum Interpretes, neminem poſſe pro libito ac genio Scri-

pturæ locutionibus figuratum, aut allegoricum ſenſum affingere, ſed neceſſario ſervandas eſſe certas quaſdam regulas, quibus tropica locutio a litterali, & obvia jure & merito diſtinguatur: præſertim ubi de veritate aliqua agitur fidei doctrinam, morumque ædificationem ſpectante. Alioquin nihil erit in ſacris eloquiis, quod in ſenſu allegorico, aut figurato accipi nequeat: atque adeo ad omnium catholicorum dogmatum fidem ſubvertendam latiſſimus aditus aperietur. Nam, ut inquit Natalis Alexander (*a*), „ cum v. g. Chriſtum eſſe „ Deum, Scriptura, & Patres diſerte „ aſſerent, reſpondebunt Ariani, & So„ ciniani Deum eſſe metaphorice gra„ tia, non natura. Cum Chriſtum na„ tum ex Virgine aſſerent, reſpondebunt „ Valentiniani & Apollinariſtæ id me„ taphorice intelligendum, quod e cęlis „ allatum corpus per Virginis uterum „ tamquam per canalem puriſſimum „ tranſmiſerit. Cum dicent paſſum eſſe „ & mortuum, ad ſenſum metaphori„ cum Manichæi, & Mahumedani „ confugient, & reſpondebunt, paſſum „ dici, ac mortuum, quia ſpecie tenus „ paſſus, ac mortuus eſt. Cum dixerint „ Chriſtum ſanguine ſuo hominem re„ demiſſe, metaphoricas eſſe has locu„ tiones obgannient Sociniani, nihilque „ aliud ſignificare, quam Chriſtum mor„ tuum eſſe, ut doctrinæ ſacræ verita„ tem morte ſua confirmaret, ob eam„ que rationem liberationem hominum, „ ac ſalutem ejus morti tribui, cum „ ipſius doctrinam ſuſcipiunt, & legem „ adimplent, non quod ſanguinem ſuum „ ut pretium humanæ redemptionis „ Chriſtus obtulerit. Atque ita omnia „ alia dogmata eludere, atque ad ſua „ placita unuſquiſque detorquere facil„ lime poterit. „ Hac de re conſuli etiam poteſt V. Cl. & litterariæ Reipublicæ lumen ſplendidiſſimum Lud. Antonius Muratori *lib. 1. de mod. ingen. in Relig. negotio*.

III. Igitur Regulæ aliquæ ſanciendę omnino ſunt, & obſervandæ, ut litteralis ſenſus a tropico, & viciſſim tropicus a litterali internoſcatur. Et quidem ea tamquam regula præcipua aſſignari ſolet a pluribus pro ſacrorum verborum intelligentia, quæ ſtatuit: *Sacræ Scripturæ verba in ſenſu proprio & litterali intelligenda ſunt, quoties talis ſenſus non repugnat cum aliis propoſitionibus ejuſdem Scripturæ, aut cum definitione Eccleſiæ, aut cum propoſitione aliqua naturali lumine certa, & evidente*. Quæ regula, ſi probetur, jam res confecta eſt pro vero inferorum igne admittendo. Manifeſtum eſt enim nullam eſſe Scripturæ Sacræ propoſitionem, quæ huic repugnet, nullam Eccleſiæ definitionem, nullam denique veritatem naturali lumine certam & evidentem, quæ eidem adverſetur. Illud namque fatentur omnes, ac fateantur oportet, niſi ad arbitrium ſuum divinam potentiam coarctare velint, poſſe Deum punire impios igne vero, & corporeo, idque & cum anima a corpore ſejuncta eſt, & certiſſime cum iterum ei conjungetur. Verum, ut quod ſentio, libere exponam, quamquam hujuſmodi regulam haud penitus rejiciam, immo uſui aliquando eſſe poſſe minime diffitear, ſuas tamen ita generatim propoſita patitur exceptiones, plurimæque ſunt in ſacris codicibus phraſes, & locutiones, quibus neque aliæ Scripturæ propoſitiones, neque definitiones Eccleſiæ, neque perſpicua aliqua veritas naturalis repugnant, quę tamen in ſenſu obvio ac litterali a Patribus, ſacriſque Expoſitoribus congrue, quin & congruentius non accipiuntur. Quare hac regula in medio relicta, certiores aliæ a Criticis melioribus probatę adhibendæ ſunt, ut germanus ſenſus locorum, quæ protulimus, innoteſcat.

IV. Prima igitur regula, ex qua primum argumentum elicio pro ſenſu proprio verborum Scripturæ de igne inferni loquentis, hæc eſt: *cum ſimplici æque ac me-*

(*a*) Secul. 9. Diſſert. 16. §. 22.

metaphorico ſermone res eadem tam facile exprimi poteſt, locutiones ſimplices frequentius, metaphoricæ rarius uſurpantur. Quippe cum ad ea, quæ naturæ ac veritati magis accommodata ſunt, plerumque homines ferantur, metaphoricas locutiones adeo frequenter non uſurpant, quæ coactæ quodammodo ſunt, & contrariæ veritati, ſi ſevere accipiantur. Hinc ſtatim validiſſimum argumentum ſumitur pro ſententia, quam propugnamus. Nemo ſiquidem negaverit, quin id, quod adverſarii nomine *ignis* in ſacris litteris deſignari arbitrantur, ſimplici locutione æque facile exprimi potuerit a ſacris Scriptoribus. Cum ergo Damnatorum ſupplicium voce ignis Scripturæ frequentius, immo frequentiſſime deſignent, conſequitur eam vocem non in ſenſu allegorico, ſed proprio ab iiſdem uſurpari.

V. Secunda Regula, quæ priorem amplius declarat, ac firmat, eſt hujuſmodi: *metaphoræ non adhibentur niſi vel ob vocum inopiam, aut neceſſitatem, vel ob elegantiam ſermonis, vel ob conſuetudinem*. Nulla autem erat ex tribus hiſce cauſſis, qua permoveri potuerint Sacri Scriptores, ut interiorem animi, vel ſi mavis, exteriorem alium cruciatum metaphora ignis exprimerent. Non quidem neceſſitas, aut vocabulorum inopia: Nam tum hebraicum, tum maxime græcum Idioma, vocibus abundant, quibus ea pœna denotetur. Non ſermonis elegantia: elegantiſſime enim per propria nomina tormenta illa ſignificari potuerunt. Non denique conſuetudo: neque enim tum apud Hebræos vox אש, vel apud Græcos πῦρ in uſu unquam fuit, ut vel interiores animi anguſtias, vel exteriora alia ſupplicia ab igne diverſa deſignaret.

VI. Ex quo fit hic urgeri haudquaquam poſſe plures metaphoricas locutiones, quæ habentur in Sacris libris. Si eas namque attento animo perpenderimus, facile conſtabit aliquam ex tribus hiſce ſubeſſe cauſſam, cur adhibitæ fuerint. Sic e. g. Deo corpus, aut corporea membra, animi perturbationes, aut operationes humanas attribuunt, ut ſignificent divinam operationem, aut divinæ operationis effectus, qui vix, ac ne vix quidem explicari aliter poſſent, ac intelligi. Sic in libris præſertim propheticis plures tropos, ac figuras invenias, quæ Prophetarum dicendi ſtilo admodum conſentaneæ ſunt, & mirifice ſermonem exornant. Sic multa, quæ Moſes enarrat de mundi opificio, ad populi captum, & ingenium temperavit. Nihil horum dici poteſt de ignis locutione, quam ad exprimendum Damnatorum ſupplicium tam frequenter uſurpant. Nam neque ulla neceſſitas urget eam potius adhibendi vocem quam aliam, neque ſermonis ornatus ipſam requirit, neque fert conſuetudo loquendi ulla, ut ipſa quidquam aliud diverſum ab igne ſignificetur, cum de pœna, ac ſupplicio ſermo eſt.

VII. Tertia Regula hæc eſt: *dum Scriptor vocem aliquam uſurpat, quæ ex communi hominum acceptione certum, definitumque ſenſum habet, præſumitur in eodem ſenſu a Scriptore accipi, niſi aliunde conſtet in iiſdem circumſtantiis in alieno ſenſu ab ipſo uſurpari*. Cujus regulæ ea ratio eſt: quia Scriptor ſapiens, ac prudens verba uſurpat, ut ab iis, quibuſcum loquitur intelligatur. Intelligi autem nequaquam poſſet, ſi alium ipſe, alium qui audiunt vocabulo ſenſum affingerent; præſertim ſi nihil ſit, unde auditores colligere valeant diverſum eſſe ſenſum, quem Author intendit. Qua ex regula ſic arguere licet: ſacræ Litteræ ut ſignificent præcipuum reproborum in futura vita ſupplicium, non alias ferme voces adhibent præter voces *ignis*, *flammæ*, *combuſtionis*, *Gehennæ*, *Gehennæ ignis*, ſimileſque quæ in idem recidunt. Hujuſmodi autem nomina, niſi quidpiam addatur, aut circumſtantiæ rei aliter poſtulent, nullam aliam ideam, quam veri ignis inſinuant, nec alio in ſenſu præter hunc ſatis obvium ab omnibus intelliguntur. Aliunde nihil eſt in teſtimoniis a me prolatis, quod vel compellat, vel anſam præbeat ea ſumendi in ſenſu figurato, nec ſaltem in eorum pluribus vel moroſus vitilitigator aut ex antecedentibus, & conſequentibus,

aut

aut ex contextu, aut ex ſcopo ſcribentis, aut ſcribendi methodo quidpiam reperiet, unde prudens motivum haurire queat ea aliter accipiendi, quam in ſenſu nativo & proprio. Igitur hoc in ſenſu ſumenda erunt.

VIII. At vim maximam argumento adjicit tam frequens in divinis oraculis ignis mentio, cum de Damnatorum vindicta loquuntur. Nam ut ex teſtimoniis jam expoſitis conſtat, fere quinquageſies hujuſmodi ſupplicium commemorant. Quod Scriptor aliquis vocem in ſenſu nec obvio, nec uſitato quandoque ſumat, id fortaſſe culpæ tribui minime debet, ſi alibi præſertim tales voces adhibeat, unde ejus mens colligi valeat. At vero quod eamdem vocem ita ſemper, aut fere ſemper accipiat, nemo a culpa, aut vitioſo ſcribendi genere excuſaverit. Quis enim jure non redargueret Scriptorem paſſim adhibentem has voces *cælum*, *terra*, *mors &c.* alio in ſenſu, quam communiter accipiant homines? Igitur ſi Scripturæ de pœna inferni loquentes conſtanter adhibent, ac pluries, pluriesque repetunt vocabula *ignis*, *ardoris*, *combuſtionis &c.* argumento hoc eſt plane decretorio ea nonniſi in proprio, ac naturali ſenſu uſurpari.

IX. Quarta Regula præcedenti affinis ita proponitur: *Eum Senſum præſumi debet Authorem veracem, ac Sapientem intendere, quem pronum eſt verbis ſubjici ab iis hominibus, ad quos verba diriguntur.* Quoniam mens loquentis, de cujus ſapientia, ac veracitate dubitari nequit, diſpoſita ſemper cenſeri debet ad conformandas ideas, aut conceptus ſuos ideis, aut conceptibus audientium. Qui enim loquitur, tales vult auditoribus ſuis ingenerare conceptus, aut ideas, quales ingenerandas fore prævidere prudenter poteſt. Semper autem prævidere poteſt eas ideas fore ingenerandas, quas ſpectatis circumſtantiis pronum eſt ingenerari. Quæ præſumptio non ceſſat, niſi cum probabile eſt loquentem ſtudio occultare velle conceptum ſuum, aut propriis terminis ob linguæ imperitiam, aut inopiam ſuum conceptum exprimere non poſſe. Aliis terminis eadem regula proponi ſolet, nempe: *ineptum eſſet uti metaphoris, dum ſermo coram auditoribus habetur, a quibus intelligi illas non poſſe veriſimile eſt*: aut ſaltem iis in caſibus exponendæ ſunt: niſi ſubſit motivum aliquod occultandæ veritatis. Nam lex ſocietatis jubet verba nos adhibere, quibus mentem noſtram aperiamus: lex charitatis imperat, ne quos docere volumus, eos verbis obſcuris, & quorum ſenſum aſſequi non poſſint, ducamus in errorem, vel ſaltem ignaros, ut antea, relinquamus. Porro ſi ad hanc amuſſim exigamus Scripturæ Sacræ de Gehennali igne locutiones, perſpicuum eſt eas omnino proprie ac litteraliter eſſe intelligendas. Nam neque aliam ipſæ audientium animis ideam ingerunt: nec Sacri Scriptores, nec Chriſtus Dominus, qui cæteris frequentius tale ſupplicium memoravit, ſtudio veritatem occultare voluerunt, cum populum ac turbas de his, quæ impiis eventura erant, edocebant: nec ob linguæ imperitiam eam exprimere non potuere: nec demum motivum ullum ſuberat obſcura, & metaphorica voce id exponere, quod naturali, ac perſpicua poterat declarari.

X. Quinta Regula: *vox illa cenſeri non debet ab Authore tropice prolata, quæ in ſimilibus circumſtantiis tropice nunquam profertur.* Licet autem S. Scriptura nomen ignis uſurpet aliquando tranſlate, cum vel de hominum affectibus, vel de aliqua divina operatione loquitur; nuſpiam tamen ita uſurpaſſe probabitur, dum de ſupplicio ad punitionem illato mentionem facit. Sic dum Geneſis Cap. 19. deſcribitur Dominum pluiſſe ſulphur & ignem ſuper Sodomam: dum Levitici Cap. 10. legitur: *egreſſus ignis a Domino devoravit eos*, dum lib. 4. Regum Cap. 1. refertur Eliæ juſſu *deſcendiſſe ignem de cælo, & devoraſſe quinquagenarium Principem, & qui cum eo erant &c.* nemo ambigit quin hi omnes vero igne mulctati fuerint: atque ita ſexcentis aliis in locis invenire eſt ignem ad puniendum adhibitum, in propria ſignificatione acceptum. Nonne

ne igitur proprie etiam accipiendum erit, cum ad alterius vitæ ſupplicium ſignificandum denuntiatur?

XI. Sexta Regula: *Metaphoræ diverſæ ſunt juxta Scriptorum ac gentium, quibus verba diriguntur, conditionem ac tempus*. Patet enim gentes temporum ac regionum intervallis inter ſe diſſitas non iiſdem uti metaphoris ad rem aliquam repræſentandam. Porro canonici Authores tum Hebraice, tum Græce ſcribentes, tum vetuſtiores, tum medii ævi, tum magis recentes conveniunt in voce *ignis*, ſimilive adhibenda, ut futurum impiorum cruciatum deſignent, quemadmodum ex teſtimoniis a me deſcriptis liquido conſtat. *Ignem* uſurpat S. Jobus, *ignem* nominat Propheta David: *ignem & Tophet*, ſeu locum ignem continentem repetit Iſajas: *ignem*, *Gehennam ignis*, *ignem inextinguibilem*, *ignem æternum*, *ignis combuſtionem*, *caminum ignis*, *flammam cruciantem* quatuor Evangeliſtæ frequenter enunciant: *flammam ignis dantis vindictam*, *ignem æmulantem* S. Paulus commemorat. Denique *ſtagnum ignis*, *ſtagnum ardens igne*, *ignem ardentem ſulphure*, *fornacem magnam* S. Joannes in Apocalypſi inculcat. Quis ſano capite arbitretur hujuſmodi voces a tot Scriptoribus longe invicem & tempore, & regionibus diſcretis metaphorice uſurpatas fuiſſe, ſenſumque his vocibus adjunxiſſe a communi hominum intelligentia alienum?

XII. Septima Regula. *Metaphoris non utimur, niſi cum aliqua analogia, ſive proportione inter propriam metaphoricæ vocis ſignificationem, & rem ipſam, ad quam ſignificandam vocem transferimus*. Liquet id manifeſte in omnibus metaphoris, ut e. g. cum dicimus *rident prata*, *mare iraſcitur &c.* & ut exempla de ſcripturis ſumamus, *Petra erat Chriſtus: vicit Leo de tribu Juda*, & Beatorum gaudium, ac felicitas *convivii* nomine aliquando appellatur. Nulla autem analogia naturalis eſt ignis, aut combuſtionis cum animæ anguſtiis, aut terroribus, vel cum aliis cruciatibus. Profecto non niſi cum riſu exciperetur, qui ut denotaret ſe maximos conſcientiæ angores pati, aut colicis, nephriticis, aliiſve doloribus affici, diceret abſoluto ſermone ſe igne torqueri, vel cruciari. Quamquam enim hæc omnia in generica pœnæ ratione conveniant, id tamen nemo ſatis eſſe putat, ut quovis pœnarum nomine indifferenter utamur ad aliquem peculiarem cruciatum ſignificandum. Id amplius manifeſtum fiet, ſi obſervemus, quod cum nomen *ignis*, vel a ſacris, vel a prophanis Scriptoribus translate ſumitur, ſatis omnibus conſpicua eſt hujuſce vocis analogia. Sic dum Virgilius de Didone canit: *vulnus alit venis, & cæco carpitur igne*, nemo non percipit ignem ſumi pro *vehementia amoris* ob ſenſibilem inter utrumque proportionem. Ita cum de irato homine dicitur, quod *igne ardeat*, nullus non agnoſcit metaphoram ob analogiam obviam ignis cum iracundia. Hinc in illis locutionibus Sacræ Scripturæ in *igne furoris*, in *igne zeli* nullus extitit, nullus extat, qui metaphoram non ſubodoretur. At vero nullam idoneam analogiam confingere poſſunt adverſarii, quæ legentibus, aut audientibus obvia ſit, dum voces *ignis*, *combuſtionis &c.*, quibus Scripturæ Sacræ futuram impiorum pœnam denunciant, per tropos & metaphoras interpretantur.

XIII. Octava Regula. *Senſus ille genuinus propoſitionis dicendus eſt, quem obviæ objecti proprietates, & adjuncta, quibus verba determinantur, expoſcunt*. Hujuſmodi proprietates & adjuncta mox in particulari diſcutiemus. Nunc generatim ſolum dicimus vocem *ignis* inferni frequentius ita a Sacris Authoribus circumſcribi, ut non niſi vero igni congrue accommodari queat; ut cum appellatur *flamma ignis*, *Gehenna ignis*, *caminus ignis*, *ignis inextinguibilis*, *combuſtio ignis*, *ſtagnum ignis*, *fornax magna*, aliaque id genus; quæ plane ita vocis illius ſignificationem determinant, ut nonniſi per ſummam vim alio detorqueri valeant.

XIV. Regula Nona, eaque maxime obſervanda: *in omni orationis genere metaphoræ non adhibentur*. Quamquam enim ſermo poeticus, aut etiam Prophe-

pheticus metaphoras, allegorias, aliaſque figuras admittat; ſermo tamen ſimplex, hiſtoricus, dogmaticus, & familiaris metaphoras neſcit, niſi ob verborum penuriam adhibeantur, & uſu loquentium pro aliqua determinata ſignificatione conſecratæ ſint. Ex adductis porro a me ſententiis conſtat, non in ſermone tantum poetico, aut prophetico, ſed etiam in ſimplici, hiſtorico, & familiari, qualis præcipue eſt in Evangeliis, & Epiſtolis Apoſtolorum, ubi, vel Servator noſter Judæos docet, vel Apoſtoli Chriſtianos; frequentiſſime adhiberi voces *ignis*, *flammæ*, *Gehennæ &c.*: Atque id quidem ut ſupra monuimus, non ob verborum penuriam, non ob conſuetudinem loquentium, quo ſignificatio ab adverſariis intenta conſecrata fuerit. Igitur non metaphorice, ſed proprie ac litteraliter locuti ſunt.

XV. Decima tandem, ac poſtrema regula eſt: *ſenſus ille propoſitionis proprius, legitimuſque præſumitur, quem ipſi communiter homines ſubjecerunt, ac ſubjiciunt*: ſive aliis verbis, *qui nedum a rudibus, & indoctis, ſed etiam a doctis ac ſapientibus perpetua conſenſione ita habitus eſt*. Neque enim probabile eſt, quin plures, pluresque ſenſum alium eidem tribuiſſent, ſi alium verba reipſa paterentur, prorſuſque ab omni veri ſpecie abhorret, omnes in ejus intelligentia fuiſſe deceptos. Porro ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ, (ut mittam Judæos quoad locutiones V. Teſtamenti) non alio in ſenſu acceperunt Scripturæ verba de inferorum igne, quam in nativo, & proprio nedum homines de vulgo, ſed Eccleſiæ Patres, Doctores, & Scripturarum Interpretes, pauciſſimis demtis; ut poſtmodum luculenter conſtabit, cum Patrum & Eccleſiæ traditionem proferemus. Quare cum hominum, præcipueque ſapientum conſenſio, rectus ac legitimus de vocum ſignificatione Judex habeatur, tamquam nothus aut ſpurius rejiciendus eſt ſenſus ille metaphoricus, quem tot Scripturæ textibus appingere quidam conantur, propriuſque retinendus, quem omnes ſanæ Criticæ & interpretationis regulæ unice verum evincunt.

CAPUT X.

Plures ex laudatis Scripturæ textibus peculiariter expenduntur. Non niſi verum ignem inſinuant, qui ex V. Teſtamento deprompti ſunt. Clarius idem evincunt, qui proſtant in Novo. Metaphoricum ſenſum penitus excludunt, quæ Chriſtus enunciat de igne futuro, ad quem damnandi ſunt reprobi in finali Judicio; quemadmodum & Gehennæ vocabulum, quo ſæpe utitur. Parabola de Divite inter flammas conflagrante non obeſt, ſed favet potius igni corporeo. Hunc etiam evidenter produnt Apocalypſeos verba. Qui Scripturæ de inferni igne locutiones tropice interpretantur, eam ab erroris aut mendacii nota congrue vindicare non poſſunt.

I. SAcræ Scripturæ textus de igne, quo cruciantur Damnati, generatim duntaxat expendimus capite ſuperiore. Nunc aliquos ad peculiare examen revocare præſtat, novaque inde argumenta deducere pro vero igne adſtruendo, quibus revincantur Adverſarii, & catholica ſententia amplius confirmetur. Recurrat itaque ſub oculos ea regula, quam ſupra octavo loco indigitavimus, atque illa quidem certiſſima, a Criticis omnibus probata, nimirum: *is verus, ac germanus Scripturæ ſenſus exiſtimandus eſt, quem vel objecti proprietates, vel adjuncta propoſitionis, vel circumſtantiæ materiæ, aut Scribentis, aut perſonarum, ad quas ſermo dirigitur, vel antecedentia, & conſequentia, aliaque hujuſmodi determinant, & naturaliter exigunt*. At vero ſi hæc omnia attento animo ponderentur in textibus a me citatis, compertum exploratumque

que erit non alium præter nativum, ac proprium Scripturæ locutiones exigere, penituſque tropicum aut metaphoricum excludere.

II. Propoſitionis hujuſce veritatem luculentiſſime evinco diſcurrendo per ſingulas aut ſaltem præcipuas a me allatas authoritates, ab iis initium ſumens, quæ ex veteri Teſtamento erutæ ſunt. De igne, qui devoraturus eſt impium in futuro ſæculo perhibet S. Jobus, quod non *ſuccendatur*, ſive ut in hebraico textu, quod *flatus non excitetur*, vel ut alii legunt, *ſufflatione opus non habeat;* quibus verbis, ut animadvertunt omnes Interpretes, diſcrimen ignis, quem habemus in uſu, ab illo, quem Deus ad impios in futura vita puniendos accendit, manifeſtat; quod hic nimirum non indigeat inſufflatione, vel flabello, aut terreſtri alimento; ſed ſemel a Juſtitia divina ſuccenſus, in ſemetipſo cum ſuis fomentis inconſumtus ardebit, Deo illum conſervante, ac veluti ſupplente defectum ignis noſtri proprium. Unde & ab Iſaja cap. 30. dicitur, quod *flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris ſuccendet illum*. Liquet porro hoc diſcrimen veritatem proprii ignis ſupponere, cum in igne ſolum proprie dicto locum habere poſſit.

III. Iſajas cap. 33. ut terrorem futuræ pœnæ hominibus incutiat, exclamat: *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante*, ſive conſumente? *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis*, ſive ut in hebræo *in focis æternis?* Dum ignem illum Propheta vocat *devorantem*, aut *conſumentem*, & *ardores*, ſeu *focos ſempiternos:* dum ſciſcitatur quinam in iis *focis*, in hoc *igne* conſiſtere poterit, ſatis indicat ſe loqui de aliquo ſupplicio extrinſecus admovendo, de igne nempe, vel fornace, in qua impii detruſi perpetuo permanſuri ſunt. Abſonę quippe prorſus eſſent tales de interioribus conſcientię cruciatibus locutiones.

IV. At validius adhuc argumentum ſumitur ex aliis ejuſdem Prophetæ verbis, quæ leguntur cap. 30. com. 33. ubi imagine Gehennæ ſive Tophet terreſtris ac temporarii verum, æternumque inferorum ſupplicium ob oculos ponit. Tradit nempe Tophet, ſeu Gehennam *præparatam eſſe* a Deo jam *ab heri, eamque profundam eſſe*, *dilatatam*, perpetuoque ignis alimento nutritam, ſeu *flatu Domini* continenter ſuccenſam. Jam ſupra notavimus Tophet ſeu Gehennam appellatam fuiſſe vallem quamdam prope Hieroſolymam, ubi perpetuus aſſervabatur ignis ad concremandos pueros, qui Idolo Moloch immolabantur. Si igitur huic loco comparat Propheta Damnatorum ſedem, & ex illo imaginem præformat, ut eam deſcribat, ac repræſentet, plane oportet, ut quemadmodum verus procul dubio ignis in valle filiorum Hinnon conflagrabat, verus quoque ſit ignis ille, cui impii tradendi ſunt. Sed præterea antecedentia & conſequentia verba eumdem omnino ſenſum definiunt. Ejuſmodi namque locum ignem continentem pronunciat Iſajas eſſe jam a ſummo *Rege præparatum ab heri*, hoc eſt a ſæculis, & ab initio mundi juxta Prophetarum loquendi morem, itemque *profundum*, *ac dilatatum eſſe*, hoc eſt latum, & ſpatioſum; deſignat etiam quænam ſint fomenta, quibus ignis ille æternum inextinctus perdurat, nempe *Domini halitus*, ſeu omnipotens ejus voluntas, qua Damnatos perpetuo punire decrevit. Quis adeo deſipiat, ut hæc omnia de igne metaphorico, aut internis animi angoribus apte ſe interpretari poſſe autumet?

V. Sequitur locus alter ejuſdem Iſajæ qui legitur cap. 66. com. 24. ubi prophetiam ita concludit: *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* quæ ſententia iiſdem verbis concepta habetur etiam apud Marcum cap. 9. Nomine *vermis non morituri*, ſive *non morientis* a Patribus & Expoſitoribus frequentius in ſenſu metaphorico intelligi jam advertimus; quam metaphoram nullatenus obeſſe dogmati, quod modo defendimus, deinceps clarum fiet. Itaque ponamus cum adverſariis tamquam legitimum ſenſum hunc metaphoricum vocabuli *vermis*, adeo ut eo ſignificetur ſtimulus, & remorſus conſcientiæ, quo in-

X ceſſan-

ceſſanter Damnatus affligitur, niſi nomine *ignis*, *qui non extinguitur*, proprium, & peculiare ignis ſupplicium intelligas, ſed cum Calvino, & Beza malæ conſcientiæ horrorem, cruciatum, aut anxietatem, manifeſtam inducis in verbis propheticis, & evangelicis Tautologiam: nihil enim amplius per ſententiam poſteriorem, quam per priorem Iſajas, & Chriſtus ſignificaſſent. Potius igitur dicendum eſt Prophetam, ac Redemptorem noſtrum iis locutionibus potiſſimas complexos fuiſſe Damnatorum pœnas, internas videlicet, & externas; illas in conſcientiæ pravæ ſtimulis, morſibus & anguſtiis poſitas: has autem in igne vero proprieque accepto, veluti præcipuæ divinæ juſtitiæ ad ultionem de hoſtibus ſuis repetendam inſtrumento.

VI. Senſum quoque metaphoricum excludunt ſententiæ tum ex libro Judith, tum ex Eccleſiaſtico productæ. In priore namque diſerte aſſeritur Deum poſt finale judicium *daturum ignem in carnes* impiorum, ut urantur, & ſentiant. Ignis, qui carnem, ſeu corpus amburit, nonniſi verus & corporeus eſſe poteſt: conſcientiæ quippe ſtimulis animus proprie, non corpus affligitur. In poſteriore vero legimus *conſummationem* ſeu *finem impiorum* eſſe *flammam ignis*. Utrumque hoc vocabulum ſe ſe mutuo declarat: ſicut flamma non niſi ex vero igne progignitur, ſic nonniſi verus ignis exiſtimari debet, qui flammam emittit.

VII. Accedo ad novum Teſtamentum, in quo præter illam authoritatem quam modo indicavimus, expendentes Iſajæ textum, plures aliæ ſunt, eæque clariſſimæ, talibuſque adjunctis, & circumſtantiis affectæ, ut nonniſi per ſummam violentiam aliter quam de igne proprie dicto intelligi queant. Ac in primis peremptoria mihi videtur ea ſententia, quam ſe prolaturum prædicit Chriſtus Dominus in extremo Judicio adverſus reprobos, nimirum: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis ejus*. In quibus verbis plures animadverſiones fieri poſſunt, quæ totidem ſuppeditant pro litterali ſenſu argumenta. Nam ſi primum verba ipſa divinæ ſententiæ ſpectemus, non ſpirituale quidpiam, aut ad ſolam animam pertinens, ſed materiale potius & extra animam ſupplicium præferunt omnia. Etenim verbum illud *diſcedite* ſeu *abite a me maledicti* motum ad aliquem locum plane deſignat, cujus terminus, ideſt *ignis æternus*, ad quem ablegantur, conſequenter materialis ſit oportet; maxime cum de hoc termino ſtatim dicatur eſſe jam *præparatum*, ſcilicet ab origine Mundi, *Diabolo, & Angelis ejus*: & reprobi homines illuc abituri ſint cum ipſis corporibus, quibus iterum induentur. Si nullus ſit verus ignis, in quem reprobi per ſententiam Supremi Judicis projiciantur, ſed Damnatorum pœna vel in ſolo conſcientiæ horrore, vel in cruciatu animæ Deum ſibi iratum cogitantis conſiſtat; jam Chriſti verba vel nullum omnino ſenſum habent, vel abſonum prorſus, & ab uſitato omnium loquendi more longe abhorrentem. Nam qui verificetur abire impios in ignem paratum Diabolo, & Angelis ejus a mundi conſtitutione, ſi nullus extet verus ignis malis hiſce ſpiritibus præparatus? Vel ſi verificari perſracte contendas, nonne verbis vim ſummam inferre debes, & inuſitato apud omnes uti genere locutionis? Fingas, amabo, Chriſtum verum ignem exprimere voluiſſe, potuiſſetne clariorem adhibere loquendi formulam? An opus erat, ut admoneret omnes ſe non loqui metaphorice, ſed litteraliter, ac proprie? Apage.

VIII. Ulterius terribilis illa ſententia ambagibus, tropis inuſitatis, omnique penitus æquivocatione carere debuit, verbiſque ſimplicibus, ac naturalibus concipi; ne ſupremæ Veritatis verba ad fallendos potius, quam ad deterrendos homines deſtinata viderentur. Ita ſane expoſcit rei conditio, ac natura, atque ita fieri cernimus in humanis quibuſcumque judiciis. Dum enim Magiſtratus, aut Judices nocentes ad pœnam aliquam damnant, quæcumque ea ſit, ſententiam concipiunt ac denunciant non metaphoris, aut allegoriis, aliiſ-

aliiſve tropis obvolutam, ſed planis, perſpicuis, ac ſimpliciſſimis verbis, ut vel a rudioribus ſtatim intelligantur; nemoque unus inter Judices adhuc extitit, qui ſontem aliquem vel ad carcerem, vel ad triremes, vel ad ſuſpendium damnans, decretum ita conciperet ut reum in ignem, aut flammas, vel combuſtionem tradendum exprimeret. Quis igitur ſimile decretum affingere audeat ſupremo omnium Judici Deo?

IX. Præterea nonne verba illa finalis ſententiæ reapſe proferentur in impios? ita certe Veritas ipſa teſtatur inquiens: *tunc dicet his, qui a ſiniſtris ejus erunt, diſcedite &c.* Si igitur verba illa dicentur, dicentur utique ut infelices reprobi intelligant, cui ſupplicio futuri ſint obnoxii per totam æternitatem. Nullus porro non eam intelliget in alio ſenſu, quam nunc intelligatur ab omnibus, qui eam aut audiunt, aut legunt, nec contortis, & violentis interpretationibus nativum ejus ſenſum corrumpunt. Igitur nec alio in ſenſu a Chriſto judice proferetur: eo præſertim, quod nulla penitus tunc cauſſa ſuberit metaphorico potius ſermone uti, quam naturali, & proprio. Scimus equidem Chriſtum, dum inter nos verſaretur, ſæpe locutum fuiſſe ad turbas in parabolis. Sed ſcimus etiam cur ita locutus fuerit, nimirum tum ut ſe accommodaret conſuetudini & genio Syrorum, maximeque Palæſtinorum, quibus familiare erat, ut inquit S. Hieronymus, ad omnem ſermonem texere parabolam; tum ut indignis divina occultarentur myſteria, quæ poſtea Diſcipulis ſuis explanabat, quemadmodum diſcimus ex Cap. 6. Lucæ. Cauſſæ autem hujuſmodi nullatenus occurrent in extremi Judicii die, in quo allegoriæ omnes ac parabolæ finem ſunt habituræ, omniaque in luce manifeſtiſſima collocabuntur. Nulla itaque cauſſa fingi poteſt cur finalis illa ſententia ſub metaphorarum involucris pronuncianda ſit: immo perſpicuis verbis manifeſtetur oportet, ut omnes tam electi, quam reprobi & auribus percipiant, & diſtincte intelligant, cui ſupplicio addicantur, qui divinæ legis mandata violarunt.

X. Aliud æque decretorium argumentum ſubminiſtrant quæ leguntur Cap. 13. S. Matth. a com. 24. ubi Chriſtus Dominus parabolam proponit de zizaniis, quæ ſimul cum tritico in agro Patrisfamilias creverunt, & tandem tempore meſſis igni tradita ſunt ad comburendum. Excellentis hujus parabolæ ſenſum equidem tunc non expoſuit divinus Magiſter: Sed refert ſubinde S. Evangeliſta, quod cum dimiſſis turbis domum veniſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus dicentes: *ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.* Quorum voluntati ſatisfaciens Chriſtus, eam ſic interpretatus eſt: *qui ſeminat bonum ſemen eſt filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum vero ſemen hi ſunt filii regni. Zizania autem filii ſunt nequam. Inimicus autem, qui ſeminavit ea, eſt Diabolus. Meſſis vero conſummatio ſæculi. Sic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Hæc eſt interpretatio Parabolæ facta non ab homine aliquo, ſed ab ipſa ſumma veritate, & veritatis Magiſtro: in qua apparet ipſum propriis, planis & ſimplicibus verbis, quibus obſcuræ rei expoſitio fieri debet, ſingulas voces declaraſſe, & palam feciſſe quid nomine tritici, zizaniorum, agri, inimici, meſſorum & meſſis ſignificare voluerat: atque adeo cum interpretationem concluſerit dicendo nefarios homines mittendos eſſe in *caminum*, ſeu fornacem *ignis*, ſicut igni traduntur zizania, non implexa aut obſcura allegoria, ſed patentiſſima veritate docuit impios poſt extremum judicium in ignem, ſeu fornacem ignis conjiciendos eſſe.

XI. Accedit in confirmationem comparatio inſtituta ab ipſo Chriſto Domino in eodem Capite, ut ea quæ eventura ſunt in die ſupremo audientium animis magis infigeret. Ea deſumpta eſt *ex ſagena miſſa in mare, & ex omni genere piſcium congregante, quam, cum impleta*

 eſſet

eſſet, educentes, & ſecus litus ſedentes elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Quam poſtea ita aptavit fini hujus mundi: *Sic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum: & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Vis initæ comparationis aliud ut ſummum non efflagitabat, niſi ut diceretur malos homines foras projiciendos a Regno Dei, vel in aliquem indefinitum locum mittendos, non autem in fornacem *ignis*, quemadmodum nec in ignem projiciuntur mali piſces. Adjectio ergo illa facta eſt, ut certiores fierent homines de terribili illo ignis ſupplicio, quo præter excluſionem a Regno cæleſti reprobi mulctandi ſunt. At pręterea in hoc eodem loco animadverſione digna ſunt verba illa, quæ ſequuntur. Expoſita namque Parabola Chriſtus interrogavit Diſcipulos ſuos num omnia, quæ dixerat, probe percepiſſent? *Et ait illis: intellexiſtis hæc omnia?* Cui Diſcipuli reſponderunt affirmando: *dicunt ei etiam*. Quid ſodes intellexerant Diſcipuli, dum Chriſtus ipſis enunciaverat pravos homines mittendos eſſe in caminum, ſive fornacem ignis? Illud plane quod nos, quod cæteri homines intelligunt, dum eadem verba legunt, aut audiunt: nec ullam in his latentem metaphoram ſuſpicari poterant. Igitur & ſine metaphora in ſenſu naturali & obvio ea verba intelligenda a nobis ſunt. Sed ad alia teſtimonia expendenda progrediamur.

XII. Non ſemel diximus Gehennæ vocem denotare locum, ubi magnus continetur ignis, eaque jam a Prophetarum temporibus uſos fuiſſe Judæos ad ſignificandum ignem punientem Damnatos, quem verum, propriumque eſſe & ſemper crediderunt, hodieque credunt. Hanc itaque vocem ad pœnam reproborum deſignandam ſæpe adhibet Salvator noſter in Evangelio. Sicut ergo eam non metaphorice, ſed litteraliter intelligebant Diſcipuli Chriſti, ac turbæ, quæ ad ejus doctrinam audiendam conveniebant; ita non in ſenſu metaphorico, ſed litterali a Chriſto uſurpatam fuiſſe, aſſerere neceſſe eſt: id quod etiam doctrinæ ratio omnino exigit, quæ planis, & ſimplicibus verbis efferri debet, ut vel a rudibus, & indoctis diſtincte percipiatur.

XIII. Majus huic argumento robur accreſcit, ſi tria hæc animadvertamus. Primo Chriſtum indiſcriminatim adhibere voces *Gehennæ*, & *Gehennæ ignis* ad rem eamdem indicandam, ut patet Matth. Cap. 5. & Cap. 18., in quibus eamdem ſententiam repetit: & priore quidem loco *Gehennam* duntaxat nominat: in altero autem *ignem æternum, & Gehennam ignis*: quod pariter obſervare eſt apud S. Marcum Cap. 9. Secundo: modus ipſe loquendi non alium præter litteralem ſenſum expoſcit. Nam Matth. locis laudatis dicitur: *expedit &c. quam mitti in Gehennam*: & Marci, *quam ire in Gehennam*. Porro *mitti* vel *ire* commode non referuntur niſi ad terminum aliquem materialem, & corporeum. Tertio tandem Matth. 10., com. 28. ita Chriſtus temporarii ſupplicii timores temperat dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occcidere: Sed potius timete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere in Gehennam*. Et Cap. 5. *expedit tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in Gehennam*. Quomodo conſtare poteſt Dominicę ſententiæ veritas, ſi verum ignis tormentum ab impiorum ſede excludamus? Anima quidem conſcientiæ ſtimulis, terroribus, anxietatibus excruciatur: at vero corpus nonniſi corporeo inſtrumento torqueri valet. Cum itaque Chriſtus utrumque dixerit, animam nempe & corpus igne puniendum eſſe, ignem proprie, non tranſlate accepiſſe credendum eſt.

XIV. Efficax etiam pro catholica ſententia argumentum ſuggerit, quod legitur Cap. 16. Lucæ, ſive *Parabolam*, ſive *Hiſtoriam*, ſive melius *Paraboliſtoriam* appelles. Ibi ſiquidem deſcribitur Dives in inferno poſitus, ac vehementer excruciatus, cruciatuſque præcipua cauſſa aſſeritur ignis, dum ita exclamans inducitur: *crucior in hac flamma*. Qua in nar-

Digitized by Google

narratione animadvertere licet ſcopum ejuſdem eſſe palam facere diverſitatem ſtatus; qui tum Lazaro, tum Diviti poſt mortem obtigit. Prius igitur Evangeliſta hunc in tormentis fuiſſe deſcribit, cum ait: *elevans oculos, cum eſſet in tormentis &c.* Deinde definit quodnam eſſet præcipuum tormentum, quo magnopere torquebatur per illa verba ab eodem Divite prolata: *crucior in hac flamma:* quæ plane non metaphoricum, ſed verum ignem manifeſtant. Si nullus extaret in inferis verus ignis, ut obganniunt Adverſarii, cur ignem hic nobis commemorat divinus Magiſter? Cur hoc definito ſupplicio utriuſque ſortis diſcrimen expreſſit? Præterea vel ipſe locutionis modus veram realemque flammam, aut ignem in eo calamitoſo loco extitiſſe deſignat; non enim Dives conqueritur dicens duntaxat: *crucior flamma*, vel *crucior igne*, ſed *crucior in hac flamma*, ſignificans eo ſe igne cruciari, qui in illo reproborum carcere conflagraret, atque adeo non metaphorico, ſed reali, proprieque dicto.

XV. Vim argumenti, quod ex hoc facto deducitur eludere ſe poſſe putant Adverſarii, dicendo plura in ea narratione admiſceri, quæ nonniſi metaphorice, aut allegorice accipi poſſunt: ut cum dicitur Divitem *elevaſſe oculos*, cum eidem tribuitur lingua, & Lazaro digiti: neque enim anima, quæ ſola tunc erat in Inferno, prædita erat iſtiuſmodi membris. Quare igitur, inquiunt, etiam flamma illa, qua cruciabatur, metaphorice explicanda non erit?

XVI. Sed baſilice falluntur, qui ita concludunt. Duo ſiquidem in illa narratione diſtinguere opus eſt; tormentum videlicet Divitis, quod *flammæ* nomine exprimitur; & effectus affectuſque, qui ex illo tormento oriebatur in Divite. Tormentum Divitis, ſive inſtrumentum, aut proxima cauſſa ſui cruciatus, per vocem utique propriam ſignificari poterat, nullaque cauſſa Evangeliſtæ fuerat illud declarandi per vocem metaphoricam, quod per propriam & nativam æque declarare potuiſſet. At vero effectus, aut affectus, qui exurgebant in anima Divitis, innoteſcere commode nequaquam poterant, niſi per tropos, aut metaphoras; quemadmodum & divinæ operationes per metaphoricas voces explicari ſolent, ut facilius intelligantur: atque hac ratione Sacra Scriptura Deo adſcribit affectus *odii*, *furoris*, *pœnitentiæ &c.*, immo & corporea membra *manus*, *pedes*, *aures*, *oculos*, *&c.* Congrue itaque in ea narratione oculos, linguam, digitos Diviti & Lazaro Chriſtus attribuit, ſicut eadem a ſacris litteris Deo congrue tribuuntur, non quod aut Deus, aut anima membra habeat, ſed quia nos quaſi habentes fingere ſolemus, aut quia per membra corporea Dei & animarum proprietates quædam, & operationes declarantur, per oculos vis cognoſcendi, per manus ac digitos vis agendi, per linguam vis loquendi, ſentiendi &c.; quæ commode aliter explicari non poſſent. Omnino autem incongrue per vocem impropriam, & inuſitatam pœna Divitis manifeſta fieret, dum propriæ aliæ ſuppetunt, & ad vulgi captum æque accommodatæ. Quare nedum metaphoricæ voces, quibus cruciati Divitis affectus exprimuntur; metaphoricam eſſe non probant *flammæ* locutionem, ſed potius flammæ proprietatem arguunt, tamquam ad vim hujuſce tormenti ſignificandam ordinatæ. His addo: cum jam ſatis omnibus conſtet membris corporeis carere animam a corpore ſeparatam, ſatis quoque manifeſtum eſſe membra in ea Parabola nominata tropice debere intelligi. Idem autem minime conſtat de igne ad reprobos torquendos deputato: immo notum eſt omnibus divinam Omnipotentem poſſe materialibus inſtrumentis tum corpus, tum animam, & immateriales alias ſubſtantias affligere; Idque reapſe Deum decreviſſe fidem faciunt omnes Evangeliſtæ, immo utriuſque teſtamenti paginæ, dum pœnam ignis improbis in futura vita parati adeo frequenter intonant, ac denunciant.

XVII. Confirmant hæc omnia, quæ hactenus profecuti ſumus argumenta, luculentiſſimæ, quæ habentur in libro Apo-

Apocalypſeos, de inferni igne locutiones. Miſſis pluribus aliis animadverſionibus, quæ in omnium oculos incurrunt, illud ſolum obſervo ſæpe ibi mentionem fieri de reproborum futura miſeria: hanc vero vix exprimi a S. Joanne aliis nominibus, quam *ignis*, *ſtagni ignis*, aut *ardentis igne*, vel *combuſtionis*, *fornacis magnæ &c.* prout liquet ex locis a me productis. Porro tam conſtans locutionis genus firmiſſimo argumento eſt pro exiſtentia corporei ignis adſtruenda; neque enim una eademque metaphora res aliqua explicari conſuevit, cum plures aliæ rei explicandæ præſto ſunt. Nemo autem inficias iverit Damnatorum miſeriæ explicandæ plures alias S. Joanni præſto fuiſſe loquendi formas tum metaphoricas, tum proprias, quas plane adhibuiſſet, ſi nullum in inferno verum ignem eſſe credidiſſet: præſertim, cum ut advertimus, ad conſcientiæ, vel animæ ſtimulos & angores declarandos valde inepta ſit ignis metaphora; ineptiſſima autem *ſtagni ignis*, *ardentis igne*, *& ſulphure fornacis &c.* Igitur inferre debemus has voces in proprio. & nativo, non tropico ab illo uſurpatas fuiſſe.

XVIII. His omnibus rite perpenſis, quæ tum hoc, tum capite ſuperiore dicta ſunt, illud, ut mihi quidem videtur, ſua ſponte fluit, poſita Adverſariorum ſententia nec dignitatem, nec veracitatem ſcripturarum ſartas tectas conſiſtere, nec eas turpi erroris aut mendacii nota liberari congrue poſſe in re cæteroqui fidei doctrinam, morumque ædificationem ſpectante. Fac quæſo judicem aliquem, de pœna reo cuipiam infligenda, vel decretum ferentem, vel ſermonem habentem, pluries ac pluries tormentum ignis repetere ad quem nocens vel damnandus ab ipſo ſit, vel damnatus jam fuerit, iiſdem uti locutionum formulis, quas adhibuiſſe Scripturam jam vidimus; quis eum mentitum non arbitretur, aut ſermone ſuo decepiſſe, vel ſaltem de ſuſcepto deceſſiſſe conſilio, ſi reum ad hujuſmodi pœnam ignis reipſa non damnet, ſed vel ad carcerem, vel ad triremes, vel ad vitam ærumnoſam & conſcientiæ propriæ ſtimulis exagitatam? Nonne igitur idem jure dici poſſet de Supremo Judice Deo? Non uno ille, aut altero Scripturæ loco, ſed fere quinquaginta decretum ſuum de puniendis impiis inferorum igne patefecit, talibuſque locutiones ſuas adjunctis, & characteribus circumſcripſit, ut non aliam quam veri ac proprii ignis legenti vel audienti ideam ingerant, neque ipſa in hoc obvio ſenſu a doctis, & indoctis perpetuo intellectæ fuerint, & intelligantur. Quo igitur pacto excuſari a mendacio poſſet, ſive a ſtudioſa fallendi homines voluntate, ſi tot perſpicuis locutionibus non verum ignem, ſed aut conſcientiæ cruciatus, aut quodvis aliud ab igne ſupplicium deſignare voluiſſet?

CAPUT XI.

Perenni Eccleſiæ Catholicæ traditione doctrina de igne inferni corporeo conſtabilitur. Proferuntur præcipuorum Patrum teſtimonia ab Apoſtolorum ævo ad uſque Nicæni Concilii tempora. Traditionis ejuſdem teſtes etiam accedunt trium priorum ſæculorum Eccleſiæ Martyres: quorum plures de hoc argumento authoritates allegantur.

I. Unanimem Patrum Eccleſiæ conſenſum in re fidei doctrinam, & morum ædificationem ſpectante, plurimi eſſe faciendum tum omnes Catholici conſtanter affirmant, tum ipſi Heterodoxi, æquiores ſaltem, ac moderatiores non diffitentur. Ex eo ſiquidem invictum argumentum ſumitur & pro recto, germanoque Scripturæ ſenſu eruendo, & pro univerſæ Eccleſiæ traditione a primis uſque temporibus colligenda. Quare non niſi per ſummam audaciam, ac temeritatem haud plane ferendam, rejici poteſt ſententia

tia de vero igne ad reprobos in futura vita puniendos a divina juſtitia parato, ſi illud ſemel exploratum fuerit eam niti perpetua & conſtanti Patrum & fidelium conſenſione. Joannes Clericus ſub nomine Petri Alethini (*a*) ſcribit quæſtionem hanc de igne vero, aut metaphorico fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis veluti adiaphoram, Patreſque in utramque partem fuiſſe diviſos. Quam falſo id ab iſto ſcriptore afferatur, declarabit hæc a nobis inſtituta diſquiſitio.

II. Agmen itaque Patrum ducat Illuſtriſſimus Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſcopus, & Apoſtolorum Diſcipulus S. Polycarpus, qui cum coram Judice conſtitutus audiret denunciari ſibi terribile ignis ſupplicium, niſi a ſententia decederet, Chriſtique nomen abnegaret, ita infracto animo Tyranno reſpondit: *ignem minaris, qui ad horæ ſpatium ardet, ſtatimque extinguitur. Ignoras ſcilicet illum futuri judicii, æternæque damnationis ignem, qui impiorum ſupplicio reſervatur*. Ita refert Euſebius lib. 4. hiſtor. Cap. 15., cui omnino conſonant, quæ leguntur in Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio ejuſdem (*b*): *ignem mihi minaris, qui unius horæ ſpatio æſtuat, & poſtea frigeſcit, ignorans futuri judicii, & æterni ignis perpetua tormenta*. Et in eadem quoque Epiſtola hæc afferuntur de Martyribus, qui immania pro Chriſti fide tormenta alacriter ſuſtinebant: *ad Chriſti gratiam attendentes mundana tormenta ſpernebant unius horæ ſpatio ſe ab æterna pœna redimentes. Frigidus ipſis videbatur immanium carnificum ignis: ob oculos quippe habebant illum effugere, qui æternus eſt, nunquamque extinguetur*. Nemo plane ut arbitror futurus eſt, qui nugari velit hos, alioſque, quos proferemus, dum ita loquebantur, aut cogitabant, aliam comprehenſam animo de inferni igne habuiſſe ideam, ac habent cæteri homines, dum ita loquuntur, aut cogitant.

III. Sequitur antiquiſſimus Scriptor, & inviƈtiſſimus Eccleſiæ Martyr S. Juſtinus, qui non uno in loco eamdem pœnam ignis diſerte aſſerit, nempe in Apolog. 1. ad Antoninum Pium num. 21. inquiens: *nos immortalitatem eos conſequi ſolos didicimus, qui Deum vitæ ſanctitate, & virtute propius contingunt: qui autem improbe vivunt, nec immutantur, eos igne æterno credimus puniri*: quod & ſcribit Apolog. 2. ad Senatum num. 1. ubi refert factum Chriſtianæ mulieris, quæ virum ſuum a vitiis ad meliorem frugem revocaverat, *Chriſtiana præcepta illi ſuggerens, & ignis æterni ſupplicium paratum iis, qui obſcene, & ſine recta ratione vixiſſent*.

IV. Paria tradunt alii ſuppares S. Juſtino fidei Chriſtianæ inſignes Apologiſtæ. Athenagoras legatione pro Chriſtianis num. 31. ait: *perſuaſum habeamus Deum, cum totus lumen ſit, ea etiam, quæ in cordibus noſtris latent, videre: noſque hac vita liberatos aliam iſta præſtantiorem ac cæleſtem, non terrenam victuros: vel ſi aliorum ruinis abripiamur, deteriorem, ac in ignis ſupplicio victuros*.

V. S. Theophilus ad Autholicum lib. 1. num. 14. *incredulis, & ſuperbis, & iis qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati .... erit ira, & indignatio, tribulatio, & anguſtiæ, ac tandem tales ignis æternus detinebit*. Et lib. 2. num. 36. refert verba Sibyllæ canentis:

Ardentis ignis fulgor venit ad vos (impios)
Flammis comburemini in ſæculum quotidie.

quæ verba ſaltem referunt tum ſenſum ipſius, qui ea laudat, tum alicujus ſcriptoris ipſo S. Theophilo antiquioris.

VI. Minucius Felix in Octavio num. 35.: *admonentur homines doctiſſimorum libris, & carminibus Poetarum illius ignei fluminis, & de ſtygia palude ſæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & Dæmonum indiciis, & oraculis Prophetarum cognita tradiderunt ....*

Nec

(a) in notis ad cap. 5. lib. 3. de opificio ſex dierum P. Petavii.
(b) ex cod. mſs. cum editione Uſſeriana collatis, & eadem epiſt. in edit. Cotelerii.

Nec tormentis modus ullus, aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit, & reficit, carpit & nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut ignes Ætnæ & Veſuvii, & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur; ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur. An hujuſmodi ignis metaphoricus eſt?

VII. Glorioſis hiſce fidei defenſoribus adnecto Julium Firmicum Maternum lib. de erroribus proph. Relig., ubi ait: *veniet dies Domini ut ardens clibanus. Audiſtis quid veniat. Nihil eſt, quod ex te collectum in Apothecis Dominicis reponi poſſit. Ardebis ut ſtipula, cujus inanis vilitas in cineres, favillaſque ſervatur: quam rapax ignis violentia congeniti ſpiritus paſcitur. Hic eſt exitus finiſque veſter: hæc eſt pœna, quam pro deceptis hominibus Deus ſtatuit, ut perpetuis ardeat flammis, qui contra voluntatem Dei miſerum hominem aut decepit, aut perdidit.* Id etiam inferius repetit.

VIII. Succinit ſub finem ſecundi Eccleſiæ ſeculi S. Irenæus ita diſſerens lib. 2. Cap. 28.: *tranſgreſſoribus ignis æternus præparatus eſt, & Dominus manifeſte dicit, & reliquæ demonſtrant ſcripturæ. Et quamquam præſcit Deus hoc futurum, ſimiliter demonſtrant Scripturæ, quemadmodum & ignem æternum his, qui tranſgreſſuri ſunt, præparavit ab initio.* Eadem docet lib. 3. Cap. 23. & lib. 4. Cap. 40.: *unus*, inquit, *& idem Deus Pater, qui quidem concupiſcentibus ejus communicationem &c. Principi autem abſceſſionis Diabolo, & qui cum eo abſceſſerunt, angelis æternum ignem præparans: in quem mittentur, inquit Dominus, illi, qui in ſiniſtra ſeparati ſunt.... Quemadmodum in zizaniorum, & in tritici parabola manifeſtavit Deus.... Qui ergo regnum præparavit juſtis Pater, hic & caminum ignis præparavit, in quem dignos mittent ii, qui a filio hominis miſſi ſunt Angeli.*

IX. Non minus diſerte de igne futuro loquitur S. Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromat.: *Quid vero non novit Plato, & fluvios ignis, & terræ altitudinem eam, qua a barbaris Gehenna vocatur, Tartarum nominans prophetice, Cocytumque, & Acherontem, & Pyriphlegetontem, & quædam hujuſmodi, quæ ad caſtigationem, diſciplinamque inducunt, loca ſuppliciorum?* Et lib. *quis Dives ſalvandus &c.* num. 37. *qui non diligit Fratrem, inquit Joannes, homicida eſt, ſemen Caim, alumnus Diaboli .... excidetur, eumque vorax ignis manet incendium.*

X. Plura teſtimonia ex Tertulliano proferri poſſent, ſed pauca ſufficiant. In primis in Apolog. Cap. 47. definit *quid ſit Gehenna*, inquiens: *eſt ignis arcani ſub terra ad pœnam Theſaurus.* Et cap. 48. *nec mors jam, nec rurſus ac rurſus reſurrectio* (poſt finem ſcilicet mundi) *erunt. Sed erimus idem, qui nunc, nec alii poſt: Dei quidem cultores apud Deum ſemper ſuperinducti ſubſtantia propria æternitatis: prophani vero, & qui non integre ad Deum, in pœnam æque jugis ignis habentes ex ipſa natura ejus, divina ſcilicet, ſubminiſtrationem incorruptibilitatis. Noverunt & Philoſophi diverſitatem arcani, & publici ignis. Ita longe alius eſt, qui uſui humano, alius, qui judicio Dei apparet, ſive de cælo fulmina ſtringens, ſive de terra per vertices montium eructans. Non enim abſumit, quod exurit. Sed dum erogat, reparat. Adeo manent montes ſemper ardentes .... & hoc erit teſtimonium ignis æterni, hoc exemplar jugis judicii pœnam nutrientis. Montes uruntur, & durant. Quid nocentes, & Dei hoſtes &c.* Eadem habet lib. de pœnit. cap. 12.. Author quoque carminis *de judicio Domini* inter Tertulliani opera fuſe deſcribit incendium Inferni, & flammarum vim.

X. Luculentum eſt Arnobii teſtimonium in lib. 2. ad Gentes ubi ita loquitur: *audetis ridere nos, cum Gehennas dicimus, & inextinguibiles quoſdam ignes, in quos animas dejici ab eorum hoſtibus, inimiciſque cognovimus. Quid? Plato idem veſter in eo volumine, quod de animæ immortalitate compoſuit, non acherontem, non ſtygem, non cocytum fluvios, & Pyriphlegetontem nominat, in quibus animas aſſeverat volvi, mergi, exuri.... Quamvis vir lenis, & benevolæ voluntatis inhumanum eſſe crediderit capitali animas ſententia condemnare,*

non

non eſt tamen abſone ſuſpicatus jaci eas in flumina torrentia flammarum globis. Liquet ex hoc teſtimonio commune tunc fuiſſe apud Chriſtianos doctrinam de proprie dicto Inferni igne. Hinc enim Ethnici occaſionem ſumebant irridendi Chriſtifideles. Quare opus habuit Arnobius illos revincere authoritate Gentilis Philoſophi, Platonis videlicet, quem ignem eumdem ad impiorum punitionem admiſiſſe commonſtrat.

XII. Floruit circa initium ſæculi tertii S. Hippolytus Portuenſis, in cujus libro *adverſus Græcos*, qui inſcribitur *adverſus Platonem*, agens de *Hade*, ſeu Inferno præclariſſimum edit de ignis veritate teſtimonium his verbis: *locus ille tamquam carcer, & cuſtodia deſtinatus eſt animabus, in quo conſtituti ſunt Angeli cuſtodes dividentes varias, & temporarias pœnas, ſecundum cujuſque mores, actiones, & facinora. In iſto receptaculo locus quidam ſeparatur, lacus nimirum ignis inextinguibilis, ... Præparatus vero eſt ad determinatam a Deo diem, cum una ſententia juſti Judicis de omnibus feretur*. Et poſt aliqua: *injuſti ad ſiniſtram trahuntur ab Angelis tortoribus non ſponte incedentes, ſed vi, & violentia, ut vincti, rapiuntur .... Quas animas trahunt urgentes Angeli uſque ad confinia Gebennæ. Et qui tam prope ſunt, audiunt ſemper agitationem & æſtum, & non ſunt expertes vaporis, & fumi ab iſto calore manantis, & aſſurgentis, &c.*

XIII. Immenſus forem, ſi omnia, quæ de hoc argumento ſcripſit, eaque diſertiſſima invictus Martyr, & tertii Eccleſiæ ſæculi præcipuum jubar S. Cyprianus, huc corrivare vellem. Non omnia tamen præteribo. In Epiſt. ad Demetr. ſcribit: *credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna ſupplicia Gehennæ ardoribus irrogabit ...... Cremabit addictos ardens ſemper Gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna; nec erit unde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando, vel finem*. Et lib. de mortalit.: *mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit. Mori timeat, quem de hoc ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit*. Et libro de laude Martyr.: *cælo*, inquit, *martyres gaudent: veritatis inimicos ignis abſumet. Paradiſus Dei teſtibus floret: negatores Gehenna complexa æternus ignis inardeſcit*. Latius vero infra: *ſæviens locus, cui Gehenna nomen eſt, magno plangentium murmure, & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam ſpiſſæ noctis caliginem ſæva ſemper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc ſæviendi plurima genera, dum in ſe ipſe convolvit, quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciarit*. Idem pari eloquentia deſcribit ſermon. de Aſcenſ. Domini: *incorruptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus Dives...... in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines, & flammas miſerabilia corpora cremabuntur*. Vide etiam Epiſt. 55., & 56., & alibi.

XIV. Lactantius Firmianus ejuſdem ævi ſcriptor eximius non ſolum ignem Inferni corporeum aſſerit, ſed & illum graphice depingit hoc pacto: *quia peccata* (impii) *in corporibus contraxerunt, rurſus carne induentur, ut in corporibus piaculum ſolvant. Et tamen non erit caro illa, quam Deus homini ſuperjecerit, huic terrenæ ſimilis, ſed inſolubilis, ac permanens in æternum, ut ſufficere poſſit cruciatibus, & igni ſempiterno: cujus natura diverſa eſt ab hoc noſtro, quo ad vitæ neceſſaria utimur: qui, niſi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per ſe ipſum ſemper vivit, ac viget ſine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, ſed eſt purus, ac liquidus, ac in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua ſurſum verſus urgetur, ſicut noſter; quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cæleſtem naturam cum trepidatione mobili ſubvolare. Idem igitur divinus ignis una eademque vi, atque potentia & cremabit impios, & recreabit: & quantum e corporibus abſumet, tantum reponet: ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit. Quod Poetæ in vulturem Titii tranſtulerunt. Ita ſine ullo revireſcentium corporum detrimento adurет tantum, & ſenſu doloris afficiet*.

XV. Inclaruit circa tempora Concilii Nicæni Euſebius Cæſarienſis, cujus mens de Gehennali igne elucet ex lib. XI. de præpar. Evangel. Cap. 20., ubi ait: *audi nunc Platonem, quemadmodum & divini judicii, & ignei fluminis nominatim meminerit, multaſque piorum ſedes & impiorum varia ſupplicia Hebræorum ex ſenſu, & doctrina deſcribat*. Et adducto Platonis textu ſubdit: *conſeras velim cum iis, quæ de Pyriphlegethonte dicta ſunt, ſempiternum ignem impiis denunciatum juxta illud hebræi Prophetæ; quis annunciabit vobis quod ignis ardeat &c.*

XVI. S. etiam Athanaſius, ſive quicumque ſit Author quæſtionum, quę inter ejus opera extant, quæſt. 112. ad illa verba Davidis; *vox Domini intercidentis flammam ignis*, hoc commentarium appingit: *Significat hoc futurum ignis ſupplicium, qui tandem juſſu Chriſti dirimetur. Ignis namque duplicem vim habet, ad lucendum videlicet, quod dabitur juſtis, & ad cremandum, quod peccatoribus dabitur.*

XVII. Sequiorum temporum Patres, & Scriptores ſtatim perſequemur. Lubet interim pauca quædam excerpere de hoc argumento ex actibus ſincerioribus Martyrum, qui tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſtianam fidem proprio ſanguine conſignarunt, ex quorum teſtimoniis legitimam certamque conjecturam informare licet, quid toto Chriſtiano orbe de inferorum igne creditum fuerit. Hæc igitur ſint ex Ruinarto præſertim eruta.

XVIII. In actis ſinceris & ſelectis paſſionis S. Felicitatis, & filiorum ejus refertur reſponſio, quam dedit quartus ex illis *Silvanus* nomine Tyranno ipſum minis, ac terroribus a vera fide dimovere conanti. *Novimus*, inquit, *quæ præmia ſint parata juſtis, & quæ ſit pœna conſtituta peccatoribus. Idcirco ſecuri contemnimus legem humanam, ut juſſa divina ſervemus. Idola enim contemnentes, Deo Omnipotenti famulantes vitam æternam invenient: adorantes autem Dæmonia, cum ipſis in interitu erunt, & in incendio ſempiterno*. Paria quoque reſpondit ſeptimus nomine *Martialis*.

XIX. In actis S. Pionii, qui martyrium ſubiit anno 250. legitur, quod cum quibuſdam ſuaſiſſet ut Chriſtiani fierent, illi vero ſe id nunquam facturos reſpondiſſent, vel ſi vivi comburerentur, repoſuit multo *pejus eſſe ardere poſt mortem*, cui ſupplicio propter idolorum cultum certiſſime addicendi erant.

XX. In actis SS. Luciani, & Marciani habetur ita eos reſpondiſſe Tyranno acerrima tormenta comminanti: *in hoc parati ſumus, ut quibus volueris nos impendas tormentis, quam denegantes vivum & verum Deum in tenebras exteriores, & ignem inextinguibilem, quem paravit Deus Diabolo, & Angelis ejus, ingrediamur.*

XXI. In actis SS. Martyrum Claudii, & Aſterii ad annum 285. cum Lyſias Præſes invictæ fœminæ, cui nomen *Domnina*, dixiſſet: *vides mulier, quæ tormenta, & ignis parantur tibi? Unde ſi vis evadere, accede, & ſacrifica Diis: Domnina dixit: ne in ignem æternum incidam, & tormenta perpetua Deum colo & Chriſtum ejus, qui fecit cælum, & terram*. Theonilla quoque eidem Præſidi reſpondit: *ego ignem æternum timeo, qui poteſt corpus, & animam perdere.*

XXII. In actis S. Philippi Epiſcopi Heracleæ, cum Præſes Baſſus Hermeti dixiſſet: *traderis incendio, ſi in hoc furore permanſeris*, in ſententia ſcilicet Chriſtum confitendi; reſpondit Hermes: *flammam mihi levis iſtius minaris ardoris, quæ deficit, pene antequam ſurgat, ignorans violentiam illius perennis incendii, quod ſine remiſſione ſemper exæſtuat.*

XXIII. In actis S. Afræ: cum ad ſtipitem alligata, jam jam comburenda foret, oculis in cælum erectis in hunc modum oravit: *Domine Deus … accipe in hac hora paſſionis meæ pœnitentiam, & per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus eſt, ab illo igne æterno me libera, qui animam & corpus ſimul exurit.*

XXIV. In actis S. Patritii Epiſcopi & Martyris, hæc inter alia ad Proconſulem dixiſſe perhibetur: *Deus geminas ſedes apparavit, earumque alteram ſempiterna illuſtrem luce faciens omnibus, iiſque exquiſitiſſimis bonis cumulavit: alte-*

ram

Digitized by Google

ram vero perpetuis tenebris, & nunquam finiendæ caſtigationis igne, velut ſempiterno ſupplicio implevit; ut .... qui vivendi licentia ejus iras commeruiſſent, in tenebras ad omne ſupplicium, & ſempiternos cruciatus deturbarentur. Et poſt aliqua: *ſubterraneus autem ignis animabus impiorum excruciandis deſtinatus eſt*.

XXV. S. Baſilius *oratione de S. Gordio martyre*, de eodem refert ita locutum eſſe iis, qui eum plorabant: *ipſos flete, qui ignem nobis parant, ſibimet Gehennæ incendia, iramque in die iræ theſaurizantes*. Et orat. de 40. Martyribus ita illorum quemdam loquentem exhibet: *honoris ſuperni cupidus ſum. Pœnas Gehennæ metuo. Illius ignis mihi formidoloſus. Nam ignis ille, quem vos nobis intentatis, conſervus eſt*. Cætera mitto.

CAPUT XII.

Argumenti ejuſdem proſecutio. Tam Græci, quam Latini Patres, qui quarto, quinto, & ſexto Eccleſiæ ſæculis floruere, verum in Inferno ignem concorditer profitentur. Hieronymi, Auguſtini, & Gregorii mens latius expoſita. Tum ſequentium ſæculorum Patres & Scriptores in medium producuntur. Quædam in laudata Patrum teſtimonia animadverſiones.

I. PRiora tria Æræ Chriſtianæ ſæcula ad uſque tempora Concilii Nicæni, ſive pacem Eccleſiæ redditam, luſtravimus capite ſuperiore, & clariſſima deprehendimus monumenta tum in Sanctis Patribus, tum in Chriſtifidelibus, qui martyrium pro fide ſubierunt, atque adeo in tota Eccleſia, cujus doctrinis imbuebantur, communis de igne inferni corporeo traditionis. Ad Patrum, qui deinceps floruerunt, mentem indagandam progredior, non omnium quidem, nullus enim eſſet orationis finis, ſed præcipuorum, qui Eccleſiam quovis ſæculo ſcriptis ſuis illuſtrarunt.

II. Primus itaque ſit S. Cyrillus Hieroſolymitanus, qui Catech. 18. n. 19. perſpicuum reddit de hac re teſtimonium inquiens: *reſurgemus igitur æterna quidem omnes, non omnes vero ſimilia habentes corpora. Verum ſiquis juſtus eſt, cæleſte corpus accipiet, ut poſſit cum Angelis digne unà verſari. Si quis autem peccator eſt, corpus accipiet æternum, ut in igne æternum combuſtus, nunquam abſumatur*. Idem habet Catech. 15. n. 26. & Catech. 13. n. 38.

III. Sequuntur alii ejuſdem ſæculi quarti Patres. S. Hilarius *in pſalm. 57. n. 4.* verba illa Davidica, *intendit arcum ſuum, donec infirmentur*, hoc commentario illuſtrat: *in arcu ſeveritatem Judicii Dei ſignificari frequenter oſtendimus peccatorum hunc ſemper pœnis his, qui punientur, intentum. Et ſane intento arcu igne judicii eos ut liquefactam ceram auferendos ſermo ſequens declarat: ſuperceciddit ignis, & non viderunt ſolem. Superjectus ergo ignis eos auferet ... ac ne id, quod tamquam cera liquefacta auferentur ... abolitionem eorum potius, quam pœnam ſignificaret, adjecit, priuſquam &c. Viventes itaque eos cum pœnæ ſcilicet ſenſu abſorbet ignis, etiam antequam reſurgant*. Et lib. 10. de Trinit. n. 34.: *Sed forte vel hoc tibi relictum occaſionis impiæ arbitraris, ut* (Chriſtus) *deſcenſionem ad inferos, & ipſam mortis timuerit neceſſitatem ..... Anne tibi metuere infernum chaos, & torrentes flammas, & omnium pœnarum ultricium abyſſum credendus eſt, dicens Latroni in cruce: amen dico tibi, hodie &c.*

IV. S. Pacianus in Paræneſi ad pœnit. *Vim Gehennæ & de præſentibus æſtimate, cujus fumariola quædam maximos montes ſubterraneis ignibus decoquunt ... ſæculares ecce ignes timemus, & carnificum ungulas expaveſcimus. Comparate cum his æternas torquentium manus, apiceſque flammarum nulla ætate morientium*.

V. S. Ephrem Syrus in ſermon. Exeget. (a) „ obvio, ait, & facili experi- „ mento comperitur ignem, quem divi-

(a) Tom. 2. Edit. Syriac. lat. pag. 354.

„ næ Scripturæ memorant, hoc noſtro „ acriorem, atque atrociorem eſſe, ejuſ„ que cruciatum tormentum ignis hu„ jus temporis multo ſuperare. Hujuſ„ modi porro pœna exercebuntur, quos „ Dei judicium in eas flammas conji„ ciet. Quod ut mihi verum, & cer„ tum eſt, ſic debent omnes fateri, & „ credere, ſæculi videlicet illius ignem, „ ut dixi, hoc noſtro longe eſſe atrocio„ rem. Nam ut iſte maxime efficax ſit, „ nitet tamen, & ſplendet; ille vero cum „ vehementiſſime ferveat, & acerrime „ urat, horrendis tamen involvitur tene„ bris, & noctem affert teterrimam. Iſte „ obvium nutrimentum uſque eo depaſci„ tur, dum abſumpſerit; ſiquid autem „ contrarium inciderit, extinguitur, ceſ„ ſat, & revaneſcit. Contra ille ignis „ nunquam reſtinguendus non abſumit, „ quos torquet, miſeros; nec enim abſu„ mere juſſus eſt, ſed tantum urere, ac „ torquere. Ignis iſte coquit cibos, & „ eſui aptos reddit, & algorem expel„ lit. Ille ſuis flammis præter tenebras „ etiam dentium ſtridorem miſcet, ſon„ tes tenebroſus depaſcitur, depopula„ tur, deſolat, ac torquet, ut ex„ pers lucis, ſic etiam finis. Scri„ ptum eſt enim ignem fore ſempiter„ num. „

VI. S. Baſilius Magnus Eccleſiæ Græcæ fulgentiſſimum lumen ita diſſerit in Pſal. 28. ad illa verba, *vox Domini intercidentis flammam ignis*. „ Domini „ vox ignem ſuapte natura continuum, „ ac ſibi cohærentem intercidit. Quam„ quam igitur ignis conſiliis humanis „ inſecabilis, & individuus videtur eſſe; „ nihilominus tamen Domini juſſu in„ terciditur, ac dividitur. Ignem au„ tem, qui diabolo, & angelis ejus pa„ ratus eſt, voce Domini intercidi reor, „ ut cum duæ ſint in igne facultates, „ quarum una comburit, altera illuſtrat, „ ignis quidem aſperitas, ac torquendi „ proprietas iis, qui aduſtione digni „ ſunt, ſervetur: illius vero ſplendor, „ & claritas ad hilaritatem eorum, qui „ lætam & beatam vitam acturi ſunt, „ deſtinetur. Vox igitur Domini in„ tercidentis, ac dividentis flammam „ ignis, adeo ut ſupplicii quidem ignis „ obſcurus ſit, lux vero requietis vi „ careat comburendi „.

VII. S. Paulinus Nolanus in carmine de obitu Celſi, cum rejeciſſet tamquam vana commenta, quæ Poetæ Gentiles de conditione pœnarum Inferni ſcripſerant, ſubdit:

At nos vera Deus docuit, Sator ipſe ſuorum
Enarrans nobis omnia vera operum
Diſce Evangelio loca pauperis, & loca Ditis:
Pauper in Abraham, Dives in igne jacet.
Iſte bona requie fruitur: gemit ignibus ille,
Dives opum pœnas, pauper opes recipit.

Et Epiſt. 31. ad Aleth.: *credo in Evangelio divitem Tartari, cum totus (ut clamat) miſer cruciaretur in illa ignei gurgitis flamma, ſolius tamen linguæ refrigerium poſtulaſſe, quo ſine dubio vehementius cruciabatur.*

VIII. Innumera ferme loca de hoc eodem igne ex operibus S. Joannis Chryſoſtomi poſſem producere; ſed duobus contentus ero. Prior eſt in ſer. ad Theodorum lapſum (a), ubi ita illum alloquitur, ac terret: *cum ignem audis, cave putes eſſe huic igni ſimilem: hic enim quidquid corripit, devorat, & abſumit: ille vero quos ſemel apprehendit, perpetuo comburit, nec unquam deſiſtit; ideoque inextinguibilis dicitur. Siquidem etiam peccatores oportet induere immortalitatem non ad honorem, ſed ut perpetuum ſit illius ſupplicii viaticum … Quis enarraverit terrores ex tenebris illis injectos animis noſtris? Quemadmodum enim ignis ille non conſumit, ita neque lucet: alioquin non eſſent tenebræ* Alter vero homil. 44. in Matth., ubi ait: *maledicti in ignis fluvium, atque pelagus intrudentur, in quo ignei fluctus montium inſtar eriguntur: ignei, dico, non hujus ignis,*

(a) Num. 8. edit. Monſ.

ignis, ſed ignis certe multo, quam hic, horribilioris, cujus flamma maximum conficit abyſſum, ita ut undique ignis immaniſſimæ ſimilis feræ tranſcurrere videatur. Paria tradunt S. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis præfat. ad Benev., & S. Prudentius in Hamartigenia. De S. Ambroſio plura dicemus cap. ſequente.

IX. S. Hieronymus in celebri Epiſtola ad Avitum inter errores cavendos in libris Origenis hunc accenſet, quod *ignis inferni non puniat in ſuppliciis, ſed in conſcientia peccatorum.* Et Apologia 2. contra Ruffinum ſcribit, *ignes autem æternos, quos intelligere ſolet Origenes, puto, quod te non fugiat, conſcientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis urentem.* Quibus in locis ſolius Origenis propriam hanc opinionem fuiſſe ſatis oſtendit.

X. Hanc in ſuis Diſcipulis vigentem acriter refellit Comment. in Epiſt. ad Epheſios lib. 3. cap. 5. ad illa verba, *nemo vos decipiat inanibus verbis*, inquiens: *verba quæ decipiunt, atque ſupplantant, inania ſunt & vacua. Quæ vero ædificant Audientes, plena, cumulata, conferta. Quia igitur ſunt plerique* (Origeniſtæ videlicet) *qui dicunt non futura pro peccatis eſſe ſupplicia, nec extrinſecus adhibenda tormenta: ſed ipſum peccatum, & conſcientiam delicti eſſe pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in anima ignis accenditur in ſimilitudinem febris, quæ non torquet extrinſecus ægrotantem, ſed corpora ipſa corripiens punit ſine cruciatuum forinſecus adhibitione. Has itaque perſuaſiones, & decipulas fraudulentas verba inania appellavit & vacua, quæ videntur florem quemdam habere ſermonum, & blandiri peccantibus, ſed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna ſupplicia.*

XI. Nihilominus, quamvis hic tanto ardore in hanc opinionem invehatur Hieronymus, cenſet Daniel Huetius (*a*) non eam ipſi ſemper diſplicuiſſe, quod in fine comment. in Iſaiam, eamdem commemoret, quin ei ullam ſeveriorem notam inurat, immo neque rejiciat.

XII. Verum mala eſt conſecutio, quam inde derivat Huetius. Conſuevit enim Hieronymus, ut animadvertit Petavius (*b*), ita etiam in manifeſte damnatis hæreſibus aliquando facere, ut ea memoret, nec tamen reprobet: quemadmodum tum ex comment. hoc in Epiſt. ad Epheſios, tum ex Apologia contra Ruffinum conſtat. Quare nihilo iſthic magis illam Origenis de igne ſententiam admiſit, quam illic reliqua ejuſdem dogmata, quæ nulla reprehenſione perſtrinxit, cum ea tamen alias graviſſime condemnet.

XIII. S. Auguſtini mens de veritate ignis corporei perſpicua eſt quamquod maxime vel ex iis duntaxat, quæ habet in libris de Civit. Dei. Nam in primis lib. 20. Cap. 22. dicit, *credibilius eſſe* in illo Scripturæ loco, ubi dicitur *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, igneni proprie ad corpus, vermem vero tropice ad animam referri.* Deinde *lib. 21. cap. 2. & 3.* inquirit, *an poſſint corpora in uſtione ignis eſſe perpetua: & an conſequens ſit ut corporeum dolorem ſequatur carnis interitus.* Et oſtendit incredibile nequaquam videri debere, quod corpora in uſtione ignis poſſint perpetua, & viventia permanere: cujus rei plura affert exempla *cap.* 4. Et poſt plura ſequentibus capitibus expenſa, demum *capite* 10. ita concludit: *At vero Gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis, & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum, & Dæmonum, ſolida hominum, aerea Dæmonum; aut tantum hominum corpora cum ſpiritibus, Dæmones autem ſpiritus ſine corporibus, hærentes ſumendo pœnam, non impartiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utriſque ignis erit, ſicut Veritas dixit.* Eamdem ſententiam docet, aut tamquam indubitatam ſupponit in aliis locis, nempe ſuper Pſal. 49. & 57.,

(a) In Origenianis lib. 2. cap. 11.
(b) lib. 3. de Angelis.

& 57., lib. de fide, & operibus, lib. 1. de Serm. Domini in monte agens de illo Matth. 5. *reus erit Gehennæ ignis &c.* S. Auguſtino Oroſium ſubjicio, qui in commonit. ad ipſum *de erroribus Priſcillianiſtarum, & Origeniſtarum* conqueritur eos docere inter alios errores, *ignem æternum, quo peccatores puniuntur, non eſſe verum ignem, dicentes dictum eſſe ignem propriæ conſcientiæ punitionem*.

XIV. Juxta eamdem ſententiam plura ſcribit S. Gregorius Magnus. Lib. 4. Dialog. cap. 28. inquit: *ſicut electos Beatitudo lætificat; ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui ignis reprobos exurat*. Et Petro interroganti qua ratione *credendum eſt quia rem incorpoream* (animam nempe a corpore ſeparatam) *tenere ignis corporeus poſſit;* Reſpondet: *Si viventis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, cur non poſt mortem, cum incorporeus ſit ſpiritus, etiam corporeo igne teneatur?* adductoque ſubinde ad id probandum textu Lucæ cap. 16. de anima Divitis Epulonis in Inferno poſita, & clamante, *crucior in hac flamma*, ſubjicit: *dum ergo peccatorem Divitem damnatum veritas in igne perhibet, quiſnam ſapiens reproborum animas teneri ignibus neget?* Denique Petro dicente: *ignem Gehennæ corporeum eſſe non ambigo, in quo certum eſt corpora cruciari*; ſubjungit Gregorius: *Certe reprobis Veritas in fine dictura eſt:* ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. *Si igitur Diabolus, ejuſque Angeli, cum ſint incorporei, corporeo igne cruciandi ſunt, quid mirum ſi animæ & antequam recipiant corpora poſſint corporea ſentire tormenta?*

XV. Idem luculentiſſime tradit lib. 15. in Job cap. 29. ad illa verba cap. 20., *devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur*. Miro, ait, *valde modo paucis verbis expreſſus eſt ignis Gehennæ. Ignis namque corporeus, ut eſſe ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum neceſſe eſt ut ſervetur, per congeſta ligna procul dubio nutritur.... At contra Gehennæ ignis, cum ſit corporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur: Sed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſuccenſione non indiget, & ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur:* devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur: *quia omnipotenti juſtitia futurorum præſcia ab ipſa mundi origine Gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum eſſe ſemel inciperet, ſed ardorem ſuum etiam ſine lignis nunquam finiret*.

XVI. Hæc ſancti Gregorii lectio deſumpta eſt ex poſtrema, omniumque accuratiſſima editione Monach. S. Mauri. Cæterum in aliis editionibus frequentius loco *Gehennæ ignis cum ſit corporeus*, legitur, *cum ſit incorporeus*: atque inde a quibuſdam S. Pater opponitur, tamquam adverſus ſententiæ de igne vero materiali.

XVII. Sed retinendam eſſe lectionem quam poſuimus, monent Monachi Editores: quia ita habetur in quinque codicibus Vaticanis Mſſ., antiquiſſimo codice Bibliothecæ Barberinæ, duobus Biblioth. Chiſiæ, Anglicanis, & Gallicanis pleriſque. Gunſavillæus pariter (*a*) plurimas laudat antiquiores, emendatioreſque editiones, quorum Authores ita legerunt. Atque id confirmat 1. ex codice Mſſ. Corbejenſi tempore Adhalardi Abbatis circa ann. 750., in quo habetur liber, cui titulus *Ecloga de moralibus Job quas Gregorius fecit*, ubi lib. 15. legitur: *Gehennæ ignis, cum ſit corporeus &c.* Confirmat etiam ex Odone Cluniacenſi in epitome moralium S. Gregorii cap. 20., num. 26., & ex Garnero Canonico S. Victoris Pariſienſis ſub Hilduino Abbate in opere, quod *Gregorianum* nominavit lib. 11. Cap. 1. eodem modo legentibus, & ex Mſſ. codice, qui aſſervatur in Bibliotheca Cæleſtinorum Pariſienſium: addo & Mſſ. Bibliothecæ Ambroſianæ. Eadem lectio confirmatur ex Prudentio Trecenſi, & Floro Eccleſiæ Lugdunenſis Diacono contra Jo. Erigenam ſcribentibus. Denique eo modo hunc locum laudavit S. Thomas in 4. ſentent. diſt. 44. qu. 2. & co-

(a) Apud Natalem Alexand ſæcul. 6. cap. 4.

codices ſive Mſs. ſive editos, qui legunt, *ignis Gehennæ cum ſit incorporeus* corruptos eſſe obſervavit Sixtus noſter Senenſis lib. 5. Biblioth. Sacr. annot. 143.

XVIII. Sed etſi legamus textum illum juxta alias editiones, clare patet tum ex verbis laudatis, tum ex iis, quæ poſtea ſubjicit, S. Gregorium vocem illam *incorporeus* non uſurpaſſe in ſenſu ab adverſariis intento, ſed in alio plane diverſo. Neque enim quæ de illo igne ibidem aſſerit, ullatenus igni ſpirituali, & metaphorico aptari queunt, puta quod creatus fuerit ab origine mundi, quod lignis non indigeat, ut nutriatur, ſed ſubſiſtat per divinam omnipotentiam, quod reprobos in anima ſimul & carne cruciet, quod nedum interius, ſed exterius ardeat, &c.

XIX. Floruit circa annum 470. Cæſarius Arelatenſis, qui ita ſcribit homil. 38. *peccatores cum carne deſcendent in infernum: juſti cum carne percipient regnum. Quia juſtum judicium Dei erit, ut illa caro, quæ hic peccavit, & pœnitentiam non egit, ipſa cum anima in igne crucietur.*

XX. Sub idem fere tempus vixit S. Orientius, ex cujus Commonitorio ſimplicibus verſibus exarato, ſed unctione cæleſti referto, hæc habeto in rem noſtram:

Ignibus æternis immenſos reſpice colles
Jugiter amburi, non tamen imminui.
Et gelidos fontes, & cærula flumina cerne
Fundere ſemper aquas, ſemper habere tamen.
Sic miſeros vindex ſemper populabitur ignis
Ut ſemper ſervet pabula læta ſibi.

XXI. Huic addo alios duos ejuſdem circiter ævi Chriſtianos Poetas, nempe S. Alcimum Avitum, & Venantium Fortunatum, quorum prior ita canit lib. 3. cap. 10. de Divite Evangelico:

Spiritus abſtruſo, ſed mox demiſſus Averno
Ardet in æternis per ſæva incendia pœnis.

Alter vero lib. 4.

Spe vacui, paleæ ſimiles mittentur in ignes.
Paſcendis flammis fit caro noſtra cibus.
Vivunt ad pœnas æterno ardente camino.....
Porrigit heu nullas flammiger ignis aquas.

XXII. Ex pluribus S. Cyrilli Alexandrini unum tantum vel alterum teſtimonium adduco. In Iſaiam ad illa verba, *dixiſti, in cælum conſcendam*, ſic ait: *deprehenſus es fruſtra hæc cogitaſſe. Arguit tuam ſiniſtram incogitantiam rerum exitus &c. Poſtquam autem deſcendit in Orcum condemnatus miſer, ibi flamma omnium rerum edace detentus, mirabantur hoc eum pati &c.* Et oratione de exitu animæ ſic inducit impium in inferno poſitum conquerentem; *propter corporis voluptates igni trador:* ac deinde late deſcribens locum inferni corporeum, & tenebroſum exclamat: *væ, væ, qualis eſt Gehenna ignis inextincti urentis quidem, ſed non lucentis, ſed & luce carentis.* Item: *mihi amarulentam, timeo Gehennam, quippe interminatam: Exhorreo Tartarum, ut cui nimium inſit caloris: paveo tenebras, &c.*

XXIII. Suffragatur etiam Theodoretus commentario in Pſalmos. In Pſal. 28. hæc habet: *cum ſacrorum Apoſtolorum chorus ignitam Spiritus Sancti gratiam accepiſſet, illuſtrabatur quidem, ſed non comburebatur: in futura autem vita gemina vis ignis bifariam diviſa, hæc quidem virtutis Athletas illuſtrat: hæc vero peccati ſtudioſos comburit.* Præterea *& ignis nominatur, & obſcuritas vocatur impiorum pœna, eo quod illa vis ignis, quæ illuſtrat, ibi non exiſtat.* Et in Pſal. 96.: *Geminæ ſunt vires ignis, videlicet comburendi, & illuminandi. Verum hanc illuſtrandi vim ſanctorum chorus conſequitur; per alteram vero iniqui homines ſuppliciis afficiuntur.*

XXIV. Non minus diſerte favet Caſſianus Collat. 1. cap. 14. dicens: *quia nec otioſæ ſint poſt ſeparationem hujus corporis animæ, neque nihil ſentiant, etiam Evangelii Parabola, quæ de illo paupere Lazaro, & Divite purpurato profertur,*

fertur, oſtendit: quorum unus beatiſſimam ſedem, ideſt ſinus Abrahæ requiem promeretur: alius intolerabili ardore æterni ignis exuritur. Et de Conf. Theol. part. 3. tribulatio, quæ illic excipiet miſeros, nullo termino finitur, nullo fine concluditur: ſed flammarum atroci aduſtione conſumitur, & ad rediviva incendia iterum, qui aduſtus fuerit, reparabitur.

XXV. Priora ſex Eccleſiæ Chriſtianæ ſæcula claudo locupletiſſima S. Fulgentii Ruſpenſis authoritate ex libro de fide ad Petrum Diac. deprompta: Nam Cap. 28. ita admonet: firmiſſime tene, & nullatenus dubites.... Diabolum, & Angelos ejus in ignem æternum a Chriſto eſſe mittendos..... cum ipſo etiam Diabolo impios, & iniquos homines..... quia eum in malis operibus imitati ſunt, & ante finem præſentis vitæ congruam pœnitentiam non egerunt, reſumptis corporibus ſupplicio æternæ combuſtionis arſuros. Et Cap. 43. firmiſſime tene, & nullatenus dubites.... in fine ſæculi bonos a malis etiam corpore ſeparandos..... Et ex ore juſti, æternique Judicis ſempiterna, atque immutabili prolata ſententia, iniqui omnes ibunt in combuſtionem æternam. Juſti autem in vitam æternam: iniqui ſemper arſuri cum Diabolo: juſti autem regnaturi ſine fine cum Chriſto. Demum cap. 44. ita concludit: hæc interim ad regulam veræ fidei firmiſſime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter, patienterque defende; & ſiquem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam peſtem fuge, & tamquam hæreticum abjice.

XXVI. Sequiorum etiam temporum Patres aliquos, aut Scriptores graviſſimos audire non pigeat, ut liquido appareat, quam conſtans in catholica Eccleſia ſemper fuerit ſententia, quam propugnamus. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. de ſummo bono Cap. 3. ſcribit: duplex damnatorum pœna eſt in Gehenna; quorum & mentem urit triſtitia, & corpus flamma, juſta viciſſitudine, ut qui mente tractaverant, quod perficerent corpore, ſimul & animo puniantur & corpore. Ignem Gehennæ ad aliquid lumen habere, ad aliquid non habere, hoc eſt habere lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant: & non habere ad conſolationem, ne videant, unde gaudeant, apta ſit comparatio de camino trium puerorum &c.

XXVII. S. Maximus Confeſſor in Sermone hortat. (a), poſtquam ob oculos propoſuit Chriſtum ablegantem eos, qui a ſiniſtris erunt, in ignem æternum paratum Diabolo & Angelis ejus, ſubdit: Quis ſævientem immanem illum ignem ſuſtineat?... Quis mugientem Tartarum, unaque cum illo ab imo gurgite bullientem abyſſum ſuſtinebit? Inducitque deinde reprobos ita ſecum loquentes: tranſierunt illa omnia; hoc nobis igne hæreditario jure in ſempiternum manſuro, &c.

XXVIII. S. Julianus Epiſcopus Toletanus lib. 2. Prognoſ. cap. 13. propria facit verba S. Gregorii ſupra relata: ſicut electos Beatitudo glorificat, ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui reprobos ignis exurat. Et cap. 17.: Si viventis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, cum incorporeus ſit Spiritus, etiam corporeo igne teneatur..... ex dictis Evangelicis colligere poſſumus, quia incendium anima non ſolum videndo, ſed etiam experiendo patiatur. Et lib. 3. cap. 40. aſſerit cum S. Auguſtino tamquam omnino certum, quod impiorum corpora abſque ſui conſumptione ſempiterno igne ardebunt. Et cap. 41.: cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum &c. Ex quibus colligere omnino opus eſt, cum idem S. Julianus cap. 43. addit ex eodem S. Auguſtino, neminem poſſe ſcire, qualis eſt ignis ille, vel ubi ſit, nec ipſum, nec Auguſtinum dubitaſſe de exiſtentia ignis corporei, ſed profiteri duntaxat ſe ſpeciales ejus qualitates neſcire.

XXIX. Venerabilis Beda in Caput 3. Lucæ ignem Gehennæ biſaria ratione incomprehenſibilem vocat, quia neque ille perpetuo poſſit extingui, neque eos, quos cruciat, unquam extincturus ſit: ſed immortali morte plexurus. Et lib. 5. cap. 13. hiſt. Anglic. fuſe de hoc corporeo igne pertractat.

XXX. S.

(a) Tom. 2 Edit. Combef.

XXX. S. Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus lib. cont. Jo. Scotum Erigenam cap. 17.: *ignem Diabolo, & angelis ejus præparatum, & in eo torquendos, atque cruciandos Scripturæ ſacræ manifeſte declarant. Nec tamen ignoramus identidem quondam dixiſſe Origenem, & eum pro his cum cæteris ſuarum hæreſeon damnabilibus ſenſibus fuiſſe dejectum*. Et cap. 19. *corporeum eſſe, flammeum, atque viſibilem mixta obſcuritate ignem Gehennæ omnes Orthodoxi conſentiunt*.

XXXI. Rabanus Maurus lib. 2. in Eccleſiaſtem Cap. 7.: *Vindicta carnis impii ignis, & vermis: quia caro peccatorum, quæ luxuria affluebat in mundo ſimul cum anima pœnis arctabitur in futuro, & igne cruciabitur Gehennæ..... Vermem dixit feram ſcelerum pœnitentiam, quæ nunquam in tormentis conſcientiam afflictorum mordere ceſſabit: ut ignis ſit pœna extrinſecus ſæviens, vermis dolor intrinſecus accuſans*.

XXXII. S. Petrus Damiani pro certo habet ac ſupponit corporeum eſſe Gehennæ ignem, dum in Vita Odilonis conjectatur graviſſima flammarum incendia, quæ in quibuſdam Siciliæ locis evomuntur, ab illis Inferni locis aſcendere, in quibus animæ reproborum diverſa luunt ſupplicia; quod & alii Patres credidere.

XXXIII. S. Bernardus ſerm. 8. in Pſalm *Qui habitat &c.*; & *de grat. & lib. arb. cap.* 9. diſerte ponit ignem inferni materialem cum tradit præcipue, *quandiu corpus vivit in flamma, tandiu in malitia perſiſtere voluntatem*. Et *de Domo inter.* Cap. 38.: *tormenta erunt ſine intervallo, & ſine temperamento. Timor conturbabit te, cum terra aperietur coram te, & tu rues, & cades in ſtagnum ſulphuris ardentis, & fœtentis. Ignis exterius carnem tuam conſumet: vermis interius conſcientiam corrodet*.

XXXIV. Hugo Victorinus de Sacr. fid. lib. 2. p. 16. cap. 3. „: quidam pu„ tant animas corporalibus pœnis cru„ ciari non poſſe, niſi per corpora, & „ in corporibus manentes. Quapropter a „ corporibus exutas animas nullas alias „ pœnas ſuſtinere credunt, niſi eas ſolum, „ quas conſcientia intus accuſatrix irro„ gat. Sed veriſſime authoritate Sacr „ eloquii, & catholicæ veritatis proba„ tur teſtimonio, corporaliter materiali „ igne animas etiam nunc ante ſuſce„ ptionem corporum cruciari. Si enim „ Dæmonibus, qui ſunt ſpiritus, corpo„ ralis ignis præparatus dicitur, quid „ mirum eſt, ſi animæ a corporibus e„ xutæ corporali igne crucientur? „

XXXV. Hugo Æterianus lib. *de regr. an. cap.* 12. inquit: *Unus Gehennæ ignis eſt in Inferno, ſed non uno modo omnes cruciat &c., nec eſt in dubitationis parte locandum ignem illiuſmodi eſſe corporeum, in quo certum eſt ſpiritus cruciari*.

XXXVI. Innocentius III. lib. 3. de contempt. mund. cap. 6.: *ignis Gehennæ nec lignis nutritur, nec flatu ſuccenditur, ſed a Deo creatus eſt inextinguibilis ab origine Mundi... ſemper ardebit, & nunquam lucebit: ſemper uret, & nunquam conſumet*.

XXXVII. Catervam omnium Eccleſiæ Patrum, & Scriptorum claudat S. Thomas Aquinas, qui *in* 4. *diſt.* 44. *q.* 3. *art.* 2. hanc excitat quæſtionem, *utrum ignis inferni ſit corporalis*, & poſt plura ſapienter animadverſa, quæ modum ſpectant, quo corporeus ignis operatur in animam, concludit: *quidquid dicatur de igne, qui animas ſeparatas cruciat; de igne tamen, quo cruciabuntur corpora damnatorum poſt reſurrectionem, oportet dicere, quod ſit corporeus*. Neminem ex cæteris memoro, qui ſubſecuti ſunt. Indubitatum quippe eſt omnes tum Theologos, tum Sacræ Scripturæ Interpretes in eamdem conſpiraſſe doctrinam, prout ſuperius adnotavimus.

XXXVIII. Duo porro in his, quæ contexuimus Patrum, & Scriptorum Eccleſiæ Teſtimoniis præſertim obſervari velim. Primo nempe ea hujuſmodi eſſe, ut ambigere nemo jure poſſit, quin *ignem* Inferni, de quo ſermo eſt, in proprio, ac nativo ſenſu, non autem tropico, vel metaphorico, omnes acceperint; maxime cum ſæpe eumdem ignem ita definiant, ut aditum omnem tropos aut metaphoras comminiſcendi intercludant. Alii namque compa-

rationem inſtituunt inter damnatorum ignem, & noſtrum hunc, quem habemus in uſu, in eoque unice diſcrimen agnoſcunt, quod ille non indiget lignis, aut fomentis, ut conſervetur; quod corpus ſimul & animam excruciet abſque eorum corruptione & interitu: quod æternum duraturus ſit &c. Alii tales eidem igni proprietates vel effectus attribuunt, quæ igni metaphorico convenire nullatenus poſſunt, ut quod ſit ab initio mundi accenſus: quod corpora vehementer affligat, quod lucem non emittat ad majus Damnatorum tormentum. Alii demum, ne omnia perſequar, quæ oculos ſtatim percellunt, data opera ad examen vocant, an ignis ille corporeus, vel ſpiritualis cenſendus ſit; eumque corporeum eſſe diſertiſſime ſtatuunt.

XXXIX. Alterum in his teſtimoniis animadvertere proclive eſt adverſus Thomam Alethinum, ſeu Joannem Clericum doctrinam de igne Inferni corporeo habitam non fuiſſe in Eccleſia tamquam adiaphoram, ſive indifferentem, adeo ut liberum eſſet omnibus ſentire, ac docere quidquid maluerint abſque ulla nota, neque Patres Catholicos fuiſſe inter ſe in hoc argumento diviſos, ut ille arbitratur. Quinimmo Patres omnes in hoc dogmate concordes deprehenduntur, prout ex iis, quæ cap. ſequente dicemus, luculentius conſtabit; illudque iidem non infrequenter ita proponunt, ut vel tanquam rem extra aleam controverſiæ poſitam judicent, vel contrariam opinionem erroris damnent, ac ſcripturis, fideique doctrinæ adverſantem rejiciant. Patet id perquam manifeſto ex eo, quod hanc recenſeant *inter errores cavendos in libris Origenis*, ut S. Hieronymus, vel *inter errores Origeniſtarum*, ut Oroſius. S. quoque Prudentius nedum hanc *Origenis hæreſim* appellat, ſed & ipſum *propter illam, & alias ab Eccleſia damnatum fuiſſe affirmat, omneſque Orthodoxos conſentire* in veritate ignis Inferni corporei. S. etiam Pamphilus, qui Origenis patrocinium ſuſcepit, non eo titulo ipſum vindicat, quod hujuſmodi ſententiam citra errorem docuiſſe potuerit, verum ab ipſo minime fuiſſe traditam, ſed eidem affictam contendit, plane, dum ita ſe gerit, & ipſe concedens eam non eſſe a catholico viro admittendam.

XL. Patet id præterea ex verbis aliorum Patrum, & Scriptorum. Nam S. Gregorius Magnus doctrinam de igne corporeo Gehennæ inter ea dogmata collocat, *de quibus non ambigitur*: S. Fulgentius in cenſu eorum ponit, quæ *firmiſſime tenenda ſunt, & de quibus nullatenus dubitandum eſt, utpote ad regulam veræ fidei pertinentibus*. Ugo Victorinus aſſerit eam probari certiſſima *authoritate ſacri eloquii, & catholicæ veritatis teſtimonio*. Ugo Æterianus *non eſſe*, ait, *in dubitationis parte locandum, quod ignis ſit corporeus, &c.* Quæ, aliæque ſimiles locutiones de ſententia adiaphora, aut indifferenti ſane non pronunciantur.

CAPUT XIII.

Patres, qui adverſus conſtitutam traditionem opponi ſolent, eidem contrarii non ſunt: quin potius ſuffragantur. Difficilis Ambroſii locus explanatus. Nullum ex eo præſidium arceſſere ſibi poſſunt, qui contra ſentiunt, ſi alia præſertim ejuſdem loca conſulantur. Gregorii Nyſſeni ſententia perperam a Daniele Huetio, aliiſque explicata. Tum ipſe, tum Joannes Damaſcenus in proprie dicto Gehennæ igne admittendo, cum ceteris Eccleſiæ Patribus concordes exhibentur.

I. UT ſplendidior emicet Catholicæ Eccleſiæ univerſalis, ac perpetua traditio de vero igne reprobis angelis, & hominibus a Supremo Judice deputato, quorumdam Patrum, qui diſſenſiſſe videntur, authoritates ad examen vocare, ac operoſe diſcutere hoc capite decrevi. Patres, qui ignem il-

lum

lum in tropico ſenſu explicaſſe creduntur, ſunt præcipue S. Ambroſius, S. Gregorius Nyſſenus, & S. Joannes Damaſcenus, quorum ſententias adeo claras, & apertas habent quidam etiam inſignis notæ Scriptores, ut de eorum mente dubitandum, nullatenus eſſe arbitrentur. Atque ego ipſe quidem non inficior ea, quæ ex hiſce Patribus proferuntur, ſi ſpecie tenus inſpiciantur, peregrinum aliquid, atque a communi doctrina alienum exhibere. Cæterum, ſi attentius expendantur, omniaque conferantur eorumdem Patrum loca, nihil eſſe pertendo, quod aſſerere cogat aliam ipſis inſediſſe ſententiam, quam quæ totius Eccleſiæ ſuffragio probatur. Ad examen igitur accedamus.

De Sancto Ambroſio.

II. Primus, qui ab Adverſariis opponitur, eſt eximius Eccleſiæ Doctor S. Ambroſius Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui lib. 7. in Lucam n. 205. hæc ſcribit: *quicumque ſine Chriſto eſt, in tenebris eſt; quia lumen in tenebris eſt Chriſtus. Ergo neque eſt corporalium ſtridor aliquis dentium; neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium; neque vermis eſt corporalis. Sed hæc ideo ponuntur: quia ſicut ex multa cruditate, & febres naſcuntur, & vermes; ita ſiquis non decoquat peccata ſua, ſed miſcendo peccata peccatis tamquam cruditatem quamdam contrahat veterum & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & ſuis vermibus conſumetur. Unde & Iſaias ait: ambulate in lumine ignis veſtri: & flamma, quam accendiſtis vobis. Ignis eſt quem generat mæſtitia delictorum; vermis eſt eo quod irrationabilis animæ peccata mentem rei, ſenſumque compungant.*

III. Verba hæc prima fronte ſatis diſerte videntur excludere a damnatorum loco verum ignem corporeum, quemadmodum & corporalem vermem, omniaque tropice, aut metaphorice exponere. Atque ita reapſe ſenſiſſe Ambroſium citra ullam dubitationem putant Petavius *lib. 3. de Angel. cap. 5.* Daniel Huetius *in Origenianis lib. 2. cap. 11.*, Michael Lequenius *in præfat. ad tract. S. Jo: Damaſc. cont. Manichæos*, Monachi Editores operum S. Ambroſii *in notis ad hunc locum*, & alii communiter, Coquæo excepto *in annot. ad cap. 9. lib. 21. S. Auguſt. de Civit. Dei:* qui tamen, licet aſſerat D. Ambroſium ab hac opinatione vindicari poſſe, nullam ipſum vindicandi viam indigitat.

IV. At quamquam ego longe abſim ab iis, qui contortis ac violentis interpretationibus Patres, aut Scriptores, vel reluctantes in ſententiam, quam propugnant, pertrahere conantur, omnibus tamen rite perpenſis mihi videtur jure Ambroſium ab hoc nævo purgari poſſe, duoque in ejus defenſionem conſtituo: primo nempe non ſatis conſtare ipſum in objecta authoritate loqui de futuro malorum hominum ſtatu, ſed veroſimilius loqui de præſenti, ſeu de peccatoribus in hac vita exiſtentibus. Secundo, tametſi loqui ponatur de ſtatu vitæ futuræ, inde colligi non poſſe Ambroſium in ea fuiſſe ſententia, quæ ipſi affingitur, cum cætera ejuſdem S. Patris loca communem tenuiſſe de igne inferni doctrinam luculenter oſtendant.

V. Et in primis quidem obſervo: ſi verba, quæ loco cit. habet S. Ambroſius, de futuro vitæ ſtatu intelligantur, plane meo judicio conſequens eſſet, nedum S. Doctorem non admiſiſſe verum corporalem ignem, quo reprobi torquerentur, ſed neque verum locum in quo detinerentur; eodem quippe modo ibidem loquitur de loco, ac de igne, & verme, ut patet ex verbis antecedentibus. Exponens enim verba illa Scripturæ, *mittetur in tenebras exteriores*, & inquirens quænam ſint hujuſmodi *tenebræ exteriores*, in quas mali homines mittuntur, docet non eſſe cogitandum aliquem carcerem, aut locum iis continendis deſtinatum, *ſed quicumque extra promiſſa ſunt cæleſtium mandatorum, in tenebris exterioribus ſunt; quia mandata Dei lumen ſunt, & quicumque ſine Chriſto eſt, in tenebris eſt; quia lumen in tenebris eſt Chriſtus*. Porro ſi mitti in tenebras ex-

teriores, nihil aliud eſt, Ambroſio Judice, quam eſſe *extra cæleſtia mandata, quæ lumen ſunt, & ſine Chriſto*, non minus ille corporeum locum, quam ſupplicium a Damnatis excluderet, ſi de his locutus fuiſſet. Hoc autem nemo hactenus aſſeruit, aut aſſerere poteſt, qui opera S. Patris perluſtraverit. Nam pluribus in locis admodum perſpicue ponit infernum locum quemdam eſſe definitum, in quo mali recludantur, ut in pſal. 43., & in pſal. 48., & libro de interpell. Job. cap. 8., & alibi frequenter.

VI. Sed ulterius ex ipſo verborum contextu ſatis probabile argumentum eruitur, ut Ambroſium de præſenti malorum ſtatu locutum eſſe dicamus. Sermonem habet in eo loco de Evangelica Parabola de invitatis ad nuptias, ac punitione illius, qui ad cœnam acceſſit ſine veſte nuptiali, atque ita diſſerit: *Et ideo, qui pacem & charitatem non detulerit ad Chriſti altaria, tolletur ligatis pedibus, & manibus, & mittetur in tenebras exteriores*. Ac ſubinde, explicans quid ſit mitti in tenebras exteriores, affert verba laudata: *quicumque extra promiſſa ſunt cæleſtium mandatorum, in tenebris exterioribus ſunt; quia mandata Dei lumen ſunt, & quicumque ſine Chriſto eſt, in tenebris eſt, quia lumen in tenebris eſt Chriſtus*. Quæ certe verba commodius intelliguntur de malis, ſive reprobis hominibus in hoc vitæ ſtatu exiſtentibus, quam in futuro.

VII. Clarius adhuc apparet hujuſmodi Ambroſii ſenſus ex verbis, quæ ſequuntur, nempe: *hæc ideo ponuntur; quia ſicut ex multa cruditate & febres naſcuntur, & vermes; ita ſiquis non decoquat peccata ſua, velut quadam interpoſita ſobrietate abſtinentiæ, ſed miſcendo peccata peccatis, tamquam cruditatem quamdam contrahat veterum & recentium delictorum, igne aduretur proprio &c.* Quis neget hæc proprie verificari non poſſe de homine in damnationis ſtatu conſtituto, ubi procul dubio non poteſt ſobrietate abſtinentiæ decoquere, ideſt corrigere peccata ſua? Optime vero verificantur de improbo in ſtatu vitæ præſentis, qui valet mores ſuos emendare, & pravos nequitiæ effectus ſubmovere abſtinentiæ remedio ſalutari. Quod ſi non præſtet, ſed *peccatis* jam nova *miſceat*, ſive adjiciat *peccata*, *contrahit cruditatem quamdam veterum, ac recentium delictorum*, adeoque *proprio igne aduritur*, ſive propriæ conſcientiæ facibus acrius inflammatur, & verme vividiore corroditur.

VIII. Fateor Scripturæ verba *mittetur in tenebras &c.* non hunc litteraliter ſenſum referre: Fateor etiam Ambroſium eadem minus proprie accommodare ad hominem peccatorem in hoc ſtatu degentem. Sed plane peregrinus & hoſpes ſit oportet in ſcriptis hujus S. Doctoris, qui neſciat familiarem eſſe hanc in eo conſuetudinem, ut res etiam apertiſſimas, & alium ſenſum referentes metaphorice, aut tropologice exponat, ut e. g. cum duo æra minuta Viduæ Evangelicæ *duo teſtamenta* eſſe interpretatur: cum Viduæ Naim filium *quatuor ad ſepulcbrum elementis* vectum deſcribit: cum miraculum de panum multiplicatione in ſenſu ſpirituali & allegorico declarat, & alia id genus, quæ ejus opera legentibus paſſim occurrunt. Cur igitur ea, quæ de igne, verme, & loco Damnatorum Scriptura teſtatur, eadem interpretandi libertate ad hujuſce vitæ peccatorem pluribus vitiis, & criminibus involutum transferre non potuiſſe dicemus?

IX. Quod ſi tamen conjectatio hæc noſtra ab aliis non probetur; illud ſaltem fateri neceſſum erit, perpenſo accuratius hoc argumento, ſimulque collatis Ambroſii teſtimoniis, aliam plane, quam hujuſce loci verba præſeferunt, fuiſſe Sancti Doctoris mentem, eaque incogitanter exſcripſiſſe ab Origenis *Periarchon*, ubi non ſententia tantum, ſed eadem verba leguntur. Ipſum quippe alibi habemus cum doctrina Eccleſiæ catholicæ de hac re omnino conſentientem; ut etiam fatentur ſupra laudati Monachi Editores. Ex pluribus, quæ extant in Ambroſii operibus, iiſque genuinis, teſtimonia aliqua profero.

X. Primum ſumitur ex *lib.* 4. *in Hexameron cap.* 3. *n.* 9. & 10., quod inte-

tegrum exhibere placet, ut mens S. Doctoris liquidius conſtet. Inquit ergo: „ Sol non ſolum virtutem illuminandi „ habet, ſed etiam vaporandi; igneus „ eſt enim. Ignis autem & illuminat, „ & exurit. Unde Dominus volens „ Moyſi oſtendere ſuæ operationis mi- „ raculum.... in igne viſus eſt in rubo, „ & rubus non exurebatur, ſed tantum „ ſplendere ignis ſpecie videbatur. Al- „ terum igitur munus ignis vacabat; „ alterum operabatur. Vacabat exuſtio- „ nis vis, operabatur illuminationis. I- „ deo ſtupebat Moyſes, quia contra na- „ turam ſuam ignis non exurebat ru- „ bum, qui etiam vehementiorem ma- „ teriam conſuevit exurere. Sed Domi- „ ni ignis illuminare ſolet, exurere non „ ſolet... *In retributionibus quoque me-* „ *ritorum colligimus dividi ignis natu-* „ *ram, ut alios illuminet, alios exurat: il-* „ *luminet juſtos, exurat impios.* Non eoſ- „ dem quos illuminat, exurit, & quos ex- „ urit, illuminat; ſed illuminatio e- „ jus inextinguibilis eſt ad perſunctionem „ (ſive ut alii legunt, perfectionem) „ bonorum: *exuſtio vehemens ad ſuppli-* „ *cium peccatorum.* „

XI. Clariſſime patet ex hoc textu S. Ambroſium de igne loquentem ad impiorum punitionem deſtinato, illum non in ſenſu tropico ſumere, ſed proprio ac litterali: tum quia non alium congruum ſenſum ejus verba patiuntur: tum quia de igne loquitur eodem pacto, ac antea locutus fuerat de ſole, qui in ejus ſententia igneus eſt, & de rubo, quem vero igne exarſiſſe non dubitat. Tum maxime quia duplicem in eo igne proprietatem diſtinguit, lucem ſcilicet, & calorem: & illa quidem juſtos in futura vita, ſive in cæleſti Patria illuminandos aſſerit poſt judicii diem, cum omnium *meritorum retributiones* fient; hoc autem in inferno impios eſſe exurendos: id quod etiam diſtinguunt alii SS. Patres, ac præſertim Baſilius, Ephrem Syrus &c.

XII. Locus alter habetur Enarrat. in Pſal. 36. num. 26., niſi me fallunt omnia, æque perſpicuus. „ Igne, inquit, „ ergo purgabuntur filii Levi, igne „ Ezechiel, igne Daniel. Sed hi, etſi „ per ignem examinabuntur, dicent ta- „ men: *tranſivimus per ignem & aquam.* „ Alii in igne remanebunt: illis rorabit ignis ut hebræis pueris, qui in- „ cendio fornacis ardentis objecti ſunt: „ miniſtros autem impietatis ultor ignis „ exuret... Quomodo tamen alii rema- „ neant in igne, alii pertranſeant, alio „ loco nos docet Scriptura divina: „ nempe in mare rubrum demerſus eſt „ populus Ægyptiorum: tranſivit autem „ populus Hebræorum. Moyſes pertran- „ ſivit; præcipitatus eſt Pharao: quo- „ niam graviora eum peccata merſerunt. „ *Eo modo præcipitabuntur ſacrilegi in* „ *lacum ignis ardentis, qui ſuperba in* „ *Deum jactavere convicia.* „ Qui ita loquitur, qui impios in igne remanſuros pronunciat, qui ſacrilegos præcipitandos ait, in *lacum ignis ardentis*, ſicut præcipitatus eſt Pharao in mare rubrum, næ ille talem ignem non metaphoricum, ſed materialem habet. Illud duntaxat animadverto, ut præcedentia verba ab omnibus intelligantur, Ambroſium, prout ex hoc loco, & ex aliis aperte colligitur, in ea opinione fuiſſe, quam nonnulli alii Patres tradidere, neminem juſtorum ad beatam gloriam perventurum, niſi prius per ignem tranſierit, juxta illud Apoſtoli *ſalvus erit quaſi per ignem*, quem vere corporeum credebant. De qua opinione conſuli poſſunt Huetius in *Origenianis* loco cit., Monachi editores operum S. Ambroſii, Petavius, & alii. Ex qua novum ſumitur argumentum dicendi Ambroſium vero igne exurendos reprobos crediſſe, quemadmodum vero igne ſin exurendos, leviter ſaltem raptimque contingendos juſtos omnes putavit.

XIII. His ad cumulum tria alia ſubjicio Sancti Ambroſii loca. Enarr. in pſal. 48. n. 24. ſcribit: *in Paradiſum aſcenditur, in infernum deſcenditur. Deſcendant, inquit, in infernum viventes. Et ideo Lazarus pauper per Angelos in Abrahæ ſinum eſt elevatus: Dives luxurioſus elevans in inferno oculos ſuos rogat Abraham, ut mittat pauperem, & digito ſuo contingat linguam ejus, quo requiem aliquam*

in

in ardore maximo conſtitutus poſſet adipiſci. Enarrat. in pſal. 118. Serm. 3. : *alius iſte eſt ignis, quo exuruntur peccata non voluntaria, ſed fortuita, quem paravit ſervulis ſuis Dominus Jeſus, ut eos ab iſta commoratione, quæ permixta eſt mortuis, emundet. Alius ille ignis, quem deputavit Diabolo, & Angelis ejus, de quo dicit:* intrate in ignem æternum, *quo ille Dives ardebat, qui ſtillari ſibi de Lazari digito poſcebat humorem*. Et Serm. 12. in eumdem pſalm. fidei Confeſſorem repræſentat in tormentis poſitum, *cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum,* ut in ſuppliciis temporalibus perferendis ſe ſe confirmet. Ex quibus liquet tum id, quod ſupra dicebamus, revera Ambroſium agnoviſſe infernum velut definitum quemdam locum ad reprobos continendos; tum in hoc loco talem ignem poſuiſſe, qui *ardore maximo* cruciet, qui *deputatus ſit Diabolo & Angelis ejus*, in quo *Dives luxurioſus* ardebat, cujus *incendii ſine fine duraturi* cogitatione ad ſubeunda temporaria tormenta Martyres erigebantur; quæ plane omnia verum ignem ſonant, ac tropicum amoliuntur. Unde demum manifeſtum eſt nedum S. Ambroſium minime pugnare cum communi doctrina de igne corporeo, ſed eidem potius diſertiſſime ſuffragari.

De S. Gregorio Nyſſeno.

XIV. Alter, qui objici ſolet Eccleſiæ Pater eſt S. Gregorius Nyſſenus in celebri libro, ſeu Dialogo *de anima &c.*, cujus ſupra jam mentionem fecimus, in quo ſub nomine *Magiſtræ*, ſeu *Macrinæ* ſororis ſuæ nonnulla habet tum de ſede inferni, tum de pœnis ejuſdem, quæ rem penitus non conſideranti Eccleſiæ doctrinæ minus conſentanea videntur. Primo namque tradit inferni nomine ſignificari *in id, quod & obſcurum eſt, & non videtur, tranſitionem*, renuitque concedere animas a corporibus ſeparatas locis aliquis detineri. Cumque ſibi objeciſſet narrationem S. Lucæ de Divite, & Lazaro, eam totam in tropico ſenſu interpretatur, & præſertim de flamma loquens, in qua ille ſe cruciari querebatur, ſic eam intelligit: *reliquis autem* (impiis videlicet) *eorum, quæ bona videntur eis electio, privatioque flamma animam perurens exiſtit*. Hæc adeo clara viſa ſunt Huetio, Monachis editoribus operum S. Ambroſii aliiſque, ut ne dubitandum quidem exiſtiment, quin ignem inferni tropicum, aut metaphoricum Nyſſenus crediderit.

XV. At pace tantorum virorum fidenter dicam, eos Nyſſeni mentem aſſecutos non eſſe, tantoque Patri ſententiam affingere, longe ab ejus mente alienam, dum generatim affirmant inferni ignem non verum ſed metaphoricum ab eo habitum fuiſſe. Ex iis enim, quæ alibi docet, aliud ac ipſi putant, hoc loco ſenſiſſe evidenter apparet. Mens ipſius nimirum eſt, ea, quæ in ſacris eloquiis dicuntur *de loco inferni, de Divite, & Lazaro, de igne &c.* ad futuram reſurrectionem referenda eſſe, cum totus homo anima & corpore conſtans factorum ſuorum retributionem recipiet: adeoque nunc temporis, quo ſola anima ſine corpore punitur, eadem ipſi in ſenſu duntaxat metaphorico aptari valeant. Hinc reproborum animas nec aliquo vero loco concludi cenſet, nec vero igne torqueri, ſed aliis pœnis, maximeque privatione eorum, quorum deſiderio vehementer accenduntur. Qua quidem in re fallitur Nyſſenus, ſed alios habet etiam inter Eccleſiæ Patres, & Scriptores Græcos falſæ opinationis comites, neque hujuſmodi eſt hæc ſententia, quod adeo pugnet cum divinis Scripturis, & Eccleſiæ doctrina, ſicut ea, quam præcipue refellimus, quæ nullum admittit in inferno verum ignem, puniendis reprobis deſtinatum. Unde S. Thomas loco ſupra citato ex lib. 4. ſent. quamquam rejiciat hujuſmodi opinionem, ſubdit tamen: *ſed quidquid dicatur de igne, qui animas ſeparatas cruciat, de igne tamen, quo cruciabuntur corpora, poſt reſurrectionem, oportet dicere, quod ſit corporeus*: plane ſignificans haud parem utramque obtinere certitudinis gradum.

XVI.

XVI. Hanc germanam eſſe S. Patris
Nyſſeni mentem promicat fulgentiſſime
ex orat. 3. in Chriſti Reſurrectionem,
ubi hæc habet. „ Si reſurrectio non eſt,
„ fabula Lazarus & Dives ille eſt: item
„ formidabilis & horrendus ille hiatus:
„ & ille intolerabilis ardor ignis, &
„ inflammatio: lingua item ardens: ad
„ hæc deſideratæ guttæ aqua (fabulæ
„ ſunt). Palam enim eſt, quod hæc o-
„ mnia nobis futuram ſignificant reſur-
„ rectionem. Lingua enim ac digitus
„ non incorporalia membra animæ in-
„ telliguntur, ſed partes corporis. Ac
„ nemo putet hæc jam contigiſſe: ſed
„ prædictionem eſſe futuri. Evenient au-
„ tem tunc, cum renovatio animam mor-
„ tuis reddiderit, & ad reddendam actæ
„ vitæ rationem unumquemque reduxerit,
„ compoſitum eodem modo quo prius,
„ ex anima & corpore conſtantem. „ Et
poſt pauca „ Ego autem etiam hoc Scri-
„ pturam audio prodentem, quod con-
„ demnati juſtis afficientur ſuppliciis,
„ *igne, tenebris, verme, quæ omnia com-*
„ *poſitorum, ac materialium corporum pæne*
„ *cruciatuſque ſint: animam vero per ſe*
„ *ſe ſeparatim ignis numquam attigerit:*
„ nec tenebræ quidem ei moleſtæ fue-
„ rint, utpote quæ oculis caret, & vi-
„ dendi inſtrumentorum expers eſt. Quid
„ autem vermis effecerit, qui corporum
„ non ſpirituum corruptricem vim ha-
„ bet? „ Quis non videt S. Patrem hic
apertiſſime corporeum ignem admittere
in inferno, unde reprobi omnes poſt diem
judicii, cum anima corpori unietur,
torqueantur, atque inde colligere neceſſi-
tatem reſurrectionis, ut eum ignem pa-
tiantur, quem ſolam animam, ſive a
corpore ſejunctam pati non poſſe opina-
tur? Hoc ſenſu Nyſſenum fuiſſe locu-
tum loco objecto ex lib. *de anima* dum
inferni ignem metaphorice expoſuit, ſal-
tem ſuſpicari facile poterant, qui illum
opponunt, ſi animadvertiſſent conſtan-
ter ibi S. Patrem de ſola anima loqui,
ſive de ſtatu animæ ante reſurrectio-
nem, cum a corpore ſeparata ſubſi-
ſtit.

XVII. Quamvis laudatum teſtimo-
nium in manifeſto lumine ponat S. Gre-
gorii mentem; duo tamen vel tria alia
loca produco, ut amplius eluceat ipſum
in re præcipua nunquam receſſiſſe a com-
muni Eccleſiæ doctrina. In oratione
Magna Catechet. Cap. 40. ita diſſerit: „
„ neque miſera, & dolore plena vita il-
„ lorum, qui peccaverunt, eſt ſimilis ulli
„ ex iis, quæ ſenſum hic cruciant. Sed
„ etſi aliquod ex iis, quæ illic ſunt, tor-
„ mentis, nominatum fuerit nominibus,
„ quæ hic ſunt cognita, non eſt tamen
„ parvum diſcrimen. Nam cum ignem
„ audis, didiciſti aliquid ab illo diverſum
„ intelligere „. Num fortaſſe quia inferni
ignis non verus ſit, ſed metaphoricus?
minime. Audi Nyſſenum ita proſequen-
„ tem: „ ex eo quod illi igni aliquid ſit
„ additum, quod non eſt in hoc. Nam
„ ille quidem non extinguitur; hunc au-
„ tem multa inventa ſunt, quæ extin-
„ guant. Magna eſt autem differen-
„ tia inter eum, qui extinguitur, &
„ eum, qui nullam admittit extinctio-
„ nem. „

XVIII. Gemina tradit in Pſal. *6.* de
Octava, ubi ſic exclamat: „ quis ter-
„ ribilis judicii Chriſti recordatus, non
„ ſtatim in conſcientia ſua quaſi con-
„ vellitur, ac terrore & angore non
„ conſtringitur? Atque etiam ſi vitæ
„ melius, quam deterius actæ ſibi con-
„ ſcius ſit, attamen ad exactam diligen-
„ tiam & rigorem judicii reſpiciens, in
„ quo minimæ quoque culpæ in quæſtio-
„ nem adducuntur, ac prorſus expecta-
„ tione terribilium pœnarum perhorre-
„ ſcit, ignorans quiſnam ſibi judicii exi-
„ tus, & eventus futurus ſit. Idcirco quaſi
„ in oculis habens terribilia ſupplicia,
„ Gehennam illam, & tenebroſum i-
„ gnem, & conſcientiæ vermem nun-
„ quam emorientem, qui animam ſem-
„ per pudore ſugillat, & recordatione
„ male actæ vitæ cruciatus renovat, ac
„ redintegrat &c. Et *orat. ad eos, qui*
„ *durius & acerbius alios judicant:* „ ab-
„ ſurdum eſt cum illi, qui corporis valetu-
„ dinis rationem habent, ſeipſos expur-
„ gent ante caniculæ exortum..... eos,
„ qui animi curam gerunt, incertum
„ mortis diem non antevertere, & ar-
„ dorem excruciantis illius ignis, qui
æter-

Digitized by Google

„ æternum comburit , & nullum un-
„ quam refrigerium admittit, &c. „

De S. Joanne Damaſceno.

XIX. Teſtimonium, quod 1. opponitur ex hoc Eccleſiæ Græcæ Patre celebratiſſimo petitur ex *lib.* 4. *fidei Orthodoxæ* in fine, ubi hæc ſcribit: *tradetur Diabolus & Dæmones cum impiis, & peccatoribus in ignem æternum non materialem, qualis eſt, qui apud nos eſt, ſed qualem novit Deus*. Hunc ſibi locum artic. cit. objicit S. Thomas, atque ita diluit: *dicendum quod Damaſcenus non negat ſimpliciter illum ignem materialem eſſe, ſed quod non eſt materialis talis qualis eſt apud nos: eo quod quibuſdam proprietatibus ab hoc igne diſtinguitur*. Ignis nempe, ut fuſius explicat Jacobus Billius Author veteris editionis operum Damaſceni, quem habemus in uſu, extinguibilis eſt, lucidus, ea conſumens, in quæ actionem ſuam imprimit, nec ſpirituales, incorporeaſque ſubſtantias immediate afficit. Contra vero ignis inferni æternus eſt, & inextinguibilis, lucem non diffundit, agitque tum in corpora citra eorum conſumptionem, tum in animas corpore ſolutas, ſpiritu ſque cacodæmonum, dolorem acerbiſſimum inferendo.

XX. Petavius ipſe (a) conſentit Damaſceni textum facile conciliari poſſe cum vulgata Catholicorum ſententia:
„ ſiquidem, inquit, materialem, & no-
„ ſtri ſimilem negat eſſe inferorum i-
„ gnem, hoc eſt craſſum, atque denſum,
„ & pabuli egentem: quemadmodum ele-
„ mentum illud ignis, quod lunæ orbi
„ citimum eſt, Ariſtoteles ignem negat
„ eſſe, quod ignis proprie ſit exceſſus qui-
„ dam caloris, & fervor, cujuſmodi no-
„ ſter eſt. Quare ſi ignis ille ſuperior tan-
„ tum diſtat ab noſtro, & infimo, ut pro-
„ pe ſpecie differre videatur; quidni &
„ inferorum ignem longe utroque ſubti-
„ liorem *illicòn*, ac noſtri minime ſimi-
„ lem eſſe Damaſcenus jure dixerit,
„ quamvis perinde corporeum eſſe judi-
„ caret? Certe Lactantius huic interpre-
„ tationi favet, qui & corporeum, &
„ noſtratis diſſimilem illum ignem ſta-
„ tuit elegantiſſimis verbis „. Favent etiam alii Patres, qui eodem pacto loquuntur, cum tamen eumdem ignem materialem crediſiſſe certum ſit.

XXI. Nihilominus nec S. Thomæ, nec Billii & Petavii authoritati & explicationi acquieſcit Michael Lequienius *admonit. in Dialog. contra Manich. ejuſdem S. Patris Damaſceni*, ac præter citata verba, urget aliud teſtimonium ex hoc Dialogo depromptum num. 36. ubi ait: *ipſum eſſe a Deo proficiſcitur, qui ſolus eſt ſemper, ac bonorum largitor. Porro quod ex bono proficiſcitur, id prorſus bonum eſt. Quod ſi ſatius futurum fuiſſe dicitis, ut non exiſteret, quam factum quidem eſſe, at ſempiternis mulctari pœnis, hoc a nobis reſponſi feretis pœnam illam nihil aliud eſſe, quam nequitiæ cupiditatem, & peccati ignem, flammamque fruſtratæ libidinis. Non enim Dei, ſed vitii affectu* (ſive cupiditate) *ardent, qui ita affecti ſunt, ut eorum perverſitas nullam admittat mutationem*.

XXII. Sed plane non video, cur ob hunc textum Lequienius recedere debuerit a ſententia graviſſimorum Authorum, ac magiſtri ſui S. Thomæ, qui Damaſcenum communi doctrinæ non adverſari cenſuerunt. Omitto quod de opere illo *contra Manichæos* dubitatur apud Eruditos, Billium, Combefiſium, alioſque an legitimus ſit Damaſceni fœtus. Sit, per me licet, genuinum Sancti Patris opus, ut Lequienius perſuaſum habet; quid aliud, ut ſummum ex adductis verbis colligere debuerat, niſi Dæmones, atque adeo etiam cæteros incorporeos ſpiritus metaphorico, non proprio igne torqueri: quod & alii præcipue ex Orientalibus credidere; non autem univerſim negaſſe veri ignis in inferno exiſtentiam, quo ſaltem poſt ſupremi judicii diem Damnatorum corpora cruciarentur. Certum quippe eſt il-
lic

(a) lib. 3. de Angelis cap. 5.

Digitized by Google

ſic S. Patrem non de omnibus, ſed de ſolo Dæmone ſermonem habere.

XXIII. Verum neque id colligi jure poſſe mihi videtur, ſi & argumenti facti a Manichæis, & reſponſionis adhibitæ a Damaſceno ſcopus, & ſpiritus, ut ita loquar, attendatur. Contendebant illi Dæmonem natura ſua malum eſſe. Reſpondet Damaſcenus id perperam dici, cum eſſe, quod Dæmon habet, bonum aliquod ſit, adeoque a Deo profectum. Reponebant Manichæi *melius fuiſſe non habere eſſe*, ſive exiſtentiam, quam habere quidem, ſed pœnis ſempiternis affectum: immo hoc *aplos*, ſimpliciter malum eſſe, neque dici poſſe, quod tale eſſe ſic affectum a ſummo bono Deo proceſſerit. Nemo unus non intelligit ad inſtantiam hanc diluendam opus non eſſe aſſignare genus, aut qualitatem pœnarum, quibus Dæmon eſt obnoxius, ſed illud dumtaxat proponere, quod a primaria Dei voluntate oritur, & quod a Dæmonis culpa ac malitia procedit, quæ cauſa unica eſt, cur Dæmon æternis pœnis a Deo juſto judice ſubjiciatur. Atque ita plane feciſſe mihi videtur Damaſcenus, dum ita reſpondit: *hoc a nobis reſponſi feretis, pœnam illam nihil aliud eſſe, quam nequitiæ cupiditatem, &c.* Hoc eſt pœnam illam non alia ex cauſſa morali proficiſci, quam ex Dæmonis *nequitia flammaque fruſtratæ libidinis*, ſive ex pravo divinæ excellentiæ appetitu, qui effectu fruſtratus eſt, & ipſum appetentem in æternam miſeriam conjecit. Cui explicationi favent etiam verba, quæ ſequuntur: *non enim*, inquit, *Dei, ſed vitii affectu, ſeu cupiditate ardent, qui ita affecti ſunt, ut eorum perverſitas nullam admittat mutationem*: ideſt affectus ille ſeu cupiditas Dæmonis, quæ nullam admittit mutationem, non eſt cupiditas Dei, ſive bona, & ordinata, ſed *vitii*, ſeu vitioſa, & perverſa, adeoque mirum eſſe non debet, ſi ſempiterna pœna mulctetur. Hinc merito ſubjicit: *Deus igitur eum potius eſſe, ac vel minimam boni partem habere maluit, quam ob malum*, hoc eſt ob iniquam ejus cupiditatem, *hac quoque exigua boni parte privaretur.*

XXIV. Hoc aliove ſimili pacto explicandum eſſe Damaſcenum, ipſumque verum, & realem ignem in inferis admiſiſſe ex pluribus colligo. Colligo primum ex eo, quod Dialogo eodem num. 7. arguit adverſum Manichæos ex hoc principio, quod *Gehenna ſit res quædam, & ſubſtantia a Deo producta, & quæ Dæmones cruciat*. Porro, ut ſæpe adnotavimus, Gehennæ nomine venit locus, in quo magnus nutritur ignis. Supponit ergo ignem cruciantem Damnatos, quidpiam eſſe ab eorum ſubſtantia diverſum, ipſiſque extrinſece admotum: qui proinde non metaphoricus ille ab Adverſariis confictus, ſed verus, ac proprius eſt.

XXV. Colligo ſecundo ex verbis, quibus non uno in loco ignem inferni repræſentat. Nam lib. 2. de fide Orthod. cap. 4. de Dæmonibus ſermonem habens, inquit: *quamvis hominem ſuggeſtionibus pulſare ipſis permiſſum ſit, nemini tamen vim inferre poſſunt: ob idque Diabolo, & Angelis ejus inextinguibilis ignis paratus eſt, ac ſupplicium æternum, illiſque item, qui ipſum ducem ſequuntur.* Et Cap. 10. hiſtoriæ (quod opus genuinum eſſe S. Damaſceni fœtum pluribus evincit Leo Allatius) ſic inducit Barlaamum loquentem: *anima vero tua inferno addicta, in inferiores terræ partes uſque ad poſtremam reſurrectionem conjicietur. Quo ſcilicet tempore anima, recepto corpore ſuo, a Domini facie projicietur, ac Gehennæ, cujus flamma ſempiterna eſt, mancipabitur.* E in Epiſt. 1. ad Corinth. Cap. 3. ſic exponit verba illa Apoſtoli; *ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, inquiens: *hujus ſententiæ ſenſus eſt, quod ipſe non peribit, ut, quemadmodum ſua opera, in nihilum redigatur: ſed permanebit in igne. Rei itaque incolumitatem ſalutem appellat, propterea adjecit*, quaſi per ignem. *Etenim dicere ſolemus, materias, quæ non comburuntur, nec convertuntur ſtatim in cineres, in igne ſalvas eſſe. Ac ſi dicat: ne putaveris, cum ignem audis, eos qui ardent, in nihilum converti.*

XXVI. Colligo demum ex iis, quæ leguntur in Sacris Parallelis, quæ Damaſcenus ex aliorum Patrum ſententiis con-

Aa cin-

Digitized by Google

cinnavit, & quæ non refert duntaxat, ſed & ipſe laudat, & approbat, ut ex ejuſdem prologo liquet. In fine enim fragmentum quoddam affert, quod alii Cajo, vel Juſtino Martyri, alii S. Irenæo, alii veroſimilius S. Hippolyto Portuenſi adjudicant, ubi hæc habentur: *Infernus eſt locus in rebus creatis inconditus, receptaculum ſubterraneum, in quo lux mundi non ſplendet..... Regio illa eſt tamquam cuſtodia animabus deſtinata, in qua Angeli conſtituti ſunt cuſtodes, qui pro uniuſcujuſque facinoribus temporarias locorum pœnas diſtribuant. In hac regione locus quidam ſeparatus eſt, locus nimirum ignis inextincti.... præparatus autem eſt ad determinatum a Deo diem &c.* Ac ſubinde memorat & *conflagrationem & calorem*, immo, & *fumum* ex Gehenna manantem.

CAPUT XVI.

Argumenta adverſus ſententiam conſtitutam propoſita, ac ſoluta. Vocabulum ignis *nonnumquam in ſacris litteris tropice adhibitum haud probat ita quoque adhiberi, ubi de igne inferni ſermo eſt, ſicut neque* vermis *metaphora ad conſcientiæ cruciatum deſignandum uſurpata. Gehennalis ignis ejuſdem eſt naturæ cum noſtro: ſed differt proprietatibus. Nedum corpora, ſed & incorporeas ſubſtantias torquere poteſt, ac torquet. Quomodo agat in corpora citra eorum diſſolutionem, ac damnatos non æqualiter cruciet, explicatur.*

I. Aſſerta jam ex Scripturis, & perenni Eccleſiæ traditione ignis corporei veritate, quo reprobi cruciandi ſunt, ſupereſt ut aliqua diluamus argumenta, quæ adverſus conſtitutam doctrinam opponi ſolent. Primum deſumunt Adverſarii ex iis locis, in quibus ſacra eloquia vocem *ignis* uſurpant in ſenſu tropico, aut metaphorico, ut inde concludant etiam in ſenſu eodem congrue intelligi poſſe, ubi de igne inferni ſermo eſt. Sic Deuteron. cap. 4. com. 24. dicitur, *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*: pſal. 103. 4. *qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem, vel flammam ignis*, ut habetur in Epiſt. ad Hebræos. Proverb. 16. 27.: *vir impius fodit malum, & in labiis ejus ignis ardeſcit*. Jerem. 4. 4.: *ne forte ingrediatur, ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat*. Ezechiel. 21. 31.: *in igne furoris mei ſufflabo in te*; Et 36. 5. *in igne zeli mei locutus ſum*: quæ metaphora ſæpe etiam ab aliis Prophetis adhibetur. Matth. 3. 11.: *ipſe baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*. Lucæ 12. 49.: *ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Jacob. 3. 5.: *ecce quantus ignis quam magnam Sylvam accendit: & lingua ignis eſt &c.* Et alia hujuſmodi, quæ paſſim occurrunt.

II. Sed nullius plane momenti eſt hæc objectio. Utique lubens concedo ſumi quandoque vocabulum ignis in ſenſu tropico tum apud ſacros, tum apud Scriptores prophanos. Sed inde inferri jure nequit ita quoque ſumendum eſſe in iis locis, ubi de reproborum pœna agitur, neque enim pro ſenſu proprio in citatis ſimilibuſve textibus, ea militant, quæ in aliis confluunt, quibus de igne Gehennæ ſermo eſt. Quin regulæ Critices, & interpretationis, quæ cogunt ad hoſce textus in ſenſu litterali, & obvio intelligendos, cogunt etiam ut illos in ſenſu figurato & tropico accipiamus. Ac ne diutius immoremur in argumento adeo futili refellendo, illud generatim dicimus in locis allatis vel metaphoram, vel aliam tropicam locutionem ſtatim incurrere in oculos legentium, vel facillimo ſaltem negotio deprehendi. Quis enim audiens Deum, aut Angelos vocari *ignem conſumentem*, aut urentem, e veſtigio non percipit hoc de Deo, aut Angelis litteraliter enunciari non poſſe in ſenſu, ut inquiunt, formali, adeoque aliquam in iis vocibus exprimi eorumdem operationem? Quis legens Deum effundere *ignem indignationis ſuæ*, aut in *igne furoris*

roris loqui, vel in *igne zeli*, aliaque id genus, non continuo intelligit iis locutionibus ſignificari magnitudinem iræ, vel zeli divini? Sunt enim hujuſmodi loquendi formulæ ſatis uſitatæ etiam in familiari ſermone, ſtatimque ab omnibus eo in ſenſu accipiuntur, quo uſurpari ſolent, quin opus ſit interpretatione: quemadmodum & cum *ardorem concupiſcentiæ*, *& ignem tribulationis* nominamus. Hinc nemo inventus eſt inter ſacros Expoſitores, qui eas crederet litteraliter explicandas. Non ita profecto eſt in locis, ubi de igne Inferni mentio. Proprium enim ſenſum tum rudibus, tum ſapientibus eæ locutiones ingenerant, iiſque adjunctis, & circumſtantiis afficiuntur, quæ, juxta ſeverioris criticę regulas illum prorſus definiunt. Videantur, quæ jam obſervavimus: ea quippe omnia ſtramineum hoc argumentum exſufilant.

III. Atque ita pariter cum Chriſtus Dominus dixit: *ignem veni mittere in terram &c.*, & Joannes: *ipſe baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, vel rudiores metaphoram ſtatim ſubolfaciunt; cum in uſu jam poſitum ſit affectum *amoris*, & charitatem, ſi præſertim intenſa fuerit, nomine *ignis*, *ardoris*, *& flammæ* ſignificare. Qua etiam ratione nomen *ignis* Spiritui Sancto attribuitur. Quibus addo Chriſtum dici a Joanne baptizaturum in Spiritu Sancto & igne; quia Spiritum Sanctum ſub ignis ſpecie daturus erat primis Eccleſiæ fidelibus, ut Sancti Patres frequentius exponunt, atque adeo quamvis illic aliqua occurrat metaphora, vel analogia; nihilominus viſibilis ignis, ſeu ſub viſibili ſpecie proprie ſignificatus eſt. Cum demum dicitur linguam ignem eſſe, aut ignem accendere, tropicam locutionem perſpiciunt omnes, atque ita vocari intelligunt, quia animos ad iras excitat, rixas, atque diſcordias. Nihil itaque ex his metaphoris elicere poſſunt Adverſarii, quod ſuppetias ferat abſonæ eorum opinationi.

IV. Majorem in ſpeciem difficultatem ingerere videtur aliud argumentum ex ea locutione metaphorica depromptum, qua conſcientiæ Damnatorum remorſus, & angores nomine *vermis* exprimuntur. Urget illud Calvinus in capite 10. epiſt. ad Hebræos, urgentque omnes ſententiæ ejus defenſores; atque hoc præſertim conſiderant, quod tum apud Iſaiam, tum apud S. Marcum uno eodemque textu pœna utraque ignis, & vermis proponitur: *vermis eorum non morietur*, *& ignis eorum non extinguetur*. Cur igitur, ſi vox altera vermis in tropico ſenſu congrue explicatur, eodem jure vocem ignis tropice ſumere non licebit?

V. Verum neque hæc objectio, ſi rem accurate ſimul & ingenue perpendamus, alicujus momenti eſſe deprehenditur. Ea ſiquidem, quæ affatim concurrunt, ut nomen *ignis* in ſenſu proprio accipiamus, deſunt omnino, ut idem ſentiamus de vocabulo *vermis*. Nam in primis raro admodum Scriptura hoc nomine utitur ad deſignandam Damnatorum pœnam, & in novo Teſtamento ſolum apud *Marcum cap. 9.* ita eam ſignificat; cum e contra frequentiſſime de igne futuræ ultionis loquatur, & ſupra quadrageſies in novo Fœdere eam vocem adhibeat. Deinde in locis, ubi de *verme* mentio fit, nullum eſt adjunctum, nulla circumſtantia, nulla deſignata proprietas, quæ vocis ſignificationem ad animal quoddam ſenſile determinet: cum adjuncta plura, pluresque circumſtantiæ, ac ſæpe antecedentia & conſequentia propriam ignis ſignificationem definiant. Recolantur, quæ ſupra expendimus capitibus 9., & 10. Ulterius de ignis veritate communis eſt Sanctorum Patrum, Theologorum & Eccleſiæ Latinæ, Græcæ, aliarumque conſenſus. Non ita vero de vocabuli vermis proprietate; quin illud immo a potioribus & numero, & authoritate Patribus, ac Theologis metaphorice ſemper explicatum eſt. Demum, ne omnes congeram animadverſiones, quæ fieri poſſent, quæque ex ſupra dictis ſponte fluunt, inter conſcientiæ ſtimulos & vermem optima conſtat analogia, ſive proportio. Nam ſicut hoc animal corpus pungit, mordet ac rodit; ita angor ille con-

ſcientiæ veluti pungit, ac mordet animam, eamque corrodit, & cruciat. Hinc eſt quod hujuſmodi locutio *vermis* ad conſcientiæ cruciatum exprimendum ſatis obvia, & uſitata ſit penes homines, & in familiari etiam ſermone uſurpata, ac, dum adhibetur, facillime metaphoricus ſenſus in auditorum mentem incurrit. Quam parum vero ſit obvius, & quam difficulter incurrat in hominum animos ſenſus metaphoricus, dum nomine ignis ſupplicium aliquod, aut jam inflictum, aut infligendum exprimitur, non eſt cur ulterius probemus.

VI. His omnibus addere præſtat nedum nihil eſſe, quod cogat ut vermis vocabulum in proprio ſenſu accipiamus, ſed plura etiam confluere, ut illud ad tropicam transferamus ſignificationem, prout fuſe de hoc argumento agentes perſecuti ſumus. Tum quia dum utramque pœnam *vermis & ignis* ſimul Scriptura conjunxit, videtur complecti voluiſſe, quæ ſpecialiter ad ſupplicium animæ, corporiſque Damnatorum pertinent. Tum quia Iſaias, ex quo primum deſumpta eſt illa locutio, *vermis eorum &c.*, quam poſtea uſurpavit Salvator noſter apud Marcum, alludere voluit ad ea, quæ contingebant in cadaveribus hoſtium occiſorum, quæ paſtus erant vermium, & ignis. Nam ceteroquin ad Damnatorum pœnam ſignificandam, ferarum, ac ſerpentum genera opportuniora videntur, quam vermes. Tum demum quia vermis, ſi proprie intelligatur, cum nonniſi in corpus agere poſſe conſentiant ii, qui ipſum admittunt, nihil modo in Damnatorum animas doloris, aut cruciatus imprimeret, ſed neque in ſubſtantias ſpirituales cacodæmonum, vel poſt ipſum Judicii diem; quod plane abſurdum eſt.

VII. Cæterum neque illud prætermitti debet, quod licet tot momenta concurrant ne cogamur nomen *vermis* ab ſcripturis expreſſum litteraliter intelligere; plures nihilominus Patres, & graves Scriptores propter ſacrarum litterarum verba in eam ivere ſententiam, ut veros realeſque vermes admitterent in inferno ad Damnatorum cruciatum. Quanto igitur potiori titulo propter ſacrarum earumdem litterarum verba, longe procul dubio frequentiora, & clariora, quæve commodam nullam interpretationem patiuntur, verum, realemque ignem ad reprobos puniendos admittere neceſſe fuerit?

VIII. Opponere præterea ſolent adverſarii nonnulla ab humana ratione petita argumenta; nempe explicari non poſſe primo, cujus naturæ ſit ignis ille, qui Damnatos torquere aſſeritur, aut in qua materia ſubſiſtat. Secundo, quo pacto corporeus ignis in animas agat, ac ſubſtantias immateriales. Tertio, ſi in corpora operatur, eaque comburit, cur ipſa non diſſolvat, ac conſumat. Quarto demum, quomodo non omnes reprobos æqualiter cruciet, cum æqualiter omnes afficiat, ac naturaliter operetur.

IX. Hæc illi quidem ingenti verborum ſtrepitu opponunt, ac exaggerant. Sed peſſimæ cauſſæ argumentum eſt decertare armis ab imbecilli ratione humana depromptis adverſus dogmata, quæ ſolidiſſimis ſacrarum litterarum divinæque traditionis fundamentis nituntur. Quid enim? Tametſi explicare minime poſſem peculiarem illius ignis naturam, aut actionem in immateriales ſubſtantias, aut alias difficultates ſolvere, quæ ex eodem ſoboleſcunt, nunquid iccirco negandus foret hujuſmodi ignis nulla divinæ authoritatis clare, diſtincteque loquentis habita ratione? aut ad tropos & figuras confugiendum, cum litteralis ſenſus luculentiſſime ſe prodit, nec citra ſummam violentiam ad metaphoricum detorqueri valet? ſi ita res eſt, nulla jam erit ex catholicæ fidei veritatibus, quæ pari jure negari non poſſit, aut ad figuratum ſenſum referri. Nulla ſiquidem eſt quæ difficultatibus plurimis, iiſque non raro graviſſimis non obvolvatur. Quæ tamen a me dicta eſſe nemo putet, ac ſi nullus ad propoſitas difficultates ſolvendas mihi pateret aditus, cum eædem prorſus ſint, quas tum Sancti Patres, tum Theologi, & ſcripturarum interpretes ſibi pluries objecerunt, ac diluerunt.

Ex

Ex quibus hic aliqua curſim delibo.

X. Ad illud itaque, quod primo loco objectum eſt, dico Gehennalem ignem ejuſdem eſſe naturæ cum noſtro vulgari, ſolumque quibuſdam proprietatibus, aut qualitatibus differre: nimirum, ut ex ſacris litteris, & Eccleſiæ Patribus liquido conſtat, quod non indigeat fomentis ut conſervetur, quod inextinguibilis ſit, quod non luceat, luce ſaltem clara, & perſpicua, quod non corpora tantum, ſed ſpiritus etiam corporis expertes affligat; quæ omnia diverſitatem naturæ non arguunt, nec exigunt. Quod ſi de ejuſdem materia ſciſciteris, reſpondeo eam certo definiri haudquaquam poſſe: neque tamen exinde quidpiam contra ejus extantiam elici valet, cum Deus ex quacumque, quæ ſibi magis placuerit, materia fornacem illam accendere potuerit, atque accenſam perpetuo conſervare. Quidam tamen non improbabiliter cenſent materiam illius ignis ſaltem præcipuam eſſe ſulphurem; idque colligunt ex nonnullis Apocalypſeos locis. Nam cap. 19. legitur: *vivi miſſi ſunt hi duo viri in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*. Et cap. 20.: *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris*: & rurſus cap. 21. de impiis omnibus dicitur: *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure*. In iis quippe locis de futuræ vitæ ſuppliciis ſermonem fieri certum eſt. Cum igitur diſerte aſſeratur ignem illum ardere ſulphure, jure colligi poſſe videtur, materiam ejuſdem ſaltem præcipuam eſſe ſulphuream. Sed de hoc ſatis: non enim tanti eſt hæc objectio, ut fuſiorem reſponſionem mereatur.

XI. Ad illud quoque, quod ſecundo loco objectum eſt, haud difficile eſt reſpondere. Paucis rem totam dirimi poſſe mihi videtur, ſi dixerimus Gehennæ ignem torquere ſpiritus *modo* quodam *inenarrabili*, ut inquit Lactantius, ſed plane haud abſimili modo, quo vulgaris ignis agit in animam ſpiritualem, dum corpori conjuncta eſt. Scimus enim certiſſime immaterialem animam uniri corpori, vitam ipſi communicare, ſuppliciis corpori inflictis affici &c.: licet modum, quo hæc contingant, plane ignoremus. Igitur modus etiam, quo animæ a corpore ſejunctæ, vel ſpiritus incorporei igne inferni corporeo afficiantur, poterit eſſe ineffabilis, ac nobis impervius, quin tamen illud merito inficiari poſſimus. Hinc Joannes Clericus ſub nomine Petri Alethini, licet de veritate ignis materialis dubitanter loquatur; fatetur tamen hocce argumento neminem ad illum abnuendum induci debere, eodem dubus exemplo animæ noſtræ in hoc corpore exiſtentis. Sic enim ſcribit (*a*): " non negaverim ignem „ fore corporeum, eo quod ſpiritus il„ lo ſint torquendi. Hoc enim intellectu „ difficilius non eſt, quamvis aliter ſentiat Petavius, quam intelligere, qui „ motus corporis noſtri mentem noſtram „ incorpoream, qualis vulgo ſtatuitur, „ afficiant. Scio dicturum qui hæc le„ gerit, mentem eſſe cum corpore in „ unam perſonam conjunctam, ideoque „ corporis motibus neceſſario percelli. „ De re ipſa hic philoſophari nolo: Sed „ quemadmodum mentes immateriales „ Deus ita cum corporibus conjunxit, „ ut motibus eorum afficerentur; ſic in „ loco pœnarum novis legibus naturis „ rerum impoſitis efficere poſſet, ut „ ſpiritus igne conſpicuo urerentur „. Hoc animæ noſtræ exemplum late etiam proſequitur inter alios Author reflexionum in hiſtor. Judæorum (*b*).

XII. Sed neque Sanctus ipſe Auguſtinus illud prætermiſit in lib. 21. de Civit. Dei cap. 10., ubi quæſtionem hanc proponit, inquiens: hic occurrit quæ„ rere, ſi non erit ignis incorporalis, „ ſicut eſt animi dolor, ſed corporalis „ tactu noxius, ut eo poſſint corpora „ cruciari, quomodo in eo erit etiam „ pœna ſpirituum malignorum? Idem „ quippe ignis erit, ſupplicio ſcilicet „ hominum attributus, & Dæmonum „ di-

(a) In notis ad cap. 5. lib. 3. P. Petavii de Angelis. (b) Tom. 2. pag. 326.

„ dicente Chriſto: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus „ eſt Diabolo, & Angelis ejus*„. Et in medium prolata ſententia tum eorum, qui dæmonibus aeria quædam corpora tribuebant, tum aliorum, qui eos omnis materiæ expertes ſanciebant, ſubdit juxta horum decretum: “ non eſt de hac re „ laborandum operoſa inquiſitione, aut „ contentioſa diſputatione certandum. „ Cur enim non dicamus, quamvis mi- „ ris, tamen veris modis etiam ſpiri- „ tus incorporeos poſſe pœna corporalis „ ignis affligi, ſi ſpiritus hominum „ etiam ipſi profecto incorporei & nunc „ potuerunt includi corporalibus mem- „ bris, & tunc poterunt corporum ſuo- „ rum vinculis inſolubiliter alligari? „ Cæterum modi plurimi a Theologis noſtratibus aſſignari ſolent ad explicandam actionem ignis corporei in ſubſtantias ſpirituales, qui legi poſſunt apud Petavium *lib.* 3. *de Angel.*, Suareſium item *de Angel.*, Sotum, & Æſtium *in* 4. *ſentent. diſ.* 50., & alios; neque enim neceſſarium judico huc eos derivare.

XIII. Argumentum tertio loco poſitum accuratiſſime expendit idem S. Auguſtinus diſputans adverſus Gentiles, qui illud in primis opponebant: in eoque refellendo magnam partem inſumit lib. 21. de Civitate Dei. Quæ fuſius diſſerit ille, in brevem ſummam redacta hæc ſunt. Cap. 2. oſtendit, *corpora in uſtione ignis eſſe poſſe perpetua*, idque declarat exemplo aliquorum animalium, quæ in mediis ignibus vivere perhibentur. Hinc Cap. 3. probat *conſequens non eſſe ut corporeum dolorem neceſſario ſequatur carnis interitus. Id quidem verum eſt*, docet, *de corpore in hoc corruptibili ſtatu poſito: quoniam ſic eſt anima connexa huic corpori, ut ſummis doloribus cedat, atque diſcedat: quoniam & ipſa compago membrorum, atque vitalium ſic infirma eſt, ut eam vim, quæ magnum, vel ſummum dolorem facit, non valeat ſuſtinere. Tunc autem tali corpori anima, & eo connectetur modo, ut illud vinculum, ſicut nulla temporis longitudine ſolvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiamſi caro nunc nulla eſt, quæ ſenſum doloris perpeti poſſit, mortemque non poſſit: erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non eſt: ſicut talis erit tunc & mors, qualis nunc non eſt*. Tum Cap. 4. id pluribus exemplis naturalibus confirmat. Et Cap. 5. decernit, quod tametſi modum ignoremus, quo ignis corpora ſine eorum conſumptione comburat, non ideo hoc in dubium vocandum eſſe: quandoquidem multa ſunt in rebus naturalibus certiſſima, de quibus tamen reddi ratio nulla poteſt, ſive rationem & modum ignoramus unde conſiſtere valeant: quorum nonnulla profert. Et ſoluta Cap. 6. quadam objectiuncula, quam inde Gentiles conficere poterant, Cap. 7. & 8. concludit omnipotentiam Dei, *qui fecit mundum in cælo, in terra, in aere, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum ſit omnibus, quibus plenus eſt, procul dubio majus, & excellentius etiam ipſe mundus miraculum, poſſe facere ut & reſurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora Damnatorum*. Hæc Auguſtinus.

XIV. Mihi vero rem hanc conſideranti difficultatis propoſitæ ſolutionem facillime explicari, ac pæne oculis ſubjici videtur, ſi id ponamus, in quo jam Philoſophi omnes, aut ferme *omnes* conſentiunt, calorem ſcilicet, aut ardorem vehementi, concitatoque partium corporis motu conſtare, vel produci, ipſumque ignem corpora calefacere, ac amburere cum in ea imprimit hujuſmodi motum vehementem, & concitatum (vibrationis, aut vertiginis, vel expanſionis ſit, parum curo). Quod igitur pleraque corpora ita agitata tandem conſumantur, id cauſſæ habet, quod ex eo motu vehementi ſeparentur invicem ac diſſilentur exiguæ primum, aliæque deinde reſolutæ partes, quæ corpora ipſa componunt. Quare ſi nullas partes diſſolvi, aut a corpore ſeparari contigerit, calidum illud, ignitumve inter flammas conſiſtet citra ullum interitum, aut conſumptionem: quemadmodum etiam naturaliter hoc accidere in quibuſdam corporibus experientia deprehendimus. Manifeſtum eſt enim aurum e. g. in ardenti fornace vexatum, liqua-

liquatumque inſigniter caleſcere, quin tamen abſumatur, aut quidpiam primævi ponderis amittat: quia videlicet per agitationem, & motum nihil a tota mole ſejungitur, aut evaporatur. Quod ergo naturaliter continingit in auro, intelligi poteſt ac debet divina virtute futurum in humanis corporibus, ut nova nimirum in ipſis lege conſtituta, tartarei ignis actione vehementiſſime concutiantur, & agitentur fibræ eorum, ac partes, quin tamen ſeparentur, aut ipſarum textura diſſolvatur.

XV. Id evidentius apparet in ſyſtemate cauſſarum occaſionalium, quod multis philoſophis plurimum arridet: juxta quod rem ita declarat quidam ex Anglia Scriptor agens de pari argumento, ſeu de corporibus per miraculum in igne ſine læſione perſiſtentibus (*a*): " ex „ hujus legis (ſecundæ nempe ab ipſo „ poſitæ circa motum) ſuſpenſione cor- „ pus humanum, rubus, vel aliud quod- „ vis inflammabile corpus, etiamſi ar- „ dentiſſimo igne undique cingantur, „ poterunt tamen non comburi, aut in „ cineres reduci: aut ſi forte flammas, „ uti *Rubus*, capiant; coacervatis in „ vorticem flammis, poterunt non con- „ ſumi. Ignis enim particulæ non com- „ burunt ex innata ulla virtute, aut „ inſito impetu, ut ſupra vidimus; ſed „ quia ſupremus motus Author voluit, „ ut ex occaſione hujus impetus ipſe „ diſſolvat, ſeu comburat projecta in „ ignem corpora, velle quoque poterit, „ ut eadem non diſſolvantur, etiamſi „ rapidiſſimis ignearum ſcintillarum co- „ hortibus vorticoſo impetu irruentibus „ impetantur. „ Ac ſubinde oſtendit etiam quomodo per divinam voluntatem in æternum aliquis vivere valeat, inquiens: " poſſunt enim omnes corporis „ partes in eodem ſitu ſemper retineri: „ poſſunt quoque omnes elementares „ particulæ a diſſolutione cohiberi. „ Sanguis & alii humores etiamſi pe- „ renni, & inteſtino motu intra ſe agi- „ tentur, impediri poſſunt, quominus „ vappeſcant, ſeu quominus principia „ ipſorum diffringantur, aut eorumdem „ abradantur anguli, quominus eædem „ particulæ per habitum corporis non „ exhalent, & reparatione non egeant. „ Brevi, tota quanta nunc eſt corporis „ materia cum eadem figura, ſitu, nu- „ mero, fabrica, & uſu partium in ſta- „ tu, in quo nunc eſt, in perpetuum „ conſervari poteſt, ac proinde corpo- „ ris vita in æternum perdurare pote- „ rit. „

XVI. Ad poſtremum tandem argumentum ita reſpondet S. Gregorius Magnus (*b*): *ſicut in hoc mundo ſub uno ſole multi conſiſtunt, nec tamen ejuſdem ſolis ardorem æqualiter ſentiunt: quia alius plus æſtuat, atque alius minus: ita illic in uno igne non unus eſt modus incendii: quia quod hic diverſitas corporum, hoc illic agit diverſitas peccatorum, ut & ignem non diſſimilem habeant, & tamen eoſdem ſingulos diſſimiliter exurat.*

XVII. Verum hæc reſponſio moralem potius ſive meritoriam, quam phyſicam cauſſam declarat, cur non una eademque vi, & impreſſione Damnatos omnes Inferni ignis excruciet. Quare aptius, ut mihi videtur, dicendum ignem illum corporeum, aut juxta plures cauſam eſſe mere occaſionalem, aut juxta alios inſtrumentariam divinæ Juſtitiæ vindicis, ac tamquam Dei inſtrumentum vim & actionem ſuam in Damnatos imprimere: atque adeo à cauſſa principe aſſumi poſſe ad majus, minuſve tormentum inferendum. Deus enim, qui demeritorum inæqualitatem perfecte cognoſcit, ita ignem illum movet, & applicat, ut acrius in alios, in alios autem mitius operetur. Quod nemini mirum videri debet, cum & inter nos conſpicua ſit hujuſce diverſæ actionis experientia. Videmus enim a voluntate unum, idemque inſtrumentum adhibentis ſæpe pendere, quod majorem, minoremve ictum imprimat, aut percuſſionem.

XVIII. Atque hæc dicta ſint de qualita-

(*a*) Bernardus Connor M. D. e regia Societ. Londinenſi in ſuo *Evangelio Medici* art. 8.
(*b*) Dialog lib. 4. cap. 43.

ſitate & conditione pœnarum, quibus improbi in futura vita puniendi ſunt. Hunc ergo librum concludere præſtat graviſſima ſententia, qua diſſertationi ſuæ de pœnis impiorum finem impoſuit S. Gregorius Magnus lib. 9. Moral. cap. 40.: " Ecce, quæ maneat Damnatos „ pœna cognovimus, & inſtruente nos „ ſacro eloquio, quantus in damnatio- „ ne ignis, quanta in igne obſcuritas, „ quantuſque in obſcuritate pavor ſit, „ nullatenus ambigimus. Sed quid pro- „ deſt iſta prænoſſe, ſi non contingat „ evadere? Tota ergo intentione cu- „ randum eſt, ut cum vacationis tem- „ pus accepimus, bene vivendi ſtudio „ malorum ultricia tormenta fugiamus. „ Hinc quippe per Salomonem dicitur: „ *quodcumque poteſt manus tua facere,* „ *inſtanter operare: quia nec opus, nec* „ *ratio, nec ſapientia erit apud inferos,* „ *quo tu properas*. Hinc Iſaias ait: *quæ-* „ *rite Dominum dum inveniri poteſt: in-* „ *vocate eum, dum prope eſt*. Hinc Pau- „ lus, dicit: *ecce nunc tempus accepta-* „ *bile: ecce nunc dies ſalutis*. Hinc rur- „ ſus ait: *dum tempus habemus, opere-* „ *mur bonum ad omnes*.

Finis Libri Secundi.

DE

DE
FUTURO IMPIORUM STATU
LIBER TERTIUS,

In quo de æternitate pœnarum agitur, quibus impii in futura vita puniendi ſunt.

CAPUT PRIMUM.

De iis, qui pœnarum Inferni æternitatem negarunt. Horum Princeps jure habetur Origenes, quem fruſtra ab hoc errore nonnulli vindicare conati ſunt. Ejus doctrinam noviſſime excitarunt plures inter Proteſtantes, qui iccirco nuperi Origeniſtæ *audiunt. Quid de reproborum æterna miſeria ſentiant Sociniani.*

I. NULLA eſt inter omnes pœnarum Inferni qualitates, aut circumſtantias, ſicut terribilior, ita in Chriſtiana gente magis vulgata, doctorumque hominum & indoctorum ſermone contrita, quam earumdem ſempiterna duratio. Hanc tam frequenter diſerteque enunciant ſacrarum litterarum oracula, tam conſtanter Univerſalis Eccleſiæ ſenſus ac traditio confirmat, ut nullus plane relictus fuerit dubitationi, aut controverſiæ locus. Nihilominus, quod fieri poſſe minime videbatur, *humani generis hoſtis* (inquit S. Baſilius in Regulis brevioribus) *pernicioſo artificio factum eſt, ut plures veluti obliti tot, ac talium Domini verborum, ac ſententiarum*, perpetuumque Eccleſiæ conſenſum parvipendentes, certiſſimum hoc dogma vel in dubium revocarent, vel perfricta fronte negarent.

II. Primus, aut ſaltem Princeps, qui inter veteres vel maxime hocce nomine male audit, quod inferorum pœnas aliquando deſituras docuerit, eſt Origenes Adamantius: huncque ipſi errorem non hæſitanter tribuunt clariſſimi plures Eccleſiæ Patres, Theophilus Alexandrinus, Epiphanius, Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus, & alii, immo & quinta Synodus Œcumenica, ut ex Nicephoro Calliſti F. liquet. Equidem & priſcis, & poſtremis hiſce temporibus non defuerunt, qui hunc ab eo errorem amoliri ſtuderent, pluribus præſertim in medium productis

ex ipſius operibus teſtimoniis, in quibus de pœnarum æternitate recte cum Eccleſia catholica ſenſiſſe videtur. Verum ut ut concedamus ex his colligi poſſe non adeo Origenem erroneæ inhæſiſſe ſententiæ, quin catholicam etiam veritatem quandoque docuerit, eam tamen minime tradidiſſe, nemo, ut arbitror, ſapiens, ac prudens ſuadebitur. Quis enim credat tot ſanctiſſimos viros, Synodum Œcumenicam, atque omnes ferme vetuſtos ſcriptores vel imperitia, vel errore, vel odio ita abreptos fuiſſe, ut turpem hanc notam Origenis nomini, ac memoriæ impingerent, aut ſine manifeſtis argumentis tamquam maleſanæ opinionis Authorem, defenſoremque traducerent? Sed & ipſa, quæ hodieque extant Origenis opera ſatis produnt nullam ipſi impactam fuiſſe calumniam. Nam præter plurima teſtimonia, quæ legi poſſunt apud Petavium (*a*), Origenianæ doctrinæ principia, Authoris mentem ac ſenſum de hac re in propatulo ponunt. „ Cum „ enim (ut advertit Huetius (*b*)) futurum ratus ſit, ut quemcumque ſtatum teneant animæ, peccare poſſint, & reipſa perſæpe peccent, ac pro peccatis vel meritis perpetuo circuitu ab imis ad ſumma, a ſummis ad ima revolvantur, ipſiuſque Diaboli averſa a Deo voluntas olim contererenda ſit, & Deo Patri regnum Chriſtus ſit traditurus, tumque exiſtimaverit plenam omnium *apocataſtaſim*, ac perfectam felicitatem futuram, cum Deus erit omnia in omnibus, conſequitur illinc neceſſario deſitura Damnatorum ſupplicia, eaque noxarum duntaxat expurgandi cauſſa a Deo hominibus infligi „. Additque hominis eſſe intemperantis, neque ſatis tempori parcentis ſuo, quæcumque veſania hac oblita in Origenianis commentariis reperiuntur Lectori recenſenda objicere, adeo multus eſt in hoc dogmate prodendo, & odioſus Adamantius. Et nonnulla quidem exhibet ipſe Origenis loca, & alia plura etiam indigitat, in quibus piaculares & temporarias impiorum pœnas duntaxat agnoviſſe liquidiſſime conſtat.

III. Origenis ſententiam non pauci ſub idem tempus, ac ſequiore ætate complexi ſunt, de quibus ex antiquis mentionem præcipue faciunt S. Joannes Chryſoſtomus in ſuis Homiliis, Oroſius *in commonit. de erroribus Priſcillianiſtarum, & Origeniſtarum*, & S. Auguſtinus pluribus in locis, maximeque *lib.* 21. *de Civit. Dei*. Sed illam jam demum cum ſuis Authoribus conſepultam, ævo hoc noſtro e tenebris in lucem revocarunt quidam e recentium hæreticorum familia (quid enim non audeant ingenia nulli ſalutari fræno ſubjecta?) ac totius Eccleſiæ nedum catholicæ, ſed etiam propriæ in qua enutriti fuerant, conſenſione poſthabita, Origeniani erroris præcipuum caput inſtaurare conati ſunt. Prodiit Londini anno 1697. vulgari idiomate libellus quidam nomine *Evangelii æterni* inſignitus, cujus Author, ſi Fabricio credimus (*c*), eſt *Jana Leadia*, qui Origenianam apocataſtaſim aperto marte propugnat. Hunc librum inſequente anno 1698. in Germanicam linguam tranſtulit Jo. Quil. Peterſenius, Lutheranus Theologus, ac nulla habita ratione articuli 17. Confeſſionis Auguſtanæ (*d*) quam profitebatur, ejus defenſionem ſuſcepit, ſuaque authoritate & exemplo alios ad novæ ſententiæ patrocinium capeſſendum pellexit. Atque hinc ingens erupit in Eccleſia Lutherana diſſidium. Plures enim antiqui dogmatis tenaciores ad arma ſtatim convolarunt, ſcriptiſque partim Latino, partim Germanico idiomate editis, doctrinam recens invectam impugnarunt: quos inter excelluere Thomas Ittigius, Zacharias Gra-

(a) lib. 3. de Angel. cap. 6.
(b) in Origenianis lib. 2 qu. 11. num. 16.
(c) In Sylloge Scriptorum, & delectu &c.
(d:) Auguſtana Confeſſio *art.* 17. inter alios Anabaptiſtarum errores hunc damnat, quod *tormenta Dæmonum, & damnatorum finem habiturum, & Angeli apoſtatæ in eumdem locum redituri ſint, in quo creati fuerunt*.

Grapius, Jo. Fectius Roſtochienſis, Ludovicus Melchior Fiſclinus, & Ferdinandus Hefreih Lichtſcheid (*a*), quorum poſtremus argumentorum vi preſſus medium quemdam animorum ſtatum poſt mortem admiſit, & in catholicam de purgatoriis aliquorum pœnis adverſus Eccleſiæ ſuæ placita ſententiam tandem conceſſit. Hos ſine refutatione non dimiſit. Peterſenius, cui ſe comitem adjunxit ex eadem gente Chriſtophorus Gottlier (*b*) & ex parte etiam Samuel Chriſtianus Tauberus (*c*), qui tamen rurſus a Georgio Peteſchio, Andrea Schmidio, Chriſtophoro Sontagio, & ab aliis confutati ſunt, diſſidio in hodiernum uſque diem nondum compoſito, nec facile componendo.

IV. In alias etiam Proteſtantium Eccleſias irrepſit exitialis doctrinæ lues, pluresque corrupit. Petrus Bellius, ut alia multa, ita quoque dogma de pœnarum æternitate magni ingenii ſui oſtentatione aggreſſus eſt argumento præſertim ducto ex bonitate, & juſtitia Dei (*d*). Joannes Clericus in *Parrhaſianis* ſyſtemati Manichæorum, quod Bellius denuo excitare adniſus fuerat, ſyſtema opponit Origenis Apocataſtaſim univerſalem conſtituentis, cauſſamque, ut inquit Leibnitius (*e*), Origeniſtarum propugnat, quin ſe Origeniſtam profiteatur. Acceſſerunt ex Batavis Quil. Kingius, & Anonymus Author cujuſdam libelli editi lingua vernacula Aiæ Comitum anno 1713., cujus titulus latine translatus ſic effert: *Evidens Demonſtratio reſtitutionis rerum omnium ad Deum, per quam damnati omnes poſt ſupremi judicii diem tandem liberabuntur, perſolutis juxta criminum qualitatem ſuppliciis*. His accenſeri poſſunt Arminiani, aliique quos *latitudinarios* vocant, de quibus ſcribit Miniſter Jurieu in ſuo libro *Defenſionis doctrinæ univerſalis Eccleſiæ*, quod dogma de pœnarum æternitate inter eas quæſtiones Theologicas habeant, de quibus, ſalva fide, ſentire licet quidquid libuerit.

V. Plures etiam extitere ex Anglia Theologi, qui novam doctrinam ſuffragiis ſuis approbarent, quos inter celebriores ſunt Jo: Tyllotſonus Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Thomas Burnetus. Atque ille quidem in ſermone, quem de hoc argumento evulgavit, ſubdubitanter loqui videtur: ea tamen ſcribit, quæ, quid ipſe agitaret animo, ſatis produnt. Iſte vero audacior in catholicum dogma palam inſurgit, pœnaſque inferni modum & finem tandem habituras aperte tradit. Denique, ut alios omittam, noſtris pene hiſce diebus prodiit in lucem gallica lingua peſtilentiſſimus quidam liber ignoti Authoris, ſed certe Calviniani, inſcriptus *Lettres ſur la Religion eſſentielle à l' homme*, qui inter alios errores, quos callidiſſima arte obtrudit, etiam Origenianam ſententiam promovere nititur, in eaque defendenda ſtudium omne, omneſque ingenii ſui vires inſumit.

VI. Præter hos, qui *Nuperi Origeniſtæ* audiunt, adverſus dogma catholicum de impiorum æterno cruciatu etiam plures ex Socinianis decertant, quamquam principiis longe diverſis utantur, diverſoque modo declarent pœnarum finem. Inter errores Fauſti Socini iſte non poſtremo loco refertur: quod *futura non ſit impiorum reſurrectio, ſed ii tantum, qui ſuperſtites erunt in conſummatione ſæculorum, judicabuntur, & præcipitabuntur cum dæmonibus in ignes æternos; ſed ignes dicuntur æterni, non quia æternum affligent damnatos, ſed quia damnati ex iis nunquam liberabuntur*. Paria tradunt duo alii Socinianæ Sectæ primipili Joannes Crellius, & Ludovicus Volzogenius (*f*), quorum alter comment. in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 15. ſcribit: *Igni æterno illi quidem Chriſti hoſtes, qui ſunt diabolus & angeli ejus cum impiis cruciabuntur, &*

 ita

(a) Ex Leibnitio, Buddeo, & Fabricio.
(b) In libro, cui titulus: *Apocataſtaſeos ſolida, & Orthodoxa expoſitio*.
(c) In Gemino argumento altero pro &c.
(d) Rèponſe aux queſt. d' un Provinc. Tom. 3. oper. pag. 812., & 1221.
(e) In Theodic. par. 1. num. 17.
(f) Ex hiſtoria Socinianiſmi lib. 1. cap. 18.

ita delebuntur. Alter vero *in diſſertat. de pace Eccleſiæ* non alias ſe agnoſcere profitetur pœnas impiorum æternas præter mortem abſolutam, ex qua non eſt regreſſus ad vitam, quæ ideo *mortis æternæ* nomine nuncupatur. Idem quoque docent Collocutores Rakovienſes jam alibi memorati, Smalcius contra Meiſnerum *ad locum Matth.* 10. *com.* 28., Camphuſius in quadam Epiſtola, & canticis ipſi adnexis, Erneſtus Sonerus magni quondam nominis in Academia Althorfina Philoſophus Ariſtotelicus in libro inſcripto, *Demonſtratio Evangelica &c.* (*a*): quibus demum ſe adjunxit ex Anglia Joannes Lokius in ſuo libello, cui titulus *Chriſtianiſme rationable*, & ex parte etiam Henricus Dodwellus (*b*).

VII. Duplex igitur habemus hoſtium genus adverſus catholicam de pœnarum inferni æternitate ſententiam, Origeniſtas nempe & Socinianos. Ambo in hoc conſentiunt, quod impiorum futuræ vitæ cruciatibus finem imponant: ſed alia prorſus gradiuntur via, aliumque opinandi modum conſectantur. Origeniſtæ namque futurum tandem putant ut impii omnes ſive dæmones, ſive homines poſt ſupplicia pro meritorum qualitate brevius aut diutius in inferis perpeſſa, bonitatis, ac miſericordiæ divinæ ſalutarem experiantur effectum, & Deum, Chriſtumque Salvatorem omnium agnoſcentes, ac pie venerantes ad cæleſte regnum admittantur, ſempiterna feliciſſima vita cum Beatis cæteris potituri. Quare in hoc ab ipſorum Anteſignano Origene recedunt, qui tam Beatorum felicitati, quam impiorum ſuppliciis terminum præſcribebat, omniumque frequentes in priorem ſtatum juxta merita revolutiones, & circuitus ponebat: potiuſque conveniunt cum quibuſdam Origenis Diſcipulis, qui Magiſtri ſui nimium abſurdam opinationem temperandam duxere, adeo ut æternam quidem fore crederent Sanctorum Angelorum, & hominum beatitatem, non autem damnatorum miſeriam, ut conſtat ex Auguſtino *lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 17. Nituntur ii potiſſimum, præter argumenta ab humana ratione arceſſita, detortis quibuſdam teſtimoniis Apoſtolorum Petri & Pauli: quorum prior *Actuum* 3. aſſerit *oportuiſſe a Chriſto cælum occupari uſque in tempora reſtitutionis omnium*, *Apocataſtaſeos pandon*. Id enim Apoſtolum velle arbitrantur Regnum a Patre traditum eſſe Filio ſeu hominum, Angelorumque omnium capiti, quo cuncta, quæ per Angelorum pariter, & hominum peccata in deteriorem ſtatum prolapſa ſunt, ita in integrum reſtituantur, ut nullum omnino peccati, adeoque nec miſeriæ peccato debitæ veſtigium ſuperſit, omneſque regnum illud feliciſſimum componant, quo Beati cum Chriſto ſine fine regnabunt. Alter vero 1. *Corinth. cap.* 15. de eodem Chriſti regno verba faciens, *oportet*, inquit, *eum regnare, donec ponat omnes hoſtes ejus ſub pedibus ejus. Noviſſima autem deſtruetur mors*: nempe, ut ipſi interpretantur, pœna inferni, quam *mortis* nomine ſignificatam putant. Quod etiam confirmare fatagunt aliis Scripturæ textibus, ac præſertim Apocalypſeos, quos in loco accurato examine diſcutiemus.

VIII. Diverſa plane via incedunt Sociniani, aliiſque armis Eccleſiæ fidem oppugnant. Non enim ea ratione finiendam cenſent impiorum miſeriam, quod ex ipſa tandem liberandi ſint, & ad gaudia æterna perducendi; ſed quod vel ſtatim ab illorum morte, vel poſt extremi Judicii diem ob perpetrata crimina in nihilum ſint redigendi, Juſtis æternæ vitæ poſſeſſione beata in cælo fruentibus. Horum & opinionem, & opinionis præcipuum fundamentum nitide exponit Lokius loco ſupra citato. Expendens enim ſententiam illam, quam Deus Adamo comminatus eſt, *in quacumque die comederis ex ea*, arbore ſcilicet ſcientiæ boni, & mali, *morte morieris*, contendit non aliter quam de mor-

(*a*) Ex Claſſenio, Leibnitio, & hiſt. Socinian.

(*b*) Videſis Bibliot. ſelect. Jo: Clerici Tom. 26.

morte totum hominem ſpectante, ſive deſtructione tum animæ, tum corporis, accipiendam eſſe: quod etiam colligi exiſtimat ex verbis Apoſtoli Pauli ad Rom.: *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, mors nimirum, ut inquit ille, nedum corporis, ſed & animæ, ſive quæ utriuſque partis excidium complectatur, adeo ut hæc ſola ſit a ſupremo Judice pœna conſtituta in Adamum divini præcepti tranſgreſſorem, & in omnes, qui Adami veſtigia peccando ſectati fuerint. Neque enim, ſubdit, veroſimile eſt Deum mortis nomine vitam intellexiſſe ærumnoſam, magniſque doloribus affectam, quæ mors vera nec eſt, nec appellari jure poteſt. Quod ſtramineum fundamentum alii rurſus roborare nituntur omnibus illis Scripturæ locutionibus, quibus æterna impiorum damnatio exprimitur nomine *mortis*, vel *interitus*, vel *perditionis*, aliorumque ſimilium, quæ occurrunt. Quidam tamen ex Socinianis, quos tam abſurdæ doctrinæ puduit, eam ita emollire ſtuduerunt, ut aſſererent impios quidem omnes demum in nihilum redactum iri, ſed nonniſi poſt perſoluta in inferno ſupplicia juxta criminum qualitatem, & numerum brevius aut diutius duratura.

IX. Adverſum itaque hujuſmodi errores, quos hac præſertim tempeſtate noſtra peperit, aut invexit novitatis amor, & effrænis opinandi licentia, bellum aggredior in hac tertia, ac poſtrema Diſſertatione. Quod ut felicius exequar, quatuor in eorum confutationem, & catholici dogmatis defenſionem præſtanda ſuſcipio. Primo ſcilicet oſtendam æternum impiorum cruciatum veritatem eſſe tam in veteri, quam in novo Teſtamento manifeſte a Deo revelatam, clariſſimis utriuſque documentis in medium productis, & ab adverſariorum oſficiis & cavillationibus vindicatis. Deinde ea, quæ vel Origeniſtæ, vel Sociniani in erroris præſidium ex iiſdem ſacris litteris proferunt, teſtimonia diligenter excutiam. Tum vero perenni Sanctorum Patrum traditione, & univerſæ Eccleſiæ conſtanti fide palam faciam non alium adductis ſcripturæ ſacræ textibus ſenſum tribuendum eſſe, quam qui tribuitur a Catholicis. Demum argumenta omnia, quæ ex humanæ rationis penu educta Adverſarii protrudunt, ad criſim vocabo, eaque inepta eſſe pluribus evincam.

CAPUT II.

De vocibus, quibus in libris tum V., tum N. Teſtamenti æternitas, aut ſtatus ſine fine duraturus exprimitur. Triplex vox in Hebraica lingua ad eam ſignificandam adhibita, Holàm, Netſach, *&* ad, *quarum duæ poſteriores ſemper, prior frequentius eamdem deſignat. Vox græca* æon *non omnino retinuit ſignificationis vim, quam ſortita eſt ab initio, nec in ſacris litteris ad interminatam durationem denotandam ſemper aſſumitur: illam tamen indubie denotat, cum geminatur: quemadmodum & dictio inde derivata* æonion. *Redarguitur Daniel Huetius, qui ex parte huic ſignificationi repugnat.*

I. ILLUD igitur primo loco demonſtrandum ſuſcipimus, æternum impiorum cruciatum dogma eſſe a Deo in ſacris litteris manifeſte revelatum, atque adeo conticeſcere debere humanam rationem, prompteque aſſenſum inflectere in obſequium divinæ Authoritatis clare, diſtincteque loquentis. Ut autem hæc veritas luculentiſſime pateat, viaque ſternatur ad effugia, quibus elabi ſolent Adverſarii, præcludenda, quædam in anteceſſum notanda operæ pretium cenſui circa voces Hebraicas, & Græcas, quibus vel in Veteri, vel Novo Teſtamento æternitas aut ſtatus ſine fine duraturus deſignatur, earumque vim, & ſignificationem.

II. Tres voces præcipue habemus in lingua Hebraica, ſive in Sacra Scriptu-

ra

ra ad ſignificandam æternitatem, aut ſtatum æternum inſtitutas, nempe עולם *Holàm*, נצח *Netſach*, & עד *ad* vel *ngad*, quibus addunt etiam סלה *Selah*. De voce *Holàm*, quæ derivatur ex radice verbi עלם *Halàm*, quod *abſcondere*, vel *latere*, ſignificat, hæc habet Sanctes Pagninus in *Theſauro linguæ Sanctæ Col.* 1748.: עולם *Holàm*, *ideſt ſæculum*, *perpetuum*, *æternum*, *ſempiternum*: cum quo conveniunt cætera Lexica Hebraica, idque nonnullis exemplis confirmant ex plurimis, quæ extant in ſacris litteris. Quare propria, & primigenia illius notio hæc eſt, ut id, quod aut finem non habet, aut principium, hoc nomine intelligatur: quod enim eſt hujuſmodi, *latens*, vel *abſconditum* eſt. Transfertur autem nonnumquam ad ea ſignificanda, quæ principium quidem, vel finem habent, ſed valde remotum & incertum: quemadmodum & illa aliquando, de quibus licet minime dubitetur, quin utrumque habeant, æternum tamen durarent, ſi æterna res eſſet, de qua enunciatur: ut æterna ſervitus de Mancipio, quod anno Jubilæi in libertatem ſe non reſtituit. S. Hieronymus lib. 1. Comment. in Epiſt. ad Galatas Cap. 1. docet *Holàm* cum ſine littera ו *vau* ſcribitur, ſignificare annum Jubilæi, ut Exodi Cap. 21., ſitque ei ſervus לעלם *Lebolàm*: æternitatem vero cum habet litteram *vau*. At quidquid ſit de hac regula, quam univerſim veram non judicant Viri eruditi (*a*), illud certum eſſe debet *Holàm* frequentius in Sacra Scriptura, immo fere ſemper ad æternitatem preſſe acceptam ſignificandam aſſumi, ut innumeris propemodum locis conſtat: transferri autem interdum ad ſignificandum tempus revera finitum, ſed quod vel remotiſſimum principium aut finem habet, vel cui nullus terminus præſtituitur, propter ſimilitudinem quamdam & umbram æternitatis, & ob communem hominum conceptionem, qui res hujuſmodi ita accipiunt, ac ſi principio carerent vel fine. Quamobrem aut fallit, aut falſus eſt Joannes Clericus, dum *Tom.* 8. *Bibliothecæ ſelectæ* vocem *Holàm* ita declarat, ac ſi in Scriptura æque indifferens foret ad utramque durationem, finitam ſcilicet & infinitam deſignandam. Hanc enim proprie, illam vero ſolum improprie deſignat.

III. Altera vox ad æternitatem ſignificandam in Scripturis adhibita eſt עד *ad*, aut *ngad*. De hac ita Pagninus loco laud. *Col.* 1657., & cæteri cu ipſo: עד (*ngad*) *ſignificat ſæculum æternitatem:* Iſaiæ 57. V. 15., *Sic dic Excelſus*, *& elevatus habitans* (*ad*), ideſt æternitatem, & 26. 4. *ſperate in Domino* (*langad*), in ſæculum, in perpetuum, perpetuo, & 65. 18. *exultate* (*langad*) ſemper, ſine ulla intermiſſione. Pſalm. 19. 10. *timor permanens* (*langad*), (70.) *in ſæculum ſæculi*, Hieronymus, *perſeverans in ſæcula*, & Pſal. 9. 19.: *patientia pauperum non peribit* (*langad*), in finem: Et Pſal. 21. 7.: *quoniam pones eum in benedictionem* (*langad*) in ſæculum ſæculi, & Pſal. 22. *vivet cor veſtrum* (*langad*) in ſæculum. 70. ſæpe vertunt in ſæculum ſæculi. Omitto alia plura exempla, quæ & ipſe, & alii producunt.

IV. Tertia tandem eſt נצח *Netſach*, quæ quidem multa ſignificat, nempe *Victoriam*, *potentiam*, *robur*, *fortitudinem*, ſed etiam ad æternitatem deſignandam, perennitatem, & ſæculum adhibetur, eo quod, ut inquit Rab. David citatus ab eodem Pagnino, *res fortis eſt perpetua*, *jugiterque permanet*. Exempla ſunt inter alia plurima, Pſal. 16. V. 12. *jucunditates*, *aut delectationes in dextera tua* נצח (*netſach*), uſque in finem, in ſæculum, in perpetuum; & Pſal. 13. 1. uſquequo Domine obliviſceris me נצח (*netſach*), in finem, in perpetuum, in æternum. Et Pſal. 9. V. 19. *quia non* לנצח (*lanetſach*) *in ſæculum oblivioni tradetur pauper*, 70., *non*

(a) Vide, ſi lubet adnotationem in hunc S. Hieronymi locum Cl. V. Dominici Vallarſii Presbyteri Veronenſis in ſua editione Operum S. Patris.

non in finem oblivio erit pauperis, Hieronymus, *in æternum &c.*

V. Porro duæ hujuſmodi voces עד (*Ad*) & נצח (*Netſach*), cum ad durationem ſignificandam aſſumuntur, æternitatem ſemper deſignant, ſive tempus interminatum, nec arbitror exemplum ullum ex ſacris litteris afferri poſſe, in quo pro duratione finita, ſive pro diuturno ſolum tempore accipiantur. Cujus rei præter loca jam indicata, & alia plura quæ produci poſſunt, apud Raimundum Martini (a) habemus teſtimonium ejuſdem R. Davidis Kinchi, qui in libro radicum ita ſcribit: *Expoſuerunt* (magiſtri) *hanc dictionem* עד (*ad*), *ideſt in ſempiternum. Sic quoque in verbis Magiſtrorum traditio eſt de domo Eleazar: omnis locus, in quo dicitur Netſach, vel Selah, vel Ngad, non habet intermiſſionem uſque in ſæculum, & ſæcula ſæculorum.* Quod pariter confirmant viri linguæ ſanctæ peritiſſimi, quos inter Maimonides ex Hebræis, & Crojus ex Chriſtianis (b).

VI. Quoad dictiones Græcas attinet, quibus æternitas & in novo Teſtamento, & in iis libris Teſtamenti Veteris, quos Græce tantum habemus, ſignificatur, occurrit in primis vox αἰών ex qua latinum *ævum*, & plurali αἰῶνες. Vim hujus vocis exponit Ariſtoteles *lib. 1. de cælo Cap. 9.* docens αἰῶνα *ſignificare finem, qui continet univerſum tempus infinitum, eo quod ſemper ſit; dictumque eſſe* αἰῶνα *ab* ἀεὶ, *&* εἶναι *ideſt ab eo, quod ſemper ſit.* Voſſius de litterarum permut. Verbo *ævum* hæc habet: " Æon „ dicitur quaſi ἀεὶ ὢν, *ſemper exiſtens*; ut „ ſcripſit Ariſtoteles lib. 1. de cælo, niſi potius (quæ doctiſſimi Abrahami „ Coſteri ſuſpicio eſt) ab Arabum *Avan*, „ quod illis ævum denotat. Porro ea „ græci αἰὼν etymologia quam poſuimus, „ confirmat ſententiam Servii ſic ſcribentis in *6.* Æneadum: *ævum pro- „ prie æternitatis eſt, quæ non niſi in „ Deos venit.* Ennius: *Romulus in cæ- „ lo cum Diis genitalibus ævum degit.* „ —— Male autem vendicavit uſus, „ per quem dixit Maro, *longævoſque „ ſenes.* Plenius vero Cenſorinus Cap. „ 16., *ævum*, inquit, *eſt immenſum ſi- „ ne origine, ſine fine, quod eodem modo „ ſemper fuit, ſemper futurum eſt.* „ In eadem ſignificatione vocem αἰῶνα ſumpſerunt Plotinus, Proclus, Ætimologus, & alii inter extraneos, & inter noſtrates Iſidorus, Orig. lib. 5. Cap. 38. inquiens; *ævum eſt ætas perpetua, cujus neque initium, neque extremitas noſcitur, quod Græci* αἰῶνα *vocant.* Quamquam vero hæc ſit primitiva hujus vocis ſignificatio, conſentiunt & Ariſtoteles, & Iſidorus, & alii quod extenſa ſubinde fuerit ad ſignificandum tempus circumſcriptum ut centum annorum, aut ætatis hominum: atque hinc *longævus*, *grandævus*, *coævus &c.* Hinc etiam adjectivum ex Verbo αἰὼν derivatum αἰώνιος in prima ſua notione æternum proprie ſignificat, eamque etiam poſtea retinuit: ſed nihilominus aliquando, raro tamen, ad diuturnum tempus ac præſertim centum annorum ſpatium denotandum a prophanis Scriptoribus transfertur: Sic e. g. ludos, qui centenis fere annis recurrebant αἰωνίους Græci dixere.

VII. In ſacris vero litteris, quarum ſenſum inquirimus, maximeque inſpicere

(a) In Pugione fidei 3. part. diſt. 3. Cap. 11.

(b) Sunt, qui opponant quoad vocem עד *ad* textum quemdam ex Cap. 20. com 4 lib. Job, *hoc ſcio* מני עד *a principio*, ut Vulgata, vel *a ſæculo*, ut alii, *ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum &c.* Quo in loco vox עד *ad* nonniſi tempus finitum ſignificare videtur. Cajetanus propter hoc teſtimonium putat *Sophar Naamathitem*, cujus ea verba ſunt, crediſſe mundum extitiſſe ab æterno. Sed hac reſponſione prætermiſſa, dicendum potius neque hunc locum conſtitutæ ſignificationi adverſari. Nam, prout teſtatus mihi eſt Vir linguæ hebraicæ callentiſſimus, & textus ipſe ſatis poſtulare videtur, מני עד juxta vim linguæ ſanctæ, idem valet ac *a ſemper, ab omni ævo, vel tempore*, eoque *Sophar* deſignare vult, *quod aſſeris, verum ſemper fuiſſe, eſſe, & futurum eſſe*, ideo autem dixit, *a principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram:* quia ante hominis conditionem nihil ſcit, unde effatum ſuum verificari poſſet.

ere debemus, dictio αἰὼν, quam ſæpe ſeculum latine vertunt, non unam habet ſignificationem. Nam quandoque per metonymiam ponitur pro iis, quæ a Mundi amatoribus fiunt mortalis hujus vitæ tempore, ſive pro malis hominum actionibus. Hoc ſenſu ſcribit Apoſtolus *ad Rom. Cap.* 12. *nolite conformari huic ſæculo*: & *ad Galatas* 1. *Chriſtus dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut nos redimeret de præſenti ſæculo nequam*: & hoc etiam ſenſu 2. *ad Corint.* Cap. 4. Diabolum vocat *Deum hujus ſæculi*. Frequenter vox αἰὼν aſſumitur ad duplex ſpatium deſignandum, ſpatium nempe temporis, quo homines vivunt in hoc mundo, & illud, ſeu totam illam durationem, quæ exinde ſuccedit, maximeque futura eſt poſt extremi Judicii diem. Hinc crebræ illæ locutiones, *neque in hoc ſæculo, neque in futuro: ſic erit in conſummatione ſæculi: uſque ad conſummationem ſæculi;* & *in ſæculo venturo vitam æternam: qui digni habentur ſæculo illo*, aliæque hujuſmodi cuilibet ſatis obviæ. Hinc etiam homines nimium addicti rebus caducis & temporalibus, nominantur, *filii hujus ſæculi, ſapientes hujus ſæculi, divites hujus ſæculi* &c. Quare ex hac ſola voce αἰὼν, niſi aliquid addatur, aut aliunde determinetur, nullum ad aſtruendam æternitatem argumentum elici valet. Maxime porro determinatur ad ſignificatum ipſius, cum vox illa geminatur: geminatio ſiquidem vim locutionis auget, eamque transfert ad infinitam durationem denotandam: Unde ſi legas duntaxat *in ſæculum* εἰς τὸν αἰῶνα neceſſe non eſt ut æternitatem ſtatim intelligas: ſi vero *in ſæculum & ſæculum* εἰς τὸν αἰῶνα καὶ αἰῶνα vel *in ſæculum ſæculi* εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος ac præcipue pluraliter *in ſæcula ſæculorum* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων procul dubio æternitas, ſive duratio interminata intelligenda eſt. Nullum enim locum reperies ex plurimis, quæ extant in ſacris Evangeliis, cæteriſque canonicis libris, in quo probari poſſit locutiones hujuſmodi ſumi pro tempore circumſcripto vel finito. Sed neque aliter, quam pro duratione interminata ſumuntur a quibuſvis aliis ſcriptoribus tum Græcis, tum Latinis.

VIII. Quamquam dictio αἰὼν, niſi definiatur, pro finito ſæpe tempore accipiatur, pluresque alias in ſacris litteris ſignificationes habeat; idem tamen dicendum non eſt de adjectivo ex ea derivato vocabulo αἰώνιος, vel αἰώνιον, quod nonniſi pro interminata duratione uſurpatur in iiſdem ſaltem ſacris litteris, ut communiter tradunt Scripturæ Interpretes, & vocum ſignificationis periti, ac jam antea advertit S. Auguſtinus in libro contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas, cujus hæc ſunt verba: *Licet latine* ſæculum *cum aliquo fine intelligatur*, æternum *vero niſi id, quod ſine fine eſt, non ſoleat appellari:* æon *autem græce aliquando æternum, aliquando ſæculum ſignificare intelligatur; tamen, quod ex hoc nomine derivatur, & appellatur* αἰώνιον æonion *nec ipſi Græci quantum exiſtimo, ſolent intelligere niſi id, quod non habet finem. Nos autem ſive* αἰῶνα æona, *ſive* αἰώνιον *non ſolemus dicere niſi æternum: Sed* αἰῶνα æona *dicimus & ſæculum;* αἰώνιον *autem nonniſi æternum*. Idque probari poteſt ſexcentis Scripturæ Sacræ locis, in quibus iccirco latinus interpres Græcum *æonion* vertit *æternum* vel *ſempiternum*. Diluit ſubinde Auguſtinus difficultatem, quam ingerere poſſet quidam Apoſtoli locus in Epiſt. ad Titum Cap. 1. cui par reſpondet in Epiſt. ad Timot. inquiens: *dixit autem Apoſtolus æterna tempora priora & antiqua quod in Græco legitur pro* χρόνων αἰωνίων chronon æonion. Ad Titum enim ſcribens ait: *Spem vitæ æternæ, quam promiſit non mendax Deus, ante tempora æterna*. Cum autem retrorſum tempora a conſtitutione mundi habere videantur initium, quomodo ſunt æterna, niſi quia æterna dixit, quæ ante ſe non habent ullum tempus?

IX. His tamen non omnino aſſentit Daniel Huetius, in Origenianis lib. 2. Cap. 11. quin & Auguſtinum carpit, ac ſi perperam vocem *æonion* interpretatus fuerit: contenditque eamdem primitivi ſui αἰὼν *æon* notationem ita repræſentare ut *rem indicet quandoque infiniti temporis, quandoque rem certi temporis, & terminati*, ſeu, quod huic ſcri-

pto

ptori perinde eſt, æque indifferens ſit ad utrumque ſignificatum: atque id confirmare nititur duobus ex Scriptura petitis exemplis, quæ ſibi jam objecerat S. Pater, *& fruſtra*, inquit ille, *ſolvere ſatagit*, nimirum ſententia quæ occurrit in Pentateucho, *legitimum ſempiternum erit &c.* quod Græcus vertit αἰώνιον, & verbis modo memoratis ex Apoſtolo, *ſpem &c. Quam promiſit Deus ante tempora* αἰώνια.

X. Verum fallitur Huetius, vir quidem doctiſſimus, ſed in quo majorem aliquando diligentiam, & criterium paullo accuratius deſideres, dumque Auguſtinum refellit, potiori ſe jure refellendum præbet. Quid enim? Etiamſi admitteremus in ſacris litteris uno vel altero loco vocem *æonion* applicari rebus, vel initium habentibus, vel finem habituris, nunquid propterea efferri abſoluto ſermone poteſt eam vocem *quandoque infinitum*, *quandoque finitum tempus indicare*, ſive ad utramque ſignificationem indifferentem eſſe? Nonne regula eſt certiſſima a Criticis omnibus peritioribus probata, *non tolli pro ſenſu proprio verborum præſumptionem*, *exceptione particulari*: *quia præſumptio militat pro illo ſenſu, qui regulariter verbo ſubjicitur*? Ducentum ſupra loca proferri poſſunt ex ſacris litteris, in quibus vox *æonion* durationem interminatam certo ſignificat. Quid uno vel altero loco objecto eam ſignificationem concutere, & labefactare pertentas, propriamque hujuſce nominis vim indifferentem facere ad utrumque ſignificatum, finiti ſcilicet temporis & infiniti? Quis eſt qui neſciat vix ullam eſſe vocem proprie aliquid ſignificantem, quæ nonnumquam rei, cui proprie non convenit, ſed per quamdam ſolummodo analogiam, non applicetur? Sic vox hæc *divinum*, quod ſolius Dei peculiare eſt, ex ſe deſignat; & tamen de creatis rebus aliquando dicitur; idem dicas de innumeris aliis vocibus ſatis obviis. Nonne conſentit Huetius latinum nomen *æternum*, & *ſempiternum* durationem interminatam proprie tantum ſignificare, neque eſſe vi ſua ad finitam etiam ſignificandam indifferens? Neque tamen ignorare poteſt quandoque rebus etiam finem habentibus per tropum aliquem vel figuram imponi (*a*): quin immo in eodem ipſo loco, quem objicit ex Pentateucho, quod Græcus αἰώνιον, latinus Interpres vertit *ſempiternum*, quamquam neſcius non eſſet legales illas cæremonias, de quibus enunciatur, jam abolitas fuiſſe. Quemadmodum igitur hoc non officit, quominus hujuſmodi voces *æternum*, & *ſempiternum*, proprie ſemper accipiamus pro duratione finem non habente, niſi quidpiam cogat aliter interpretari; ita nec obeſſe poterit, quod idem aſſeramus de voce *æonion*, quamquam uno vel altero Scripturæ loco pro finito tempore ſumeretur.

XI. Cæterum neque loca illa, quæ opponit Huetius, adeo aperta ſunt, ut iis merito potuerit & Auguſtino, & communi ſententiæ repugnare. Et primum quidem, cui ipſi Origeniſtæ maxime fidunt, infra diſcutiemus, & quo ſenſu legales cæremoniæ *ſempiternæ* appellatæ fuerint, aperiemus. Alterum vero ita frequentius ſacri Expoſitores interpretantur, ut Apoſtolus intellexerit Deum electis ſuis vitam æternam decreviſſe ante tempora æonia, ſeu ab ipſa æternitate, ſive ante omne tempus tum verum, quod cum ipſo mundo condito fluere cœpit, tum imaginarium, quod nempe ante mundi conſtitutionem in æternitate præextitiſſe concipimus: qui ſenſus nedum minime favet Huetio, ſed potius contrarius eſt.

XII. Præter voces *æon*, & *æonion*, habetur etiam in Sacra Scriptura ad ſtatum æternum deſignandum vox illis affinis ἀΐδιος, quod preſſe *ſempiternum* latine vertas. Duobus tantum in locis, niſi fallor, vox hæc in novo Teſtamento uſurpatur, & ſemel in veteri, videlicet in Epiſtola ad Rom. Cap. 1. ubi Apoſtolus ait, *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna*

(*a*) Sic *Phædr. lib. 2. ad fin.* ſervumque collocarunt æterna in baſi: Sic *Plinius lib. 14. Cap. 2. de vite*. Nec eſt ligno ulli æternior natura &c.

terna quoque ejus virtus, ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις. Et in Epiſt. S. Judæ *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum &c. in judicium magni diei vinculis æternis* δεσμοῖς ἀϊδίοις *ſub caligine reſervavit*. Et Sapientiæ 7. 26., *candor eſt lucis* ἀϊδίου *æternæ*. Sunt & aliæ in ſacris libris locutiones, quæ æternam durationem deſignant, eæque præſertim, quæ per negationem finis, aut termini exprimuntur, ut *immortalis*, *inextinguibilis &c.* de quibus cum nulla difficultas occurrat, ideo ab iis proferendis nunc ſuperſedeo.

CAPUT III.

Tria ſcripturarum genera ad probandam pœnarum inferni æternitatem. Primum proponitur eas locutiones complectens, quæ poſitivo nomine eamdem deſignant. Ex illis nonnullæ extant in libris V. Teſtamenti, quarum quædam illuſtrantur. Plures vero, certioreſque ſuppeditant novi Fœderis oracula.

I. Conſtituta propria vi, ac ſignificatione vocum, quibus in ſacris libris æternitas, aut ſtatus ſine termino duraturus exprimitur, accedo ad ea loca proferenda, queis æternum impiorum ſupplicium ab iiſdem aut aſſeritur, aut certiſſime colligitur. Ea vero in tres claſſes majoris claritatis gratia partiri lubet: quarum prima locutiones omnes complectitur, quæ poſitivo nomine ſupplicium illud æternum enunciant: altera, quæ idem declarant per negationem finis, aut termini: tertia demum eas ſententias continet, quarum veritas conſtare neutiquam poteſt, niſi damnatorum miſeria nunquam deſitura ponatur. Atque a primis incipiens ea duntaxat teſtimonia proferam, quæ certiora videbuntur, miſſis pluribus aliis, quæ a noſtratibus afferri ſolent, quæ certæ probationis eſſe non judico.

II. Ex veteri itaque Teſtamento primus locus habetur Jobi cap. 4. com. 20. his verbis: *de mane uſque ad veſperam ſuccidentur: & quia nullus intelligit, in æternum peribunt:* quæ Vulgatæ lectio cum textu hebraico conſentit. Perſpicuum eſt ſermonem hic fieri de divina juſtitia deſæviente in impios tum in hac, tum in futura vita: ſenſuſque germanus horum verborum eſt: *de mane uſque ad veſperam*, ſive toto hujuſce vitæ tempore uſque ad mortem, Juſtus Deus ultionem ſumet de impiis, & peccatoribus; & quia hi juſtitiam divinam non agnoſcunt, neque intelligunt ea mala, quæ patiuntur ſibi ob peccata divinitus immitti, adeoque nihilo meliores ob has calamitates evadunt, ideo *in æternum peribunt*, hebraice לנצח יאבדו *lanetzac Jovedu*. Textus iſte pro catholico dogmate ex veteri Teſtamento adſtruendo clariſſimus eſt: nec ſane video quo pacto a quoquam eludi poſſit: in eo quippe ſermonem fieri de pœnis, quibus puniendi ſunt impii tum in præſenti, tum in futura vita dubitari nequit. Futurum itidem ſupplicium non diuturni temporis eſſe, ſed ſine fine manſuri, clamat vox לנצח *lanetzac*, quam uſurpat Scriptura ad hujuſce pœnæ durationem deſignandam.

III. Locus alter æque perſpicuus extat in Pſalm. 91., ubi regius Propheta ſic loquitur: *cum exorti fuerint peccatores, ſicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, ut intereant* עדי עד ad ade *in ſæculum ſæculi: tu autem altiſſimus* לעולם leolam *in æternum, Domine*. Loqui hic Davidem de præſenti impiorum proſperitate, & de futura eorum ſorte ac miſeria, res clara eſt, ac penes ſacros Interpretes explorata (*a*), & ſignicat, peccatores, poſtquam germinaverint, & creverint, valdeque conſpicui fuerint in ſublimitate honorum, proſperitate vitæ, ac divitiarum abundantia, divinæ juſtitiæ ultionem experturos, brevemque ipſorum gloriam in perpetuam

(a) Vide Vatablum, Clarium, Lorinum &c.

petuam afflictionem & ignominiam commutatum iri: Deum vero, illis in exitium ſempiternum abeuntibus, in ſuæ gloriæ ac felicitatis faſtigio jugiter permanſurum cum Sanctis & electis, de quibus ſubinde ſermonem habet. Porro durationem miſerrimi impiorum ſtatus emphatice Propheta exprimit per verba עד עדי *ad ade*, quæ nonniſi de infinito tempore intelligi poſſunt. Unde & Vulgata vertit, *ut intereant in ſæculum ſæculi*: S. Hieronymus, *ut conterantur uſque in ſempiternum*: & Paraphraſis Chald., *ut deſtruat eos Deus uſque in æternum*. Quod etiam ex verbis, quæ ſtatim ſubjicit, evidenter apparet. Opponit enim feliciſſimam Dei æternitatem æternæ illorum miſeriæ, deſignatque, quod ſicut Deus cum beatis immutabiliter regnaturus eſt in ſumma felicitate, ita impii in ſumma contritione & calamitate indeſinenter manebunt.

IV. Tertius locus habetur Pſalm. 48., ubi Propheta inprimis deſcribit impios in inferno poſitos, & pabulum mortis effectos, eorumque gloriam in ſupremo reſurrectionis die penitus ſuccuſſam, & in ignominiam converſam, inquiens: *ſicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos: & dominabuntur eorum juſti in matutino*, ideſt principio novi, & futuri ſæculi: *& auxilium eorum veteraſcet in inferno a gloria eorum*. Deinde de homine divite peculiariter loquens ſubdit: *ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus*. Ac tandem concludit: *introibit uſque in progenies Patrum ſuorum*, hoc eſt, introibit uſque ad ea loca, ad quæ illum præceſſit progenies ſuorum Patrum, ut eos ſequatur in ſuppliciis, quos ſecutus eſt in flagitiis: *& uſque in æternum non videbit lumen*, in Hebræo pro *in æternum* eſt עד נצח *ad Netzac*, quæ ambæ voces æternitatem preſſe ſignificant, majoremque invicem conjunctæ vim ſignificato adjiciunt. Unde & Hieronymus vertit: *vivet ultra in ſempiternum, & uſque in finem non videbit lumen*. Paraphraſtes: *improbi in ſæcula ſæculorum non videbunt lumen*. Et Symmachus: *vivens ſemper perſeverabit*.

V. Aliud etiam teſtimonium legitur in Pſalm. 51. com. 7., ubi David de homine impio, & peccatore prædicit: *propterea Deus deſtruet te* לנצח lanetzac *in finem*, ſive *uſque in ſempiternum: evellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium*, ſcilicet, ut exponunt Interpretes, & exigit nativus orationis ſenſus, *propter iniquitatem tuam Deus te radicitus deſtruet in hoc ſæculo, & in futuro, ut in æternum deſtructus, & a ſede Beatorum ejectus ſemper maneas abſque ulla emergendi ſpe ex hac extrema deſolatione*.

VI. Duo loca evidentia ſuggerit ad veritatem eamdem comprobandam Propheta Iſaias, quæ jam ſuperius vindicata ſunt, dum de inferorum igne ageremus. Alter petitur ex cap. 33., ubi peccatores, & hypocritas alloquens, *quis poterit*, inquit, *de vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis*, in hebræo עולם Holàm. Graviores omnes Interpretes, ut diximus, non niſi de futuris impiorum cruciatibus locum hunc explicandum eſſe definiunt. Porro vox illa holàm *ſempiternis* preſſe tantummodo accipi poteſt pro duratione fine caritura, ut obſervat Vitringa cum aliis; quia ſupplicia temporaria non explent emphaſim phraſios hebraicæ. Hinc de igne æterno tum Paraphraſtes Chald., tum cæteræ quæque verſiones interpretatæ ſunt. Sumitur alter ex cap. 66., quem infra opportunius expendam.

VII. Ezechiel quoque ita de gente contumaci prænunciat Cap. 26. c. 20.: *cum detraxero te cum his, qui deſcendunt in lacum ad populum* עולם holàm *ſempiternum, & tollocavero te in terra noviſſima, ſicut ſolitudines veteres cum his, qui deſcendunt in lacum &c.* Exitium hic futurum ſignificari ſatis liquet; neque enim *ſempiternus populus*, ad quem detrahendi ſunt nefarii Dei hoſtes, aliter intelligi nequit præter homines jam a divina juſtitia ad Gehennam prædamnatos. Unde S. Hieronymus, R. Salomon, & alii communiter ita locum hunc interpre-

Digitized by Google

tantur: *cum his, qui deſcendunt in lacum, ideſt in infernum ad æternum ignem deſtinatis conſtituam te in ſempiternum arſuram*.

VIII. Sed præ cæteris luculentiſſimum eſt teſtimonium Danielis cap. 12. his verbis conceptum: *multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant ſemper*, ſive juxta hebraicum textum, in *contemptum* holàm *æternum*, ut vertunt 70., Vatablus, & Pagninus, vel *reprobationem æternam*, ut Marinus in Lexico, aut ſecundum alios *in durationem doloris æternam*. Quæ verba, ut advertunt ſacri Interpretes, perſpicue, & aperte deſignant futuram felicitatem bonorum, & malorum calamitatem, ſive alterius vitæ omnium retributionem ſine fine duraturam: idque omnino expoſcit cum contextus ipſe, tum ea, quæ antecedunt, & ſubſequuntur. Cap. namque XI. agit Sanctus Daniel de iis, quæ ſupremum Dei judicium præceſſura ſunt. Deinde caput hoc XII. orditur a deſcriptione eorum, quæ terribilem illum diem proximius antecedent, inquiens: *in tempore illo conſurget Michael &c., & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud &c.; & multi*, ſive omnes juxta conſuetam Scripturæ phraſim, *evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium æternum*, oſtendens malorum opprobrium æque æternum futurum, ac gloriam bonorum: ſtatimque ſubdit: *qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitas* רנולם ועד *leolàm vaed*. Quis cæcus adeo fuerit, qui non videat non de præmio, aut pœna vitæ præſentis hoc loco ſermonem fieri, ſed de futuro?

IX. His demum adjicio ex antiquo Fœdere teſtimonia, quæ proſtant in libris *Judith*, & *Sapientiæ*. In priore namque cap. 16. deſcribens Sancta mulier Judith terribilem vindictam, quam Deus de impiis ſumet in die Judicii, ſic effatur: *Dominus enim Omnipotens vindicabit in eis: in die Judicii viſitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum*. Sapientiæ vero cap. 4. de iiſdem dicitur: *videbunt finem ſapientis &c. & contemnent: illos autem Dominus irridebit. Et erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum*. Quæ verba non de infamia, aut ignominia hujus ſæculi, ſed quam habituri ſunt in inferno cum Dæmonibus, ac damnatis, accipienda eſſe evidentiſſime colligitur ex iis, quæ ſequuntur. Pergit enim Sapiens recenſere cætera mala, quibus poſt hanc vitam obnoxii erunt, amariſſimas ipſorum querelas, & inutilem pœnitentiam; tandemque opponit feliciſſimum juſtorum ſtatum perpetuo duraturum ſummæ & perpetuæ eorumdem miſeriæ, dicens: *juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces illorum, &c.*

X. Frequentius, ac luculentius catholica de pœnarum æternitate ſententia proponitur in novo Teſtamento. Peremptoria in primis ſunt, quæ leguntur apud S. Matth. cap. 25., ubi Chriſtus Dominus deſcribens futurum in fine mundi univerſale Judicium, cum venerit Ipſe in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, oveſque diviſerit ab hœdis, ſive electos a reprobis, proteſtatur ſe illis quidem dicturum: *venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi*: Iſtis vero: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*. Ac poſtremo concludit: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam*. Nulla in verbis, quibus hæ ſententiæ latino idiomate referuntur, a textu græco diſſenſio. Tum primo, tum altero loco adhibetur ad æternitatem ſive miſeram, ſive beatam ſignificandam eadem vox *αἰώνιον*. Senſus quoque verborum clariſſimus eſt, & cuilibet legenti ſtatim manifeſtus. Neque hic, ut alibi ſæpe, in parabolis, aut figuris loquitur Chriſtus Jeſus: ſed diſerte, & hiſtorice enarrat, quænam futura ſit ſuprema electorum, & reproborum ſors; & utramque eodem vocabulo *ſempiternum* pronunciat.

XI. Qui-

XI. Quidam ex antiquis Origeniſtis, ut refert S. Auguſtinus lib. *de fide*, *&* *oper.* hujuſce ſententiæ vim effugere conabantur, dicentes ignem quidem, ad quem reprobi damnandi ſunt, futurum æternum, at non æternum eoſdem in igne permanſuros, ſed ex illo tandem ereptum iri, cum nempe divinæ Juſtitiæ, ac bonitati viſum fuerit. Verum abſonam hanc futilemque reſponſionem jam penitus contrivit Sanctus idem Auguſtinus, ſolo ejuſdem Evangelicæ ſententiæ contextu, inquiens: *neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducunt, ignem æternum dictum, non ipſam combuſtionem æternam &c., ut videlicet ipſe ignis æternus ſit; combuſtio vero eorum, hoc eſt operatio ignis, non ſit in eos æterna: cum & hoc prævidens Dominus ſententiam ſuam concluſit ita dicens: ſic ibunt illi in combuſtionem* (a) *æternam; juſti autem in vitam æternam*: Sed & ipſum æternitatis nomen igni adjectum, cui addicendi ſunt reprobi, non ſolum Dæmonibus ſempiternos cruciatus illaturum eſſe ſignificat, ſed iis etiam, qui æterno igne damnantur: ut ſiquis æterno addici carceri dicatur, nemo aliter intelligit, quam illi ipſi, cujus in eo ſupplicium conſtituitur, non alteri, fore ſempiternum. Verum miſſa hac evaſione, quam nullus recentium Origeniſtarum amplectitur, ad alia loca progrediamur.

XII. Matth. Cap. 18. c. 8. eadem increata Veritas ita loquitur: *bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*. Joan. Cap. XI. c. 26.: *qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum*. S. Paulus 2. ad Theſſalon. Cap. 1. com. 9. de iis, qui non noverunt Deum, neque obediunt Evangelio Chriſti, ſcribit: *qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus*. Sanctus Apoſtolus Judas tribus in locis Epiſtolæ ſuæ mentionem facit de hac re: Primo nempe com. 6. ait: *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*. Vincula hæc *æterna*, ſive ut preſſius in Græco, *ſempiterna* dicuntur; quia ſi referantur ad tempus futurum poſt Judicium, ſemper eos tenebunt adſtrictos; ſi vero ad tempus præſens, quo plures ſaltem ex Dæmonibus ſub caliginoſo hoc aere detinentur, iiſdem ita vinciuntur, ut ea ſemper tamquam mancipia circumferant, a quibus expediendi nunquam ſunt. Com. deinde 7.: *ſicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates &c. factæ ſunt in exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes*, pœnam illam videlicet, quæ ſubſecuta eſt incendium cælitus immiſſum in incolas impiarum Civitatum Sodomæ, & Gomorrhæ, quod ut advertunt Interpretes, ideo fuit in exemplum, quia jam tum conſtabat ſaltem apud Judæos, quicumque in lethali culpa deprehenderetur, cum ſubita eum mors occuparet, hunc æterno igne damnari. Locum hunc, quem in erroris ſui præſidium trahunt adverſarii, fuſius infra diſcutiemus. Tandem com. XI. de quibuſdam perditis hominibus Sanctus Apoſtolus ait: *veh illis, qui in via Cain abierunt &c. fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum*.

XIII. Sed omnium clariſſima ſunt oracula, quæ habentur in libro Apocalypſis, ubi de pœnis futuris verba faciens S. Joannes, eas triplici in loco *in ſæcula ſæculorum* duraturas pronunciat. Primus extat Cap. 14. com. 10. in quo de omni, qui beſtiam adoraverit, refert: *hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni, & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die, ac nocte*. Et Cap. 19. c. 2.: *vera & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit* de

(a) Videtur Auguſtini tempore apud Matthæum ſcriptum fuiſſe non *ſupplicium æternum*, prout nunc legitur, *ſed combuſtionem æternam*, proindeque καῦσιν non κόλασιν αἰώνιον in Græc legerunt: quæ tamen vox tantumdem valet in præſenti, ac ſupplicium.

de meretrice magna &c. Et fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum. Et Cap. 20. c. 10. *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia, & Pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Sola hujuſmodi loca, etiamſi cætera deeſſent, rem conficere deberent: neque enim voces illę *αἰῶνας αἰώνων in ſæcula ſæculorum* ſenſum alium admittunt præter æternitatis, ſive durationis nullum terminum habituræ: neque alio uſpiam in ſenſu, quam ad æternitatem ſignificandam in Scriptura uſurpantur, ut conſtat ex innumeris locis, tum veteris, tum novi teſtamenti, & ex ipſo libro Apocalypſeos, ubi pluries eædem voces repetuntur *de Deo, de vita beata &c.* Hinc omnes ſacri Expoſitores hæc teſtimonia pro pœnarum æternitate adſtruenda decretoriá profitentur, ex quibus ſolius Calmeti in poſtremum locum verba refero: *Hinc*, inquit, *aperte ſignificatur æternitas pœnarum, quibus Dæmones, atque damnati excruciandi ſunt, & conſummatio eorum omnium, quę pertinent ad militantem Eccleſiam, & bella, quæ illa eſt ſubitura. Judicio peracto omnia in certo, atque immutabili ſtatu permanent, ſeu gloria pro beatis in cælo, ſeu cruciatus pro dæmonibus, impiiſque in inferno.*

CAPUT IV.

Claſſis altera locutionum Scripturæ, quibus per negationem finis æternitas reproborum exitii ſignificatur. Satis clara ſunt hujuſce generis teſtimonia, quæ habentur in libro Job, ſed illud clariſſimum, quo vaticinium ſuum concluſit Iſaias, quod & ipſe Chriſtus Dominus in Evangelio ſua Authoritate communivit.

I. ALTERA claſſis Authoritatum, quibus catholicum dogma de ęterna reproborum miſeria comprobatur, eas complectitur, quæ negationem finis eidem attribuunt: quarum aliæ in antiquo, aliæ in novo Teſtamento inveniuntur. Et in antiquo quidem non obſcura in primis loca quædam in rem hanc ſubminiſtrat S. Job Cap. 20. Nam çom. 18. de homine impio loquens ſic ait: *luet, quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur: juxta multitudinem adinventionum ſuarum ſic & ſuſtinebit*: hoc eſt: cum omnia paſſus fuerit, quibus impii in hoc orbe vexantur, ad alias vitæ pœnas gravius vexandus demigrabit, luetque in tormentis peccata omnia, quæ perpetravit, quin tamen unquam conſumatur. Equidem vulgatæ lectionis textus non nihil diſſentit in verbis ab hebraico: in hoc enim pro *non conſumetur* legitur, *non deglutiet*, aut *non devorabit*. Sed, ut obſervat Pineda cum aliis, nulla eſt in ſenſu varietas. Nam juxta canones grammaticos verbum illud reddi poteſt imperſonaliter, pro *non deglutietur*, aut *non devorabitur*, ſive *non conſumetur*, ut ſenſus ſit: ne putet impius reſtitutis, aut devolutis bonis alienis ad dominos ſuos, jam ſibi reliqua ſalva eſſe, videlicet corpus, & animam. Manet enim adhuc illi culpa ſupplicio non deſituro luenda. Quare ſempiternis cruciatibus corpore & anima afficietur, nec unquam conſumetur, ſeu nunquam vitam finiet in tormentis. Perpulcra ſunt verba, quibus locum hunc commentatur S. Gregorius Magnus lib. 15. Moralium. *Perſolvit*, inquit, *impius in tormento ea, quæ hic illicite ſervavit deſideria, & flammis ultricibus traditus ſemper moritur, quia ſemper in morte ſervatur. Non enim in morte conſumatur: quia ſi conſumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur. Sed ut ſine fine cruciетur, vivere ſine fine in pœna compellitur: ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna.* Luet, quæ fecit, omnia, nec tamen conſumetur: *quia cruciatur, & non extinguitur: moritur & vivit: deficit, & ſubſiſtit · finitur ſemper & ſine fine eſt. Hæc ſolo auditu valde ſunt terribilia, quanto magis paſſione.*

II. Hujuſce loci ſenſum confirmat locus alter ejuſdem Capitis com. 26., in quo de eodem impio Sermonem proſe-

quens

quens S. Job inquit, *devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur*: quæ phraſis etiam a Propheta Iſaia adhibetur. Ad quæ verba ſic diſſerit Pineda:
„ Agnoſcunt
„ latini Interpretes in hoc loco ignem
„ æternum, & vel ex hoc uno loco li-
„ cet colligere æternitatem cruciatuum
„ æternorum numquam remittentium,
„ neque languentium. Nam ignis, qui
„ flatu accenditur, non ſemper eamdem,
„ & æqualem flammam attollit: ſed per
„ intervalla quædam quaſi intermiſſam.
„ Sicut enim flamma tollitur, & exur-
„ git per flatum, qui neceſſario inter-
„ mittitur, ita etiam flamma ſuas ha-
„ bet coruſcationes, & incrementa per
„ intervalla. At ignis, qui non ſuccen-
„ ditur, idem ſemper, conſtanſque, ne-
„ que langueſcit, aut remittitur, neque
„ attollitur, aut extinguitur. Quod gra-
„ viter, atque ſapienter explicuit Chry-
„ ſoſt. Epiſt. 5. ad Theodorum lapſum
„ inquiens: *cum audis ignem, ne arbi-*
„ *treris eſſe ſimilem huic igni: accenſus*
„ *enim deferveſcit, & mutatur. Ille au-*
„ *tem ſemel in flammam exurgens ardet*
„ *perpetuo, nunquam intermoritur. Hic*
„ *quidem non contingit vehementia pœna-*
„ *rum, & earum diuturnitas: altera e-*
„ *nim cum altera pugnat propter conditio-*
„ *nem corruptibilis corporis. Immortali-*
„ *tate autem ſuccedente ſolvitur hæc pu-*
„ *gna, & magna potentia nos in infini-*
„ *tum utraque mala poſſidebunt*.

III. Hoc ipſum ſatis aperte indicavit Job etiam Cap. 10. c. 21. verbis illis, quæ ad futuræ vitæ ſtatum congruentius referri jam ſupra adnotavimus: *dimitte me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Primam hujus periochæ partem, *dimitte &c. antequam vadam, ſeu ne vadam, & non revertar*, ad æternitatem pœnarum pertinere obſervant Interpretes juxta vim locutionis hebraicæ. Hinc S. Auguſtinus legit: *antequam eam in pœnas, unde reverti non licet*. Arctiſſimis enim tenebrarum vinculis conſtricti detinentur ſontes, unde ſe expedire nunquam poterunt. Sic etiam 70. ad carceris locum & conditionem ea verba retulerunt: *antequam eam, unde non revertar*. Eademque ratione dictum eſt, *antequam vadam, & non revertar*, ac dixit Iſaias Cap. 24. c. 20.: *gravabit eum iniquitas ſua, & non adjiciet ut reſurgat*. S. Gregorius Magnus ita locum hunc optime explanat: *quid terræ tenebroſæ nomine, niſi tetra Tartari clauſtra ſignantur? quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quoſque in perpetuum a vitæ luce disjungit..... Sanctus autem vir ſive ſua, ſive humani generis voce dimitti ſe poſtulat, antequam vadat, non quia ad terram tenebroſam, qui culpam deflet, iturus eſt: ſed quia ad hanc procul dubio, qui plangere negligit, vadit: ſicut debitori ſuo creditor dicit: ſolve debitum, priuſquam pro debito conſtringaris, qui tamen non conſtringitur, ſi quod debet ſolvere, non moratur. Ubi & recte ſubditur: non revertar: quia nequaquam ultra miſericordia parcentis liberat, quos ſemel in locis pœnalibus juſtitia Judicis damnat*.

IV. Huic ſententiæ affine eſt, quod legitur Cap. 16. Lucæ, ubi de ſupplicio Divitis agitur, qui poſt mortem ſepultus eſt in inferno. Ex ea ſiquidem narratione liquet apertiſſime nedum reprobos ſupra modum cruciari abſque ullo refrigerio, ſed inſuper tali horrendo carcere concludi, unde regreſſus aut liberationis nulla ſpes affulget. Sic enim Diviti ſolamen aliquod in tormentis roganti reſpondit Pater Abraham: *in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, ut hinc, qui volunt tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*. Ac ſi dicat: *non miſerebitur ultra Deus* (verba ſunt S. Cypriani (a)) *neque audiet pœnitentes..... non ultra videbunt Deum in tenebris ſigillati. Irregreſſibilis erit illa ſententia*; & im-

(a) Serm. de Aſcenſ. Dom.

Immutabile judicium, & ſtabit damnationis hujus immobile conſtitutum.

V. At inter omnia id genus teſtimonia ſplendidum, ac illuſtre eſt, quod habetur apud Iſaiam Cap. 66. c. 24., nempe *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni:* quo totum ſuum vaticinium Propheta concludit. Agi inibi de futuro peccatorum ſupplicio certiſſimum eſt, idque præter concordem Hebræorum & Chriſtianorum Interpretum ſententiam, ex iis, quæ alibi dicta ſunt, manifeſtum fit. *Vermis* itaque *eorum*, quocumque demum ſenſu *vermis* nomen accipias, ſive pro animali quodam, ſive pro ſtimulo, & angore pravæ conſcientiæ, *non morietur*, immortalis erit, ſemper impios corrodet, ac dilaniabit: *& ignis eorum non extinguetur*, hoc eſt inextinctus jugiter permanebit, *flatu Domini*, ut antea dixerat S. Propheta, tamquam *torrente ſulphuris* terribilem illam fornacem *ſuccendente*, ne ullo unquam tempore miſerrimos damnatos torquere deſinat. „ Erit (inquit celebris Iſaiæ interpres Vitringa in hunc „ locum) tremenda revelatio divinæ iræ „ in ſtatu opprobrii, cruciatus, odii, „ invidiæ, triſtitiæ, malæ conſcientiæ, „ angoris, deſperationis, & quidem quatenus conſilium Dei de hoc ſtatu nobis patefactum eſt, in omnem æternitatem duraturo..... *Vermis non moriturus* duo ſignificat, incorruptibilitatem in ſtatu corruptionis, ſive mortis, quæ mors hic ſupponitur ſpiritualis in æternum continuanda. Vermis enim non moriens ſupponit corruptionem non corrumpendam, hoc „ eſt non deſituram aut interituram unquam, ſed perpetuandam per omnia „ ſæcula &c., atque idem dicas *de igne non extinguendo*.

VI. Parem locutionem pluries invenimus in ſanctis Evangeliis adhibitam. Apud Matth. Cap. 3. c. 12. Joannes Præcurſor de Salvatore ait: *congregabit triticum ſuum in horreum*, ſive juſtos in regnum cælorum: *paleas autem*, ſive impios, *comburet igne inextinguibili:* quæ ſententia iiſdem verbis concepta habetur etiam apud Lucam Cap. 3. c. 17. Sed præcipue eam repetit, & inculcat Chriſtus Dominus apud Marcum Cap. 9. Nam 1. Com. 42. ſic admonet: *ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in Gehennam, in ignem inextinguibilem.* Hoc iterum monet Com. 44. dicens: *ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam, quam duos pedes habentem mitti in Gehennam ignis inextinguibilis.* Et ne forte quis cavillari poſſet ignem quidem inextinguibilem eſſe, at non eodem ſemper cruciatum iri damnatos, ſtatim ſubjungit laudata Iſajæ verba: *ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, quibus declarat non abſolute ſe loqui de verme & igne inextinguibili, ſed de verme & igne *eorum*, ſive qui ipſos torquet & cruciat: & hanc ſententiam eodem loco ſecundo ac tertio repetit, ut eam memoriæ omnium altius commendaret. Audi S. Auguſtinum ita in hæc loca præclare differentem (*a*): „ quod de ſempiterno „ ſupplicio damnatorum per ſuum Prophetam Deus dixit, fiet, omnino fiet. „ Ad hoc enim vehementius commendandum etiam Dominus Jeſus, cum „ membra, quæ hominem ſcandalizant, „ pro his hominibus poneret, quos ut „ ſua membra dextra quis diligit, eaque præciperet amputari: *bonum eſt*, „ inquit, *tibi debilem introire in vitam*, „ *quam duas manus habentem ire in Gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Similiter de pede: *bonum eſt tibi*, inquit, *claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Non aliter ait & de oculo: *bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis; ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Non

(*a*) Lib. 21. de Civit. Dei Cap. 9.

„ Non eum piguit uno loco eadem verba „ ter dicere. Quem non terreat iſta „ repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens ore divino? „

CAPUT V.

Socinianorum reſponſio ad propoſita Scripturarum loca perabſurda, & naturali lumini ſacriſque oraculis manifeſto repugnans. Hujus occaſione ipſorum ſyſtema funditus evertitur. Fruſtra illud erigere conantur Sociniani recentiores novo adjecto temperamento. Voces interitus, mortis, *ac* perditionis *quo ſenſu de reproborum pœna in Scriptura uſurpatæ. Quam frivolum ſit argumentum, quod maxime urget Joannes Lokius.*

I. Loca a me hactenus propoſita ſupplicii impiis parati æternitatem adeo evidenter evincunt, ut mirum ſit potuiſſe nonnullos, qui divinam authoritatem aut revereantur, aut revereri ſe jactant, eidem refragari, planeque ſuperfluum videri queat, quidpiam ulterius addere, ad Dei revelationem de hac re amplius manifeſtandam. Nihilominus, quoniam adverſarii nulli ſtudio, ac induſtriæ pepercere, ut Scripturarum teſtimonia luce ipſa clariora obſcurarent, eorumque vim, qua ſe premi, opprimique ſentiunt, ſiqua forte via poſſent, effugerent, ideo offucias omnes, & cavillationes, quas commenti ſunt, diſpellere neceſſum eſt, conatuſque reprimere, ut pleno in lumine catholica veritas collocetur.

II. Primo itaque loco occurrunt Sociniani, quia juxta hypotheſim a ſe conſtitutam reſpondent, adductas quidem Scripturæ authoritates ſatis probare, impios & malefactores æterna pœna puniendos fore, ſed hanc pœnam non aliam futuram eſſe præter totalem eorum interitum, ac perditionem; nimirum, inquiunt, impii pro ſuis ſceleribus in nihilum a Deo redigentur, atque ita æterna pœna plectentur. Cum enim iccirco perpetuo priventur cæleſti beatitudine, quam juſti ſine fine poſſidebunt, hujuſcemodi pœna jure ac merito *ſempiterna* vocatur, hoc eſt ſemper duratura; atque hoc ſenſu, ſubdunt, explicanda ſunt Scripturæ verba, quoties reprobis æternam pęnam denunciant.

III. Adeo abſurda eſt hæc reſponſio, adeo manifeſto repugnans tum lumini naturali rationis, tum ſacris litteris, ac principiis omnibus Chriſtianæ doctrinæ, ut operam ludere me putarem, ſi in ea refellenda diutius immorarer. Et eam quidem cum naturali ratione aperte pugnare, facile patet ex iis omnibus, quæ lato calamo in prima diſſertatione dicta ſunt. Ea quippe argumenta, quæ ad adſtruendam alterius vitæ punitionem adverſum Deiſtas produximus, ex Dei ſanctitate, juſtitia, ac Providentia, & ex unanimi gentium conſenſione deprompta, æque labefactant, ac deſtruunt Socinianorum commentum, quod ab illorum opinatione reipſa nihil omnino differt quoad futurum impiorum ſtatum. Si enim in nihilum rediguntur impii, jam nullus ſupereſt punitioni locus, cum puniri nequeat, aut ullo ſupplicio affici, qui non exiſtit.

IV. At multo magis divinæ revelationi adverſatur, ita ut non arbitrer fuiſſe quemquam ex Socinianis, qui revera crederet tam monſtroſam opinationem conciliari poſſe cum ſacræ Scripturæ documentis. Nam ſi in nihilum redigi tota eſt reproborum pœna, quid, amabo, ſignificat *vermis* ille, *qui non moritur, & ignis, qui non extinguitur*, de quo & Iſaias, & Chriſtus Dominus pluries mentionem faciunt? Quid *fletus ille, & ſtridor dentium* futurus in loco, ad quem improbi damnantur? Quid *tenebræ* illæ *exteriores*, in quas ejiciuntur? Quid illa *Gehenna*, de qua tam frequens in Evangeliis ſermo? Cur Propheta interrogat *quiſnam poſſit habitare cum igne devorante, & ardoribus ſempiternis*? Cur

 Chri-

Chriſtus mortuum divitem inter flammas conflagrantem deſcribit? Cur Judę proditori terribile illud *væ* comminatur, *meliuſque* pronunciat ipſi futurum, *ſi natus non fuiſſet?* Cur hortatur nos, ut *eum timeamus, qui corpus & animam mittere poteſt in Gebennam?* Cur formidandam illam ſententiam prædicit: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*, & ſubinde concludit: *& ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam?* Num *cruciari in ſæcula ſæculorum ante conſpectum Dei & agni* idem eſt ac nihil eſſe, atque adeo perinde ac non cruciari, aut affligi, nec eſſe ante alicujus conſpectum? Num *alligari vinculis*, num *in ſtagnum ignis ardentis projici*, nec *habere requiem die ac nocte* idem ac nullibi exiſtere, adeoque nec vincula, nec ignem pati? Profecto ſi ita licet tam perſpicua teſtimonia interpretari, quidquid lubet, in ſacra Scriptura reperimus, nihilque erit, quod ad cujuſque genium, & placitum accommodari nequeat: nihil etiam quo beatæ vitæ gloriam & felicitatem Sociniani efficaciter ex eodem evincant. Neque enim Scripturæ locutiones, quibus æterna beatitudo juſtis promittitur, clariores ſunt, quam quæ æterna ſupplicia improbis comminantur.

V. Præterea quid frequentius in ſacris libris, quid & ipſi naturali rationi conformius, quam futuræ impiorum pœnæ inæqualitas juxta quorumcumque ſcelera, ac meritorum conditionem? Nulla porro in Adverſariorum hypopotheſi pœnarum inæqualitas concipi valet. Quis enim in nihilo gradus, aut inæqualitatem conſtituat, aut fingat? Qui ergo conſtabit veritas verborum Chriſti, quod *tolerabilior* quorumdam præ aliis *conditio futura ſit in die Judicii?* quod *ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui*, nec opere implevit, *vapulabit multis?* Quod *Deus* juſtus Judex *unicuique reddet ſecundum opera ſua*, hiſque ſimilia? Deſiperem ipſe profecto, ſi tempus & operam ultra perderem adverſus putidiſſimum commentum non argumentis refutandum, ſed ſibilis explodendum; eo præſertim cum jam fere omnes recentiores Socinianos puduerit tam abſurdæ Magiſtrorum ſuorum doctrinæ (a), nec ullatenus defendi poſſe ingenue profeſſi ſint.

VI. Plures igitur ex nuperis Socinianis ne tam apertis Scripturarum textibus omnino videantur illudere, ita ſibi cæterorum ſententiam temperandam duxere, ut impios quidem & ipſi dicant in nihilum redigendos eſſe, at non ſtatim a morte, aut extremi Judicii die, verum poſt perſolutas in inferno ſcelerum ſuorum pœnas brevius, aut prolixius duraturas prout cujuſque merita & pravæ actiones exegerint.

VII. Sed dignum fabulæ fulcrum altera fabula eſt, ex putridis Rabbinorum quorumdam lacunis hauſta (b). In nihilum ergo redigendi ſunt impii, ſi hos audimus, at non ſtatim a morte, vel ſupremo Judicio, ſed poſt evolutam certam annorum periodum. Ubi quæſo hujuſce rei in ſacris litteris veſtigium? Ubi locutio, aut verbulum aliquod, quod huic ſomnio fundamentum præbere queat? Abſurdiſſima quidem eſt, & refutatione prorſus indigna aliorum Socinianorum hypotheſis; ſibi tamen illi ſavere arbitrantur ea Scripturæ loca, quibus æterna impiorum damnatio nominibus *mortis*, *interitus*, aut *perditionis* exprimitur. At vero neque in his locutionibus præſidium aliquod ſibi quærere poſſunt, qui novum hoc ſyſtema confingunt. Nam voces *perditionis*, *mortis*, vel *interitus* utrumque ſignificare non poſſunt, diuturnum ſcilicet impiorum cruciatum, & ſecuturam ſubinde corporis, & animæ deſtructionem. Si ergo ex ipſorum confeſſione non ſignificant totalem hominis deſtructionem ſtatim a morte, vel die Judicii

(a) Vide M. Bernarde *traité* de l'Excellence de la Religion Tom. 2. lib. 4. c. 7.
(b) R. Abarbaneiem cum aliis Rabbinis in hac fuiſſe ſententia nonnulli tradunt.

cii conſecuturam, nec etiam eamdem ſignificare poſſunt futuram poſt tempus aliquod ſive breve, ſive diuturnum: adeoque omni prorſus ad hoc aſſerendum fundamento deſtituuntur. Quod ſi forte ad alios Scripturæ textus confugerint, in quibus impiorum cruciatus exerte deſcribitur, cum ii nedum impios cruciandos, ſed etiam cruciandos in æternum enuncient, ſuo ſyſtemati minime ſuffragantur, quin potius illud labefactant, ac deſtruunt. Sic C. E. dum Scriptura teſtatur: *ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam:* ſi nomine *ſupplicii* non intelligitur totius hominis interitus, ſed poſitiva quædam pœna, ut ipſi conſentiunt, jam hæc æterna erit, & perinde æterna, ac æterna futura eſt juſtorum felicitas. Pariter, dum in Apocalypſi dicitur de impiis, quod *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*, ſi cruciatus hujuſmodi proprio in ſenſu accipitur, prout accipiendum eſſe fatentur, non jam temporarius erit, ſed in omnem æternitatem perennaturus. Demum, ne omnia perſequar, dum Iſaias, & Jeſus Chriſtus de futura impiorum pœna ſermonem habentes affirmant: quod *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*; ſi his vocabulis non mera aliqua privatio vitæ, aut extantiæ deſignatur, ſed acerrima tormenta, vel graves quædam afflictiones, ut diffiteri non audent, jam hæ nullum finem habituræ ſunt: alioquin *vermis eorum aliquando moreretur, & ignis eorum extingueretur*, contra ac aſſerant oracula tam manifeſta.

VIII. Miſſa fuſiore diſputatione in re tam clara prorſus inutili, præcipuum Socinianorum momentum expendamus, germanumque ſenſum illarum Scripturæ vocum *mortis*, *interitus*, *perditionis*, quibus profligatam cauſam ſuam fidunt, aut fidere fingunt, aperiamus. Pluries ſane his nominibus exprimitur in ſacris libris ſempiterna impiorum damnatio. *Perditionis* vocabulum adhibetur Jobi 26. c. 6., Pſal. 87. c. 12., Matth. 6. c. 13., & Cap. 10. c. 28., Joannis 17. c. 12., actor. 8. c. 20. &c. *Interitus* autem ad Rom. 9. c. 22., Prima ad Theſſalon. 5. c. 3., & Secunda 1. c. 9. Demum nomen *mortis* frequenter tum in veteri, tum in novo Teſtamento, maximeque in libro Apocalypſ. in hac ſignificatione invenitur. Verum nullam iſtiuſmodi vocabula in re, qua de agimus, parere difficultatem ex eo liquet, quod ab Apoſtolorum ævo ad uſque Socinianorum exortum nemo unus extitit, neque inter Eccleſiæ Patres, neque inter Scripturæ Interpretes, aut Theologos, qui eo ſenſu non dicam explicaret, ſed nec explicari poſſe crederet, aut ſuſpicaretur, quem ipſis adeo confidenter affingunt Sociniani. Et certe, ſiqua foret in iis vocibus difficultas, aut obſcuritas, ea tota penitus diſcuteretur tot aliorum textuum ſplendidiſſima luce, quibus apparet non omnino perire homines, dum ad inferna damnantur, aut in nihilum redigi, ſed ſupereſſe ad æternam pœnam, atque cruciatum. Quin immo in iiſdem ipſis locis, quæ objiciunt, ea nomina *interitus*, *perditionis & mortis*, ita ſæpe definiuntur, ut Adverſariorum interpretationem longius abjiciant. Sic Judas vocatur a Chriſto *filius perditionis*, de quo tamen ipſe teſtatur, quod *melius erat, ſi natus non fuiſſet*, non ob aliud profecto, niſi propter horribilia tormenta, quibus ſe ob ſacrilegum facinus obnoxium conſtituit. Sic S. Paulus 2. ad Theſſalon. Cap. 1. com. 9. de infidelibus ait: *pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus:* ſi *pœnas dabunt*, & quidem *æternas*, jam non extinguuntur, ſed ad pœnam ſupererunt. Sic ut ſexcenta alia prætercam, in Apocalypſi legimus Cap. 21. c. 8.: *timidis autem & incredulis, & execratis &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure: hæc eſt mors ſecunda.* Quid clarius dici potuit, ut hujus *mortis* ſignificatio ad miſerrimum damnatorum ſtatum in tormentis definiretur?

IX. Atque hoc ſenſu, pro ſtatu nem-

 po

pe ſummæ miſeriæ, nomina illa etiam in aliis Scripturæ locis, & a prophanis quoque ſcriptoribus non infrequenter uſurpantur. In veteri Teſtamento ſæpe Deus *deſtruere* dicitur, aut *perdere* regnum, nationem, Civitatem, dum graves ipſis calamitates immittit, aut in manus inimicorum ſuorum tradit, tametſi penitus non conterantur. Tiberius Imperator in celebri Epiſtola ad Senatum Romanum, quam Tacitus refert, iis ſibi verbis imprecatus eſt: *Dii me, Deæque pejus perdant, quem perire quotidie ſentio*: quibus, ut conſtat ex eodem Tacito, nonniſi crudeles animi angores, cruciatuſque deſignabat. Cicero lib. 14. famil. ſcribit: *non mihi videbor plane periiſſe*, ut ſtatus, dignitatiſque ſuæ imminutionem, aut convulſionem declaret. Vulgatum eſt etiam effatum illud Themiſtoclis: *perieram, niſi periiſſem*. Quin & in familiari loquendi conſuetudine non raro his terminis utimur ad ſignificandas graviores anguſtias, vel ærumnas. Adeoque, etiamſi, dum adhibentur in ſacris litteris, tot circumſtantiæ haud confluerent ad legitimum eorum ſenſum determinandum, quot jam adnotavimus, nihil Adverſarii ex illis poſſent extundere, quo abſurdam ſuam opinationem ſolide tuerentur.

X. Hic vero prætermittenda non eſt S. Auguſtini doctrina, qua eleganter explicat, cur Sacra Scriptura miſerrimam damnatorum vitam *mortis* nomine appellare conſuevit, ſic enim ſcribit ſerm. 306. alias 112. de diverſis: " habebunt vitam in cruciatibus „ impii. *Veniet* enim *hora*, ſicut Evan„ gelium loquitur, *quando omnes, qui* „ *ſunt in monumentis, audient vocem* „ *ejus, & procedent, qui bene egerunt,* „ *in reſurrectionem vitæ, qui vero male* „ *egerunt, in reſurrectionem Judicii*. Er„ go illi ad præmium, illi ad tormen„ tum; & utrique vivunt, nec aliquis „ eorum mori poteſt. Illi, qui vivunt „ in præmio, amplectuntur dulciſſi„ mam vitam: qui autem in tormen„ to, cupiunt, ſi fieri poſſit, finire ta„ lem vitam; & nemo eis dat interi„ tum, ut nemo eis auferat cruciatum. „ Sed vide Scripturam loquentem, & „ diſcernentem: non eſt dignata talem „ vitam vocare vitam. In cruciatibus, „ in tormentis, in ignibus ſempiternis „ noluit appellare vitam, ut ipſum no„ men vitæ laudis ſit, non mœroris, „ ut ubicumque audis vitam, tormen„ ta non cogites. Nam in tormentis „ eſſe ſemper æterna mors eſt, non „ aliqua vita. Ipſam vocant Scripturę „ mortem ſecundam poſt hanc primam, „ quam omnes humanæ conditioni de„ bemus. Et *mors ſecunda*, & *mors* vo„ catur; & nemo ibi moritur; ſatius „ & melius dixerim: nemo ibi vivit. „ In doloribus enim vivere non eſt vi„ vere. Et unde probamus ſic locutam „ Scripturam? Ecce unde; ex hoc te„ ſtimonio, quod modo commemora„ vi: *audient enim vocem ejus*, inquit, „ *& procedent qui bene egerunt in re-* „ *ſurrectionem vitæ*. Non dixit *beatæ* „ *vitæ*, ſed in *reſurrectionem vitæ*. So„ lum vitæ nomen trahit beatitudinem, „ niſi enim conſequentem haberet bea„ titudinem nomen vitæ, non diceretur „ Deo: *quoniam apud te eſt fons vitæ*. „ Non enim & ibi dictum eſt: *quo-* „ *niam apud te eſt fons beatæ vitæ*. „ Non addidit, *beatæ*; tantummodo „ dixit *vitæ*, ut tu intelligas, *beatæ*. „ Quare? quia ſi miſeræ, jam nec vi„ tæ. „

XI. Joannes Lokius, ut Cap. 1. jam innui, in Socinianæ hypotheſis defenſionem ſententiam illam maxime urget, quam protulit Deus in Adamum, ſi de vetito ligno comediſſet: *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. *Hæc enim*, inquit, *ſententia non in ſenſu tropico, ſed naturali, & obvio explicanda eſt*. Abſonum quippe eſt verbis legis, quæ ſimplicibus, & planioribus concipi debet, ut nedum a ſapientibus, ſed a rudioribus etiam ſtatim percipiatur, ſenſum affingere reconditiorem, & a communi loquendi conſuetudine alienum. Porro quid alienius, ſubjicit, a communi hominum ſenſu, quam nomine mor-

mortis vitam intelligere ærumnoſam, & miſeriarum plenam? (*a*)

XII. Nihil futilius hoc argumento, quo inaniter Lokius triumphat, miraque magnopere ſubit dialecticum hominem, & in vocum vi diſcernenda peritum turpiter hallucinatum eſſe in re ſatis aperta, & lippis etiam oculis neutiquam obſcura. Ac in primis liceat mihi in caput ejus idem retorquere argumentum, quod ipſe confecit. Nonne judicialis ſententia in ſenſu naturali & obvio explicari debet? Ita ipſe tamquam principium omnino exploratum ſtatuit, cui nos minime repugnamus. Sententiæ igitur a Lokio productæ alteram ſententiam oppono, ſententiæ ſcilicet ab initio mundi latæ in Adamum, ſententiam in fine mundi a Judice vivorum & mortuorum ferendam in omnes reprobos, *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*. Nonne hæc quoque juxta regulam ab eo conſtitutam planis, ſimplicibuſque verbis concipi debuit, ut non a ſapientibus tantum, ſed etiam a rudioribus ſtatim intelligeretur? At enim vero quis unquam, vel ſapientum, vel rudium in ea ſententia, *diſcedite* &c. *in ignem æternum*, non dicam clare perſpexit, ſed vel ſuſpicatus eſt ſenſum illum, quem in ſua hypotheſi eidem tribuere tenetur, hoc eſt totalem quoad corpus & animam reproborum deſtructionem? Num hæc nativa eſt, & obvia *ignis æterni* ſignificatio, an non potius abhorret quammaxime ab omnium hominum intelligentia? Quid ergo principium illud tanta confidentia opponit, quo jugulum ipſe ſuum recta peti advertere debuiſſet?

XIII. At nunquid ſaltem communi hominum intelligentiæ congruit ſenſus ille, quem Lokius appingit ſententiæ primitus latæ in Adamum peccatorem, ejuſque poſteros, *morte morieris?* Quis non videt quam aperte ſibi, cæteriſque illudat, dum totalem corporis, animæque deſtructionem iis verbis deſignatam obtrudit? Neque enim, auſim dicere, ab orbe condito, vel unus extitit præter ipſum paucoſque alios Socinianos, qui ſic eam ſententiam crederet explicandam; adeoque hujuſcemodi ſenſus non communi hominum ideę, aut conceptui conſentaneus, ſed contrarius potius, aut repugnans dicendus eſt. Nec talem profecto ſenſum veluti nativum & proprium exigit *mortis* vocabulum, quin potius tamquam violentum & alienum excludit. Nam *mortis* nomine non extinctionem, ſed corporis & animæ diſſolutionem ſemper intellexerunt, intelliguntque nationes omnes. Et hoc ſenſu in ſacris litteris frequentius accipitur, & licet per tropum aut metaphoram ad quidpiam aliud ſignificandum quandoque extendatur; nuſpiam tamen in ea ſignificatione ſumitur, quam Lokius intendit, & unice naturalem effutit.

XIV. Quid igitur comminatus eſt Deus in ea ſententia, *in quacumque die comederis ex eo; morte morieris?* Communior Patrum Eccleſiæ, & Sacrorum Interpretum, ac ſimplici, nativoque verborum ſenſu conformior opinio eſt, hic deſignari præcipue mortem corporis, ſive ſeparationem animæ a corpore, cui obnoxii facti ſunt Protoparentes noſtri ſtatim ac præceptum de non comedendo fructu violarunt, cum antea immortalitate donati eſſent. “ Quamvis enim (verba ſunt D. Chryſoſtomi (*b*) egregie hanc punitionem interpretantis) multorum annorum ſpatio vixerint; tamen ex quo audierunt illud, terra es, & in terram redibis, & ſententiam mortis acceperunt, mortales facti ſunt; atque ex eo tempore illos eſſe mortuos aliquis merito dixerit. Hoc vero Scriptura ſignificans ita dixit: *quocumque die comederitis, morte moriemini*: quaſi diceret: *ſententiam hanc accipietis, ut mortales deinceps ſitis*. Ut enim in humanis judiciis, poſtquam in reum „pro-

(a) *C'eſt une etrange maniere d'expliquer une loi, qui doit être conçue dans les termes les plus ſimples, & les plus naturels, qu'on puiſſe trouver, que d'entendre par le terme de mort une vie eternelle accompagnée de miſere &c.* Chriſtianiſme rationable Cap. 9.

(b) Homil. 17. in Geneſim

„ pronnnciata ſententia eſt, ut ei caput „ amputetur, iſque mox in carcerem „ abducitur, licet diu ibi maneat, ni- „ hilo melius jam mortuis, extinctiſ- „ que accenſetur, utpote jam ſenten- „ tia ipſa mortuus. Eodem modo & „ illi ab ea ipſa die, ex qua ſententia „ in eos mortalitatis edita eſt, etſi lon- „ go tempore ſuperſtites fuerunt, ſen- „ tentia ipſa jam mortui ſunt. „

XV. Quamquam vero ſimplicior hæc ſit verborum divinæ ſententiæ interpretatio, docent tamen nobiles plures inter eoſdem Patres, & Expoſitores, non eſſe vocem mortis ad temporariam corporis duntaxat arctandam, ſed quamcumque aliam comprehendere, quæ homini contingere poteſt. Qua de re audiendus eſt præ cæteris S. Auguſtinus, qui lib. 13. de Civit. Dei Cap. 12. ita præclare de more diſſerit: " cum re- „ quiritur, quam mortem Deus primis „ hominibus fuerit comminatus, ſi ab „ eo mandatum tranſgrederentur acce- „ ptum, nec obedientiam cuſtodirent, „ utrum animæ, an corporis, an totius „ hominis, an illam, quæ *ſecunda* di- „ citur, reſpondendum eſt, omnes. „ Prima enim conſtat ex duabus: ſe- „ cunda ex omnibus tota. Sicut enim „ univerſa terra ex multis terris, & „ univerſa Eccleſia ex multis conſtat „ Eccleſiis; ſic univerſa mors ex omni- „ bus. Quoniam prima conſtat ex dua- „ bus, una animæ, altera corporis; ut „ ſit prima totius hominis mors, cum „ anima ſine Deo, & ſine corpore ad „ tempus pœnas luit. Secunda vero, „ ubi anima ſine Deo cum corpore pœ- „ nas æternas luit. Quando ergo dixit „ Deus primo illi homini, quem in „ Paradiſo conſtituerat, de cibo veti- „ to, *quacumque die ederitis ex eo, mor-* „ *te moriemini*: non tantum primæ „ mortis partem priorem, ubi anima „ privatur Deo; nec tantum poſterio- „ rem, ubi corpus privatur anima; nec „ ſolum ipſam totam primam, ubi ani- „ ma & a Deo, & a corpore ſeparata „ punitur; ſed quidquid mortis eſt uſ- „ que ad noviſſimam, quæ *ſecunda* di- „ citur, & qua eſt nulla poſterior, com- „ minatio illa complexa eſt. „ Quadruplex ergo mors juxta hanc S. Auguſtini doctrinam diſtinguitur, altera animæ & ad tempus, qua anima peccando ſeparatur a Deo: altera corporis, qua item ad tempus anima ſeparatur a corpore: tertia, quæ utramque complectitur, ſeparationem ſcilicet animæ a Deo, & a corpore: quarta denique, qua totus homo poſt diem judicii ſeparabitur in æternum a beata vita, quæ mors in Scripturis *ſecunda* & *noviſſima* dicitur; quarum tres per quandam ſaltem analogiam *mortis* nomine appellantur. Placet igitur Auguſtino aliiſque quatuor haſce mortes Dominicæ ſententiæ verbis eſſe comprehenſas, eiſque homines poſt peccatum obnoxios fuiſſe. Illa vero mors, quam Lokius commentus eſt, aut Auguſtino, aut ulli ex Patribus, vel Expoſitoribus ne unquam quidem in mentem venit.

CA-

CAPUT VI.

Reſponſio altera convellitur, qua producta Scripturarum teſtimonia eludere ſtudent Origeniſtæ. Quam fluxum & caducum ſit fundamentum, cui illa ſuperſtruitur. Hebraicæ voces ad durationem futuri impiorum ſupplicii exprimendam adhibitæ non tempus diuturnum, ſed æternitatem definite ſignificant, ſi præſertim tum voces aliæ clariores, tum contextus, tum circumſtantiæ attendantur. Illam luculentius adhuc deſignant græca nomina adhibita in novo Teſtamento. Argumentum in hanc rem ex æternæ Beatorum gloriæ comparatione deductum, Patrum ſententiis validiſſime urgetur.

I. Rejecta & exploſa perabſurda Socinianorum hypotheſi, ſub incudem veniat veterum & recentium Origeniſtarum ſententia, quæ videtur inter Adverſarios catholicæ veritatis communior, & in ſpeciem ſaltem plauſibilior. Hi itaque juxta ſuum ſyſtema ad laudatas Scripturæ Sacræ authoritates reſpondent vocem *æterni*, quæ impiorum futuro ſupplicio tribuitur, non eſſe explicandam pro duratione nullum finem habitura, ſed pro ſpatio temporis valdę diuturno, quod eo vocabulo in Sacris litteris nonnumquam ſolet appellari. Quapropter plures congerunt veteris præcipue Teſtamenti ſententias, in quibus vox *æternum* pro tempore circumſcripto, ac finito, licet diuturniore, ſumitur: ut e. g. cum Deus promiſit Abrahæ daturum ipſi, & ſemini ejus terram Chananæorum *in poſſeſſionem æternam*, a qua tamen jampridem Hebræorum populus depulſus eſt: Davidi, ac Salomoni ſe firmaturum thronum eorumdem *uſque in æternum*, qui nihilominus ab ipſorum domo tandem ablatus fuit: ac potiſſimum cum de lege & cæremoniis judaicis jam abolitis prædixit, quod duraturæ eſſent *in æternum*, ut legimus tum in libris Levitici, & Deuteronomii, tum in Pſalmis, tum etiam in Prophetiis. Ex novo quoque Teſtamento maxime proferunt, verba illa S. Judæ Apoſtoli: *ſicut Sodoma, & Gomorrha factæ ſunt in exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes*: cum tamen ignis ille ceſſaverit: cui addere poſſunt, quæ jam Huetius oppoſuit, ut jam ſupra vidimus. Ex quibus omnibus concludunt *æterni* nomen cum ſit in ſacris libris ad utramque ſignificationem indifferens, finiti nempe, & infiniti temporis, neutiquam colligi poſſe impiorum pœnas nunquam eſſe deſituras, ex quo in iiſdem *æternæ* nominentur.

II. Hæc Origeniſtarum reſponſio jam tota ferme præoccupata fuit, atque convulſa Cap. 2. præſentis Diſſertationis, ubi ſignificationem, ac vim plurium de hac re Scripturæ vocum, diligenter expendimus. Nihilominus, quoniam Adverſarii in hac arce, aerea licet, præcipuum ſibi perfugium exquirunt, eam pluribus undequaque disjicere, penituſque demoliri operæ pretium eſt. In primis itaque hujuſmodi reſponſio peccat in dialecticæ aut boni diſcurſus regulas. Quid enim modo quærimus? Aut quodnam eſt hujus diſputationis punctum præcipuum? Iſtud profecto. Num voces illæ *æternum* aut *ſempiternum* enunciatæ a Scripturis de damnatorum ſupplicio, accipiendæ ſint pro finita, vel infinita duratione? Ut tu primum illud probes, affers ex ſacris libris exempla nonnulla, in quibus illæ voces pro diuturno ſolum ſpatio ſumuntur. Demus modo nullam iis adhiberi poſſe exceptionem. At minime negaveris exempla longe plura in iiſdem occurrere, in quibus eædem voces pro duratione interminata uſurpantur, adeo ut ſupra ducenta numerari facile queant. Potiore ergo jure inferre deberes nomina *æternum*, & *ſempiternum*, cum de impiorum ſuppliciis dicuntur, accipienda eſſe pro infinita duratione. Valde quippe gravius fundamentum tibi ſuppeditant ſic ea accipiendi exempla adeo numero majora.

III. Ve-

III. Verum eadem ipſa, quæ congerunt Adverſarii, exempla paulalum præterea diſcutiamus. Promiſſa in primis, quæ opponunt, de terra populo Iſraelitico *in æternum* conceſſa, non immerito dici poteſt non abſoluta, ſed conditionata fuiſſe, niſi ſcilicet Hebræus populus peccando ſibi promeritus eſſet, ut de terra illa pelleretur. Diſerte enim comminatus eſt Deus, tum *Levitici Cap.* 29., tum *Deuteronomii Cap.* 19. Hebræis, quod diſpergendi forent inter gentes, eorumque terra in excidium & vaſtitatem reducenda, ſi leges ipſius tranſgreſſi fuiſſent. Ea quoque, quæ Davidi facta ſunt de ſceptro nunquam ex ejus domo auferendo, vel perinde conditionata fuiſſe dicendum eſt, vel potius in Chriſto Domino, ejuſque ſpiritali ſemine, in quo æternum regnabit, complentur: quam expoſitionem Chriſtiani maxime homines repudiare nequeunt, cum ab Angelo de Chriſto naſcituro dictum ſit: *dabit illi Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*: quibus alludit ad ea, quæ antea ſcripſerat Iſaias: *ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & juſtitia amodo, & uſque in ſempiternum*. Quare ex iis textibus nihil eruere poſſunt Origeniſtæ, quod cauſſæ ſuæ opituletur.

IV. Quoad alias vero authoritates, quæ legem Moſis, & cæremonias legales ſpectant, triplex adhiberi ſolet reſponſio. Prima eſt S. Auguſtini *lib. contra Priſcil. & Origen. ad Oroſium*, eas æternum dici duraturas non in ſe quidem, ſed in rebus, quas præfigurabant, in quibus ſine fine manent. Quæ reſponſio injuria plane ab Huetio *in Origenianis* vellicatur: cum certum ſit duplicem ſibi finem præſtituiſſe divinum Legiſlatorem in ea lege ferenda, alterum, ut ſibi ab Hebræa gente religioſus cultus exhiberetur, alterum ut præfiguraret myſteria Chriſti Redemptoris, prout fuſe declarat S. Thomas 1. 2. qu. 102. Quare ſatis eſt ut in his myſteriis perſeverent, quo æternæ dici jure valeant.

V. Altera reſponſio, eaque communior, quam adhibet etiam S. idem Auguſtinus, hæc eſt; nempe *ſempiternas* appellari legales cæremonias, non quod ſine carerent, ſed quod nullus eis a Legiſlatore finis conſtitutus fuerit, adeo ut ſemper a Judæorum populo obſervari deberent, quamdiu ſtatus ille legis perduraret: qui tamen aliquando ceſſare debuerat adveniente lege Gratiæ, prout in ipſis ſacris libris fuerat prænunciatum: adeoque cum & in Exodo, & in Levitico, præſcriptis certis ritibus, ſubditur: *legitimum, & ſempiternum erit in generationibus veſtris*: horum verborum ſenſus eſt: *id ſemper a vobis obſervandum erit, quamdiu Fœdus antiquum vobiſcum initum per novum aliud non reſcindetur*.

VI. Tertio tandem alii ſic eas voces *æternum*, aut *ſempiternum* prolatas de lege, ritibuſve legalibus interpretantur, ut ita fuerint appellatæ per ſimilitudinem quandam, aut proportionem. Ea ſiquidem, quæ incertum ac remotiſſimum principium vel finem habent, perinde hominibus cenſentur, ac ſi principio carerent, vel fine, ut jam ſuperius adnotavi. Addunt vero, quod cum vocabula proprie ſemper accipienda ſint, niſi quidpiam aliter interpretari cogat, quæ regula non magis Scripturas, quam diſciplinas omnes ſpectat; ideo *æternum* ſemper intelligendum erit, quod durationis terminum non habet, ac proinde nullum a peculiari illa exemptione duci poſſe argumentum, ut authoritates Scripturæ, quæ æternam impiorum pœnam denunciat, pro duratione finita intelligantur.

VII. Hæc abunde forent ad Origeniſtarum evaſionem præcludendam. Verum alia plura adverſus illam momenta concurrunt, quæ ipſius futilitatem in aperta luce conſtituunt. Ac primo quidem, ſi de textibus veteris Teſtamenti ſermo eſt, de quibus juxta vim hebraicarum vocum indicium ferre debemus, illud magnopere eſt obſervandum, quod in locis omnibus objectis ad durationem deſignandam poſſeſſionis terræ promiſſæ, legis, & cæremoniarum &c. ſemper adhibetur vox עולם *bolàm*, nun-

nunquam vero voces נצח *Netſach* aut עד *ad*; æternitas vero futuri impiorum ſtatus, non priore illa tantum exprimitur, ſed etiam duabus aliis poſterioribus, ut videre eſt in teſtimoniis productis ex libris Jobi, & Pſalmorum. Ut ut concedamus vocem *holàm* aliquando ſumi in Scriptura pro finita duratione, illud in confeſſo eſt voces *Netzac*, & *ad* nunquam ita uſurpari, ſed ſemper pro interminata, cum ad durationem ſignificandam aſſumuntur, prout jam Cap. 2. animadverti, & ex exemplis ſupra ſeptuaginta, in quibus hæ voces a ſacris Scriptoribus hoc ſenſu ſumuntur, compertiſſimum fit. Nihil igitur adverſariis prodeſſe poſſunt loca omnia ab ipſis congeſta, ut vocem *æterni* pro diuturno ſolum tempore accipi probent, cum in iis ſemper *Holàm*, nuſpiam vero *Netzac*, & *ad* reperiantur: ſicut reapſe inveniuntur in locis a me propoſitis.

VIII. Ulterius regula eſt ab omnibus ſacris Expoſitoribus admiſſa, quod ſi ſacris libris locutio aliqua occurrat obſcuræ aut dubiæ ſignificationis, ea explicari debeat: ejuſque ſenſus definiri per alias clariores, per contextum, & circumſtantias. Ponamus ergo, quod falſum omnino eſt, ſubobſcuram eſſe vel dubiam vocem *holàm* adhibitam in Scriptura ad æternum impiorum cruciatum ſignificandum; ſatis tamen ſenſus ipſius determinatur per alias locutiones, quibus res eadem exprimitur. Nam præter modo memoratas *Natzac*, & *ad*, habentur ſententiæ illæ omnes, quæ idem exprimunt per negationem finis, ac præſertim Iſaiæ verba: *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, quibus idoneam nullam reſponſionem affingere queunt. In locis etiam laudatis *Pſalm. 91., & Cap. 12. Danielis*, confertur duratio miſerrimi reproborum ſtatus cum duratione ipſiuſmet Dei, & gloriæ Juſtorum: Sicut igitur hæc nullum terminum habet, ita nec illa terminum unquam habebit.

IX. Quod ſi a veteri in novum Teſtamentum oculos convertimus, plura eo, atque clariora argumenta promicant, ad Origeniſtarum commentum eliminandum. Vocem *æonion*, quæ hic frequentius adhibetur, dum de damnatorum ſupplicio mentio eſt, pro duratione interminata ſignificanda in ſacris litteris uſurpari, jam ſupra probavimus, diluimuſque leves aliquas difficultates, quæ adverſus S. Auguſtini, communemque ſententiam objecerat Daniel Huetius, quibus adhuc levior, & futilior eſt, quam objiciunt Origeniſtæ ex verbis Apoſtoli Judæ de Sodoma & Gomorrha, nempe quod *factæ ſint in exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes*. Apoſtolum enim æternum non vocaſſe ignem illum, quo conflagrarunt impiæ civitates, neque ipſi negare poſſunt, cum ſaltem eam vocem tempus valde diuturnum ſignificare conſentiant: ille autem ignis breviſſimo tempore perduraverit. Porro ſi de igne alio locutus eſt S. Apoſtolus, nullus occurrit aptior ſubobſcuræ ſententiæ explicandæ igne inferni, qui ſolum proprie æternus eſt, adeo ut exterior ille ignis, quo exarſerunt Sodoma, & Gomorrha, aut potius eorumdem incolæ, ſit exemplum ob oculos omnium poſitum, ſimulque figura ignis vere æterni, quo dum hæc S. Judas ſcriberet, excruciabantur impiorum animæ, ſive, ut paucioribus Grotius, *eæ urbes incenſæ exhibent inſtar ignis æterni, qui expectat impios*.

X. At enim præter vocem *æonion* Gehennæ æternitas etiam exprimitur in novo Fœdere per vocem *aidios*, de qua nullam nec movent, nec movere poſſunt Adverſarii diſputationem. Exprimitur quoque per illa vocabula *ignis inextinguibilis*, vel *ignis, qui non extinguitur*, & *vermis, qui non moritur*, quæ pluries in ſacris Evangeliis repetuntur (*a*): quod-

 que

(a) Si æternum, & æternale, hoc eſt, *æon*, & *æonion* ſub utroque intellectu in Scripturis poni ſolet, aliquando ſine fine, aliquando cum fine; quid de illis Prophetæ (& Chriſti Domini) verbis reſponſuri ſumus, ubi ſcriptum eſt: *vermis eorum non mo-*

que vel ſolum ſatis eſſe deberet ad controverſiam omnem dirimendam, exprimitur ulterius per illam locutionem tertio adhibitam in Apocalypſi *in ſæcula ſæculorum*. Num pariter dicere audebunt, quod hujuſmodi vocabula pro finita duratione adhibeantur? Num exemplum aliquod vel ex Evangeliis, vel ex canonicis Epiſtolis, aut Apocalypſi proferre poſſunt, in quo hiſce vocibus ſpatium temporis omni fine carentis certiſſime non deſignetur? Quid igitur vitilitigantur in voce *æonion*, cui ſi etiam ſubeſſet aliqua difficultas, jam hæc tota penitus evaneſcit in conſpectu tot aliarum locutionum, de quarum ſenſu nullus relictus eſt diſputationi locus (*a*)?

XI. Adeo perſpicua & decretoria ſunt hæc adverſus inanem Origeniſtarum evaſionem, ut ſupervacaneum videatur quidpiam aliud in eorum confirmationem afferre. Attamen culpam vix effugerem, ſi egregiam illam animadverſionem ſilentio præterirem, qua ſola olim Eccleſiæ Patres de veteribus Origeniſtis reſponſionem eamdem adhibentibus triumpharunt, noſque potiore titulo de recentioribus triumphare poſſumus. Sumitur hæc ex illis textibus, in quibus eadem voce, in iiſdem circumſtantiis *æternitas* & de Beatorum gaudio dicitur, & de reproborum ſupplicio: ut apud Danielem Cap. 12. *Evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium æternum*: & in Apocalypſi cap. 20. de reprobis: *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*: de juſtis autem Cap. 22.: *regnabunt in ſæcula ſæculorum*. Maxime vero Matth. Cap. 25. ubi Jeſus Chriſtus prolata in juſtos, & impios ſententia, illiſque vocatis ad regnum, his autem ablegatis ad ignem æternum, ita demum concludit: *& ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam*. Nuperi ſaltem Origeniſtæ Beatorum felicitatem nunquam deſituram eſſe concordi ſuffragio profitentur: rejiciuntque hac ex parte Origenis delirium, qui nedum impiorum cruciatibus, ſed etiam Beatorum gaudiis terminum præſcripſit. Cum igitur eadem prorſus voce & æternitatem vitæ & æternitatem ſupplicii Chriſtus expreſſerit, cur alteram de duratione fine caritura, alteram de duratione finem habitura interpretemur?

XII. Sed audiamus ſanctos aliquos Eccleſiæ Patres hoc argumento veteres Origeniſtas invicte revincentes. Verſat illud S. Auguſtinus pluribus in locis, ac præſertim in lib. *contra Priſcil. & Origen.*, *& de Civit. Dei*. Primo loco ſic ait: „ quiſquis prudenter advertit, quod dictum eſt: *ite in ignem æternum*, illud eſſe dictum, quod non habet finem, a contrario probat eo ipſo loco evangelico *de vita æterna*, quam juſti accepturi ſunt: non enim & ipſa habet finem. Ita enim concluſit: *ibunt illi in ambuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam*. In utroque Græcus *æonion* habet. Si miſericordia nos provocat credere non futurum impiorum ſine fine ſupplicium; quid de præmio juſtorum credituri ſumus, cum in utraque parte, eodem loco, eadem ſententia, eodem verbo pronuncietur æternitas?

rietur, & ignis eorum non extinguetur? Qualiſcumque pœna ſignificata ſit nomine *vermis*, atque *ignis*, certe ſi non morietur, nec extinguetur, ſine fine prædicta eſt: nec aliud agebat Propheta (& ipſe Chriſtus Dominus) cum hæc diceret, niſi ut eam ſine fine prædiceret. S. Auguſt. lib. contra Priſcillian. & Origeniſtas Cap. 7.

(a) Viderunt (Sancti) divinam vacuari, vel infirmari non poſſe ſententiam, quam ſe Dominus prænunciavit in judicio prolaturum, atque dicturum: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis ejus*. Sic quippe oſtendit æterno igne Diabolum, & Angelos ejus arſuros. Et quod ſcriptum eſt in Apocalypſi: *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, quo & beſtia, & Pſeudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum*. Quod ibi dictum eſt, *æternum*, hic dictum eſt *in ſæcula ſæculorum*: quibus verbis nihil Scriptura divina ſignificare conſuevit, niſi quod finem non habet temporis. S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei Cap. 23.

„ tas? An iterum etiam juſtos ex illa „ ſanctificatione, & vita æterna in peccatorum immunditiam, atque in mortem relapſuros eſſe dicemus? Abſit „ hoc a Chriſtianæ fidei ſanitate. „ Utrumque igitur ſine fine dictum eſt „ *æternum*, hoc eſt *æonion*: ne cum „ Diaboli pœnas delemus, de regno „ Chriſti dubitemus. „

XIII. Idem gravioribus verbis repetit loco poſteriore *lib.* 21. *Cap.* 23. inquiens: „ quale eſt, æternum ſupplicium „ pro igne diuturni temporis exiſtimare, & vitam æternam credere ſine „ fine, cum Chriſtus eodem ipſo loco, „ in una eademque ſententia dixerit, utrumque complexus: *ſic ibunt iſti in* „ *ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam?* Si utrumque *æternum*, „ profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque ſine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim „ relata ſunt, hinc ſupplicium æternum, „ inde vita æterna. Dicere autem in hoc „ uno, eodemque ſenſu, *vita æterna ſine* „ *fine erit, ſupplicium æternum finem habebit*, multum abſurdum eſt. Unde „ quia vita æterna Sanctorum ſine fine „ erit, ſupplicium quoque æternum, quibus erit, finem procul dubio non habebit. „

XIV. Non minus luculenter argumentum idem antea propoſuerat S. Baſilius Magnus in Serm. de futuro Judic. (*a*). Adductis enim pluribus Scripturæ ſacræ textibus, in quibus pœnarum æternitas aperte memoratur, ita ſubjecit contra Origeniſtas: „ ſi æternorum aliquando „ tormentorum erit finis, erit ſane „ & vitæ æternæ. Sin autem de vita, „ hoc accipere, atque ſtatuere nolumus, quonam pacto quæſo hoc rationi conſonum eſſe poterit, ſuppliciis „ æternis finem proponere velle, cum „ *æterni* adjectio æqualem in utriſque „ vim habeat? *Ibunt* enim, inquit, *hi* „ *in ſupplicium æternum, juſti autem in* „ *vitam æternam*.

XV. Demum, ut Hilarium, alioſque omittam, ejuſdem argumenti vim promovet S. Gregorius Magnus tum lib. 34. Moral. Cap. 16., tum in 4. Dialogor. Cap. 44., in quorum priore loco ita ſcribit: „ Sunt nunc etiam, qui iccirco „ peccatis ſuis ponere finem negligunt, „ quia habere quandoque finem futura „ ſuper ſe judicia ſuſpicantur. Quibus „ breviter reſpondemus: ſi quandoque „ finienda ſunt ſupplicia reproborum, „ quandoque finienda ſunt ergo & gaudia beatorum. Per ſemetipſam namque veritas dixit: *ibunt hi in ſupplicium* „ *æternum, juſti autem in vitam æternam*. Si igitur hoc verum non eſt, „ quod minatus eſt, neque illud verum „ eſt, quod promiſit.... Et quis hanc „ eorum veſaniam toleret, qui dum promiſſionibus ſuis reproborum ſupplicia „ finiri aſſerunt, aſſertione ſua etiam „ electorum præmia, remunerationeſque confundunt? „

CAPUT VII.

Proponitur adverſum nuperos Origeniſtas tertia claſſis authoritatum Sacræ Scripturæ, quarum veritas minime conſtat non admiſſa reproborum miſeriæ æternitate. Nullus poſt hanc vitam ſupereſt aut agendæ pœnitentiæ, aut veniæ conſequendæ locus. Præſens tempus gratiæ eſt, ac ſalutis: futurum, ſicut juſtis præmii & gloriæ, ita impiis ſupplicii, indignationis, & vindictæ. Plura in hanc rem urgentur tum Chriſti Domini, tum Apoſtoli teſtimonia.

I. PRæter tot utriuſque Teſtamenti authoritates, quas hactenus expendimus, ac vindicavimus, nova ad cumulum accedunt argumenta revincendis nuperis maxime Origeniſtis aptiſſima, depromta ex tertia claſſe Scriptura-

(a) Inter opera S. Ephrem Edition. Vol. I.

pturarum, quarum veritas conſtare neutiquam poteſt, ſi æternum Impiorum exitium denegetur. Ut autem harum vis & efficacia nitidius appareat, ſub oculos primum recurrat Adverſariorum hypotheſis. Docent itaque novi Origeniſtæ non eſſe perpetuo duraturum impiorum ſupplicium, ſed aliquando finiendum, non quia in nihilum redigendi ſint, ut ſomniarunt Sociniani, ſed quia tandem futurum putant, ut poſt diuturnam expiationem ſuorum criminum in inferorum ſuppliciis peractam, divinæ miſericordiæ ſalutares conſequantur effectus, & perpetrata ſcelera execrantes ſe ad Deum, Chriſtumque ſalvatorem toto corde convertant, atque ita in gloriam cæleſtem admittantur, ibidem cum cæteris beatis in omnem æternitatem regnaturi: quam novam ſortem *Apocataſtaſim*, ſive reſtitutionem appellant. Hoc eſt recentium Origeniſtarum ſyſtema, quod clariſſimis ſacrarum litterarum documentis aperte adverſari & oſtendi, & rurſus oſtendere pergo.

II. Ac primo quidem occurrunt omnia illa teſtimonia, quæ immutabilem conſtituunt, ſicut Beatorum, ita Damnatorum ſtatum, aut negant ullum relictum eſſe in futura vita ſpatium pœnitendi, vel delictorum veniam impetrandi, ſive boni quidpiam agendi: quæ plurima ſunt in utroque Teſtamento. Vulgata in primis eſt illa Eccleſiaſtis ſententia Cap. XI. c. 3., nempe: *ſi ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, vel ibi permanebit*, ut alii legunt. Per allegoriam Sapiens his verbis deſignat ſtatum futurum hominis ſive juſti, ſive impii, ſenſumque ejus exhibet S. Hieronymus, quem ſequuntur Olimpiodorus, Gregorius Magnus, Bernardus, Thomas Aquinas, & paſſim Interpretes, nimirum juxta antecedentia verba: *omni petenti te tribue: quia & nubes, cum plenæ fuerint, divitias ſuas mortalibus largiuntur: & tu quaſi lignum, quamvis longævus ſis, non eris in perpetuum, ſed ſubita, ut ventorum, ita mortis tempeſtate ſubverſus, ubicumque cecideris, ibi jugiter permanebis:* in eo ſcilicet ſtatu duraturus es, in quo mors te invenerit: ſi in lethali peccato, & averſione a Deo deceſſeris, æternum beatiſſima ipſius præſentia carebis, iiſque ſuppliciis damnaberis, quæ nullum finem habebunt; ſin autem inventus fueris charitate, juſtitia, ac Dei gratia præditus, certam, ac nunquam defituram felicitatem adipiſceris. Hunc exigunt tum antitheſis *Auſtri*, & *Aquilonis*, ut enim adnotat idem S. Hieronymns, Auſter in Scriptura, dum Aquiloni opponitur, in bonam, Aquilo in malam partem accipitur: tum verba, quæ Sapiens ſubinde profert com. 9.: *Scito quod pro omnibus adducet te Deus in judicium*, ut nempe ſortem vel beatam vel miſeram tibi pro meritis retribuat, in qua immobiliter perſeveres.

III. Idem Eccleſiaſtes Cap. 9. hæc habet: *quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Quæ verba ſic exponit S. Hieronymus: *donec vivunt homines, poſſunt fieri juſti. Poſt mortem nulla boni operis datur occaſio. Mortui nihil valent adjicere ad id, quod ſemel ſecum tulerunt e vita. Fac quodcumque nunc potes, & labora: quia nullus eſt locus pœnitentiæ, cum ad infernum deſcenderis*.

IV. Eccleſiaſtici Cap. 14. c. 17. ſic legitur: *da, & accipe, & juſtifica animam tuam: ante obitum operare juſtitiam: quia non eſt apud inferos invenire cibum*, ſpiritale videlicet, ſive juſtitiam, & meritum bonorum operum, quibus anima paſcitur, ac vegetatur. Et Cap. 17. c. 26.: *non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio*: hoc eſt, noli abduci falſa eorum opinatione, qui putant ſe poſt mortem converſum iri ad Deum, eique laudem & confeſſionem daturos. Id potius exequere, dum vivis in hoc mundo: a mortuo namque perit confeſſio, nempe laus Dei utilis, & meritoria, quæ eum ducat, ut antea dixerat, *in partes Sæculi Sancti*, ſive in conſortium beatorum ſpirituum,

rituum, & hæreditatem æternæ gloriæ.

V. Pſalm. 6. c. 5. & 6.: *convertere, Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam: quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui; in inferno autem, quis confitebitur tibi?* ideſt, reſpice me, Domine, oculis pietatis, & miſericordiæ tuæ: & animam meam libera de peccatorum vinculis, de jugo mortis, & captivitate Diaboli, in quam peccando memetipſum conjeci, ut in æternum glorificem te. Quoniam inter eos, quos mors æterna poſſidet, nemo memor eſt nominis tui, ut te adoret, ac laudet, & in profunda inferni fovea nullus invenitur, qui ſpontaneam laudis confeſſionem, & gratiarum actionem majeſtati tuæ tribuat, ubi blaſphemiis, fletibus, ac dentium ſtridoribus plena ſunt omnia, omniſque exulat vox laudis & confeſſionis. In hunc locum ita eloquenter ſcribit S. Joan. Chryſoſtomus (*a*): *donec hic fuerimus, ſpes habemus præclaras, ſimul atque vero diſceſſerimus illuc, non eſt poſtea in nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere .... Nec deputemus, cum illuc venerimus, miſericordiam tribuendam, qui hic non egimus, ut mereremur veniam accipere. Neque enim, qui in præſenti vita peccata non abluerit, poſtea conſolationem aliquam inventurus eſt: in inferno enim quis confitebitur tibi?*

VI. Paria ſunt, quæ habentur in Pſal. 87.: *nunquid narrabit aliquis in ſepulcro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?* Et in Pſal. 113.: *non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui deſcendunt in infernum:* quibus conſonant Ezechiæ verba in Cantico apud Iſaiam Cap. 38.: *quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam: &* Baruch. 2. c. 17.: *vide quia non mortui, qui ſunt in Inferno, dabunt honorem, & juſtificationem Deo, ſed anima, quæ triſtis eſt &c.*. Ex quibus patet Scripturam excludere penitus a reproborum loco Dei utilem, & ſalutarem agnitionem, confeſſionem, laudem, & honorem, adeoque actus omnes neceſſarios, ut convertantur ad Deum.

VII. Eadem quoque perhibent libri novi Teſtamenti, id in primis Chriſtus Dominus deſignavit ea maledictione, quam tulit in ficum ſterilem, dicens Matth. 21. c. 19.: *nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum*; ſignificans animam ſine bonis operibus ex hac vita exeuntem nunquam in ſempiternum bonorum operum fructus eſſe edituram. Quod confirmat Cap. 9. Joan. com. 4., inquiens: *venit nox, quando nemo poteſt operari*: quem locum ita exponit Origenes ſuper Pſal. 36.: *Salvator noſter dicit; veniet nox, quando nemo poteſt operari. Et hoc dicit de tempore illo, quo unuſquiſque recipiet pœnas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, cum jam nemo poteſt operari aliquid; Sed unuſquiſque tunc paſcitur ex operibus ſuis, quæ hic poſitus operatus eſt.*

VIII. Apoſtolus item Paulus 2. *ad Corint. Cap. 6.* inclamat: *hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim, tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Et ad Galatas C. 6. *bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum &c.*: elapſa ſiquidem hac vita, elapſum quoque eſt bene operandi tempus, ſed ſolum ſupereſt tempus retributionis, aut fructum operum percipiendi. Huc etiam revocare licet illud Apocalypſeos Cap. 10. c. 6, ubi de Angelo narratur *juraſſe per viventem in ſæcula ſæculorum, quia tempus non erit amplius;* quæ verba de fine mundi prædicta fuiſſe tradunt graviores Interpretes, adeo ut ſenſus eorum ſit; *imminet mundi finis; brevi tempus non erit, nec ſpatium amplius pœnitendi, merendi, & ſalutem ſuam operandi.*

IX. Luculentius adhuc his omnibus eſt teſti-

(a) Serm. 2. de Lazaro.

teſtim onium Chriſti dicentis apud Matth. Cap. 12. c. 32.; *quicunique dixerit verb um contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Quæ ſententia ita proponitur apud Marcum Cap. 3. c. 29. *qui 'blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*. Ingens fervet ſacros inter Expoſitores controverſia de quonam peccato loquatur Chriſtus in his verbis. Alii cum Auguſtino cenſent illud eſſe finalem impœnitentiam, alii deſperationem, alii infidelitatem. Sed quovis modo intelligatur (neque. enim mea nunc refert hanc dirimere quæſtionem) illud certiſſime ex hac authoritate conſtat, quædam eſſe delicta, de quibus, ſi in iis homines morte præventi fuerint, nunquam remiſſionem conſequentur, ſed eorum reatus ſempiternus erit, ſive nunquam per ſalutarem pœnitentiam delebitur.

X. Huc ſpectant etiam illæ ſententiæ, quibus vel impiis in altera vita aſſequendæ veniæ ſpes omnis adimitur, vel nullum iiſdem ſupereſſe miſericordiæ locum perhibetur. Quas inter celebris ea eſt, quæ proſtat apud Joannem Cap. 3. c. 36., ubi Salvator ſic loquitur: *qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illum*; hoc eſt, non obtinebit unquam miſericordiam, aut delicti ſui indulgentiam, non perveniet unquam ad vitam illam feliciſſimam, quæ credentibus a Dei pietate, & liberalitate confertur, ſed ab illa jugiter excludetur, & *ira Dei* vindicans commiſſa crimina nunquam ab illo diſcedet, ſed ſuper eum æternum manebit, ideſt, *ſemper eum pu niet*, inquit Eutichius, *per totam æternitatem*.

XI. Memoranda quoque ſunt Apoſtoli verba in Epiſtola ad Rom. Cap. 20. c. 4. ubi ſic peccatorem hominem interpellat: *an divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus; iis, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*. Quo in loco, ut animadvertit S. Auguſtinus in Pſalm. 100. duplex tempus exerte diſtinguit ſanctus Apoſtolus: tempus nempe *miſericordiæ*, quo nempe Deus divitias benignitatis & patientiæ in homines effundit, ut ad ipſum ſe convertant, & dignam culparum ſuarum pœnitentiam agant: quod eſt tempus vitæ præſentis, & tempus *iræ & indignationis*, quo ſcilicet Deus continens in ira ſua miſericordias ſuas, vindictam ſumit de injuriis in ſe commiſſis, & contumaces homines dignis ſuppliciis plectit: & eſt tempus vitæ futuræ. Qui ergo nunc contemnit divitias divinæ bonitatis, nec ad pœnitentiam adducitur, ſolum deinceps experietur iram, & indignationem Dei, ſublata omni experiundæ miſericordiæ ſpe. Hac de cauſa idem Apoſtolus alibi reprobos vocat, *vaſa contumeliæ, & vaſa iræ apta in interitum*, in quæ nempe nihil amplius effluet ex pelago divinæ miſericordiæ, & pietatis.

XII. His conciliunt verba, quæ leguntur apud Matth. Cap. 25. ubi Chriſtus propoſita parabola de Virginibus prudentibus, & fatuis, his licet pulſantibus, & quærentibus miſericordiam, ſe dicturum prædicit: *neſcio vos*, ideſt, pro meis non agnoſco, in ſempiternum reſpuo. *Cum dixerit*, inquit S. Joan. Chryſoſtomus, *neſcio vos, nihil aliud, quam Gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur*. Quod clarius expreſſit Dominus apud Lucam Cap. 13. dicens: *cum intraverit Paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foras ſtare, & pulſare ad oſtium dicentes: Domine aperi nobis. Et reſpondens dicet vobis: neſcio vos unde ſitis*. Quam ſententiam præclare admodum exponit Venerab. Beda inquiens (*a*): *Pater-*

a) Apud D. Th. in Ca en.

terfamilias eſt Chriſtus, qui cum ubique ex divinitate ſit, illis jam intus eſſe dicitur, quos in cælo præſens ſua viſione lætificat: ſed quaſi foris eſt his, quos in hac peregrinatione certantes occultus adjuvat. Intrabit vero, cum totam Eccleſiam ad ſui contemplationem perducet. Claudet oſtium, cum reprobis locum pœnitentiæ tollet, qui foris ſtantes pulſabunt, ideſt a juſtis ſegregati, miſericordiam, quam contempſerunt, fruſtra implorabunt.

XIII. Ex quibus aliiſque ſimilibus textibus ſic arguere licet adverſus Origeniſtas. Si omnes improbi tandem æternam ſalutem adepturi forent, ut ipſi putant, perperam in Scripturis diſtingueretur tempus gratiæ, & miſericordiæ, & tempus indignationis, & vindictæ: perperam Chriſtus induceret quoſdam, peracto judicio, divinæ pietatis januam fruſtra pulſantes; perperam alii ex hominibus vocarentur *vaſa electionis, & honoris*, alii *vaſa iræ, & contumeliæ:* omnes quippe eſſent electi, & præordinati in vitam æternam, omnes eſſent vaſa honoris, omnium nomina ſcripta eſſent in libro vitæ. Quid enim refert, quod non omnes ſtatim beatitudinem conſequantur, ſi eam certo, ut illi garriunt, aliquando conſecuturi ſunt? Nonne hoc ſatis eſt, ut vere omnes dicantur electi, & in vitam æternam præordinati, aut in libro vitæ conſcripti, quemadmodum ſentit Eccleſia catholica de animabus omnibus in flammis piacularibus detentis, tametſi earum non paucæ per plura ſæcula ab æterna gloria excludantur? Nonne janua cæleſtis regni demum aperiretur Damnatis pulſantibus & quærentibus miſericordiam, contra ac Salvator dixerit? Nonne futuræ vitæ tempus eſſet non ſolius iræ & indignationis, ſed pietatis etiam, & veniæ, quam tandem impetrarent? Falſæ igitur redderentur tot Scripturæ locutiones, vereque homines Chriſtus & Apoſtolus fefelliſſent, dum ea conſtanti ſermone prædixerunt.

XIV. Tot divinis oraculis poſtremo ſubjicio quæ ſcribit S. Paulus ad Galatas, & ad Corinthios adverſus Origenianam hypotheſim plane decretoria. In priore namque loco Cap. 5. hæc ait: *manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia &c., quæ prædico vobis, ſicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Quod urgentius monet in poſteriore Cap. 6. tanquam rem extra omnem controverſiam poſitam, & cunctis exploratiſſimam, inquiens: *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Quæ verba expendens S. Auguſtinus lib. 21. de Civit. Dei Cap. 25. ita appoſitiſſime ſubdit: *Hæc profecto falſa eſt ſententia, ſi tales poſt quantalibet tempora liberati regnum Dei poſſidebunt. Sed quoniam falſa non eſt, profecto regnum Dei non poſſidebunt. Et ſi in regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur: quoniam non eſt locus medius, ubi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in regno.*

CA-

CAPUT VIII.

Novo argumento eliditur Origeniſtarum ſyſtema deducto ex verbis, quæ Chriſtus protulit de Juda Proditore. Reſponſa, quæ huic adhibet Anonymus quidam Origeniſta, frivola, ac nugatoria demonſtrantur. Perperam hic Author divino Redemptori attribuit, quod ſoli Judæ convenire poteſt. Confeſſio, quam ab eo demum extorſit, verborum Chriſti perſpicua veritas, totam ejus hypotheſim labefactat, ac ſubruit.

I. Argumentum, quod hoc capite pertractandum aggredior, haud magni fortaſſe momenti prima fronte videbitur, ſi præſertim cum tot aliis firmiſſimis, quæ hucuſque perpendimus, conferatur. At, ut arbitror quidem, non ita profecto judicaverit, qui rem acu tetigerit, eáque, quæ a nuperis Origeniſtis docentur, ſub oculos habuerit. Sumitur illud ex verbis, quæ divinus Salvator in ſuprema cęna pronunciavit de Juda Proditore, prout legimus apud Matth. Cap. 26. c. 24., & apud Marcum Cap. 14. c. 21.. Dum enim Jeſus diſcumberet cum Diſcipulis, ad eos repente converſus dixit: *amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt... Et filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*: Sive, quod perinde eſt: *melius erat ei, ſi natus non fuiſſet &c.* Cum enim comparativis hebræi careant, ponitur hic abſolutum pro comparativo: ut & alibi frequenter.

II. Chriſtum Dominum in ea comminatione *væ homini illi &c. bonum erat &c.* ad pœnam reſpexiſſe, qua pro execrando proditionis ſcelere Judas in futura vita mulctandus fuerat, res eſt ex ipſo contextu ſatis explorata, traditurque a præcipuis Eccleſiæ Patribus. S. Hieronymus in Matth., ad illa verba ſic ait: *multo melius eſt non ſubſiſtere, quam male ſubſiſtere. Pœna prædicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denunciata ſupplicia*. Euthimius ita textum illum interpretatur: *utile fuiſſet ei, cum in utero matris creſceret, omnino non naſci, qui tale flagitium perpetraturus erat, ut tali dignus futurus eſſet ſupplicio*. Victor Antiochenus in Marcum: *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet: hoc dicitur propter duros cruciatus, quos apud inferos expenſurus erat; ſiquidem ſatius eſt omnino non eſſe, quam tantis miſeriis & calamitatibus perpetuo obſtrictum eſſe*. Theophylactus item in Marcum: *bonum erat ei &c.: dictum*, inquit, *hoc eſt propter pœnam, qua cruciandus erat Judas; melius eſt enim omnino non naſci &c.* Author *ſerm. ad fratres in Erem.* apud S. Auguſtinum, ſerm. 20. *bonum erat ei &c. Quare illi melius fuiſſet, ſi natus non fuiſſet, niſi quia melius eſt omni eſſe carere, quam in inferno jacere?* Idemque habent Vener. Beda, S. Anſelmus, aliique. Eamdem quoque expoſitionem ſequuntur nobiliores quique Scripturæ Interpretes, ex quibus ſolius Cornelii a Lapide verba refero dicentis in citatum Matth. locum: *minatur Chriſtus Judæ væ damnationis, & Gehennæ. Longe enim ſatius eſt non eſſe, quam eſſe ad hoc tantum, ut ſemper miſerrimus ſit, & perpetim ardeat in Gehenna*.

III. Hoc ſemel tanquam certo conſtituto, en firmum & efficax argumentum, quod totam evertit recentium Origeniſtarum molem. Ut ut diuturna ac horribilia ponantur eſſe tormenta, quibus ob ſacrilegum proditionis nefas addictus eſt infeliciſſimus Judas, ſi reſtitutio in integrum, quam illi comminiſcuntur, ac æterna felicitas tandem ſubſecutura foret, nullatenus efferre debuiſſet, ſive potuiſſet increata Veritas: *bonum, ſive melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*. Omnibus ſiquidem rite perpenſis judicare minime poterat, majus bonum eſſe pro Juda non habere, quam habere eſſe: æternitas enim beati-

tu-

titudinis, qua in illorum ſententia demum donandus eſt, licet eam ſupplicia quantalibet, & quantumvis diuturna præceſſerint, bonum longe majus eſt, atque præſtantius, quam nunquam extitiſſe, atque adeo beatitudine perpetuo carere, ut nemo non videt. Igitur ſi Chriſtus Jeſus qui omnia pleniſſime noverat, aſſeruit; quod melius Judæ fuiſſet nunquam naſci, ſive nunquam exiſtentiam habere, conſequens plane eſt nullam prævidiſſe nefarii Proditoris in integrum reſtitutionem, & in regni ſempiterni gloriam receptionem, ſed potius ipſum per totam æternitatem iis obnoxium futurum tormentis, quæ terribili illa ſententia, *væ homini illi, per quem filius hominis tradetur*, deſignavit. Lubet rem hanc idoneo exemplo amplius declarare. Nota omnibus eſt, quemadmodum calamitas, quam ob fratrum invidiam, & mulieris Putipharis calumniam perpeſſus eſt Patriarcha Joſeph in Ægypto, ita felicitas & gloria, quam deinceps conſecutus fuit ob gratiam, ac benevolentiam Regis Pharaonis. Fingamus itaque animo aliquem utrumque prævidiſſe & Joſeph calamitatem, & ſublimem ejus gloriam, qua toto vitæ ſuæ tempore deinde potitus eſt; huic ſane præferre illam neutiquam potuiſſet, neque de Joſeph aſſerere, quod melius ipſi erat, quod nunquam fuiſſet in Ægypto: non alia profecto de cauſſa, niſi quia gloria, atque felicitas, quæ ſubſecuta eſt, bonum adeo excellens erat, ut malum præcedentis calamitatis cum ipſa collatum vix æſtimari deberet. Idem ergo potiori jure dicere opus eſſet de Proditore Juda, poſita Adverſariorum hypotheſi. Æterna enim felicitas, quam demum, ſi ipſos audimus, conſequetur, ita magnitudine, & præſtantia ſua excedit, ac veluti exhaurit quodvis temporale malum, ut tota pœna, quam pro commiſſo ſcelere ſubire cogeretur per quantalibet ſæcula duratura, in tantæ felicitatis conſpectu pro nihilo ferme pendenda foret: adeoque procul a vero eſſet Chriſti locutio, *væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet*. Ne igitur divinam Sapientiam, & veracitatem vel ignaram, vel mendacem ponamus, fateamur, oportet nihil aliud de futuro Judæ ſtatu prævidiſſe Dominum niſi ſempiternam miſeriam, ad quam ob facinus perpetratum damnandus fuerat.

IV. Sed audi reſponſiones, quas huic argumento adhibuerunt Adverſarii, & ex earum futilitate vim ejus pluris æſtimaveris. Celebris quidam Author inter nuperos Origeniſtas (*a*) in Epiſtola gallica lingua conſcripta *de ſtatu animarum*, hoc ſibi argumentum ſolvendum ſumit, ac reſpondet, “ Chriſtum „ in ea ſententia non eſſe locutum de „ futuro Judæ ſtatu dogmatice, quaſi „ nempe articulum aliquem fidei condiderit, quo certiores nos faceret, „ quid de poſtrema Damnatorum con„ditione credere deberemus: ſimpliciter „ intuitum eſſe infelicem hujuſce ho„minis ſortem, qui proditionem ſa„crilegam animo revolvebat, turba„tumque aſpectu horribilium pœna„rum, quas ſubiturus erat, ea verba „ protuliſſe juxta deſperationis ſtatum, „ in quem nefandum flagitium illum con„jiciebat. Et quiſnam, ſubdit, ambigere „ poteſt, quin atrocia tormenta, qui„bus Judas addictus fuit, ſæpius ip„ſum impulerint ad maledicendum diei, „ quo natus eſt, & lucem vidit. „ „ Hæc ille (b).

V. Quam frigida, quam imbecilla, & nugatoria ſint hujuſmodi reſponſa,

 ne-

(a) apud Franciſcum Roches Epiſt. 38.

(b) J. Chriſt n' a pas prononcé ces paroles touchant Judas, dogmatiquement, pour en faire ce qu' on appelle un article de Foi, pour nous mettre au fait ſans équivoque ſur la derniere condition des damnez; qu' il enviſage ſimplement l' état de ce malheureux, qui étoit ſur le point de le trahir; qu épouvanté des tourmens, qu' il devra ſubir, il parle conformement à l' état de deſeſpoir, ou ſa trahiſon le jettera; & qui doute, ajoute-t-il, que les tourmens, que Judas aura éprouvez, ne lui aient fait ſouhaiter mille fois de n' avoir jamais vû le jour? Apud eumdem loco cit. n. 5.

nemo non intelligit. Quid enim in primis refert, num Chriſtus laudata verba de Juda pronunciaret *hiſtorice*, vel *dogmatice*, & ut *aliquem fidei articulum conderet?* An forte Increata Veritas tunc ſolummodo verum prodit, cum *dogmatice* loquitur, aut condit articulos fidei? Nonne verbis illis, *væ autem &c.*, *bonum erat &c.*, nobis patefacere voluit miſeram ſtatus conditionem, ad quam redigendus erat nequiſſimus Judas, eamque ſincere, veraciterque proponere, prout reapſe futuram prævidebat? Igitur nihil aliud prævidiſſe dicendum eſt, quam quod verbis expreſſit, atque adeo non reſtitutionem in integrum perfidi Proditoris, & ſubſecuturam æternam beatitudinem, ſed æternam potius, & ſine fine duraturam ejus damnationem.

VI. Quod addit ſubinde Author Anonymus, Chriſtum imagine & horrore ſuppliciorum, quæ Judam in inferno manebant, de iis locutum fuiſſe juxta deſperationis ſtatum, in quem præceps ille ruebat, ineptiſſimum eſt, & riſu potius, quam confutatione dignum. Cur enim Jeſus Chriſtus in ea proferenda ſententia Judæ perſonam induit, aut induere debuit, ejuſque turbidos deſperationis affectus in ſemetipſo exhibere, dum pœnam ſceleri ſuo congruentem prædicebat? Cur ea verba proferre, veluti miſeri Proditoris nomine, ejuſque ſortem nobis ob oculos ponere, non prout revera futura erat, ſed prout præpoſtere ac falſo a Juda in inferno concipienda fuerat? *Turbatum* quidem *ſpiritu* divinum Redemptorem fuiſſe memorat S. Joannes priuſquam prædiceret proditorem. Sed *non ullo modo dubitandum*, inquit S. Auguſt. (*a*), *non eum animi infirmitate, ſed poteſtate turbatum .... Non aliquo eſt cogente turbatus, ſed turbavit ſemetipſum quod de illo evidenter expreſſum eſt, quando Lazarum ſuſcitavit. Nam ibi ſcriptum eſt, quod turbaverit ſemetipſum, ut hoc intelligatur, & ubi non ſcriptum legitur, & tamen eum legitur fuiſſe turbatum*. Turbatus eſt ſpiritu, inquit S. Evangeliſta, hoc eſt animo, vel voluntate ſua in ſe ipſo turbationem effecit, quin tamen turbatio ſpiritum ejus, mentiſque celſitudinem attingeret. Turbatus eſt, nempe commotus cogitatione horrendi facinoris, quod Judas machinabatur, & affectu doloris, & commiſerationis in eum, quem ruere in perditionem cernebat, quemadmodum *videns Civitatem* Hieruſalem, & ejus excidium contemplans, *flevit ſuper illam*. Et plane quis adeo deliret, ut eadem lamenta, & inconditas deſperationis voces divinæ Sapientiæ tribuat, quæ Damnatorum propriæ ſunt? Equidem concipere licet Judam jam in inferis conſtitutum ob graviſſima ſupplicia, quæ patitur, & quorum finem ignorat, appetere poſſe ipſum non eſſe, aut nunquam natum fuiſſe, magniſque clamoribus, quos dolorum extorquet acerbitas, in hæc deſideria continenter erumpere. At concipi neutiquam poteſt in eadem deſideria effuſum Chriſtum Redemptorem, cujus mentem nulla inordinata affectio obnubilare, nullus error, aut deceptio corrumpere poterat, ſed nitidiſſimo lumine contemplabatur ſtatum perfidi Diſcipuli, qualis per omnem æternitatem futurus eſſet, adeoque nec de illo loquebatur, niſi juxta rectum illud judicium, quod præconceperat. Quapropter ſi ea verba de Juda pronunciavit, *væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei ſi natus non fuiſſet*, colligere neceſſum eſt, non jam ejuſdem Apocataſtaſim ab adverſariis confictam prævidiſſe, ſed ſolam acerbiſſimam pœnam ab eo ſine fine perferendam.

VII. Cæterum, quod magis obſtupeſcas, idem Origeniſta non ita inani huic reſponſioni adhæret, quin ſimul eodem loco ſubindicet, de Proditore Juda concedi poſſe nunquam in meliorem ſtatum reſtitutum iri, ſed ejus ſupplicium ſine termino duraturum ob peculiare Chriſti de ipſo teſtimonium (*b*). At

(a) Tract. 60. in Joan. (b) Vide cit. Epiſt.

At vero non idem aſſerendum eſſe de cæteris damnatis, de quibus paria in ſacris litteris non leguntur.

VIII. Verum inſcitiam ſuam, dum ita reſpondet, maxime prodit nuperus Author, præcipuumque Origeniſtarum fundamentum, immo totum ſyſtema penitus ſubruit. Si enim fieri poſſe exiſtimat, ut Deus nunquam ad felicitatis ſtatum revocet Proditorem Judam, ſed ſuppliciis plectat æternis; igitur neque bonitas Dei, neque ſapientia, nec æquitas id neceſſario expoſcunt, ut hujus infeliciſſimi hominis cruciatibus, & miſeriæ finem demum imponat; igitur, ſaltem aliquo in caſu, & ex ipſius confeſſione, conciliari poterit æternitas abſoluta pœnarum cum divinis hiſce attributis. Cur ergo tot expoſtulationes, atque clamores excitat in ſuis Epiſtolis adverſum pœnarum æternitatis aſſertores, ac ſi de Deo, ejuſque perfectionibus perverſe ſentiant, neque rectam ullam imbiberint juſtitiæ vindicis ideam? Quæcumque ſane proferre poteſt, contra pœnarum æternitatem argumenta, aut nihil probant, aut probant, etiam ipſius Judæ æque ac cæterorum Damnatorum reſtitutionem. Cur enim cæteri damnati in Dei regnum, & gloriam reſtituantur, Juda flammis æternis ablegato, cum plures ſaltem ex illis, vel parem, vel etiam majorem pęnę reatum ſuis noxis contraxerint? Quod ſi idem quoque de his omnibus affirmet, quare horum miſerorum pęna non pugnat cum juſtitia, & reliquis Dei perfectionibus? Aut cur Dei bonitas, & ſapientia non exigunt ut creaturas omnes ad eum finem tandem perducat, propter quem creatę ſunt? Quod eſt potiſſimum hujuſce Authoris argumentum, quo catholicum dogma ſubvertere nititur.

IX. Quę addit Author idem in ſua Epiſtola, virum exhibent propriis ſe antilogiis paſſim conficientem. Fatetur Judam dubio procul ignorare, an tormenta, quę ſuffert, finem tandem habitura ſint (a). Igitur juxta ſuæ doctrinæ principia, nihil habet infeliciſſimus homo, unde agnoſcat juſtitiam pœnæ, qua a Supremo Judice damnatus eſt ob proditionis ſcelus, & hac cognitione ſe ad ſalutarem pœnitentiam diſponat. Quoniam, ut hæc pœna *juſta* ſit, ſi eidem credimus, finem habeat, neceſſe eſt. Propterea quandiu Judas de fine ſupplicii ſui incertus erit, continuas evomet in Deum blaſphemias, clamabitque hujuſce Authoris verbis, *ſe injuſte nimium, crudeliterque puniri, ſe talem pœnam non eſſe promeritum, amplius a ſe exigi in ſupplicio, quam commiſſum fuerit in delicto &c.* Quo ergo pacto iſtiuſmodi deſperationis, ac blaſphemiæ vocibus ad eam converſionem, ſive, ut appellat, *purificationem* diſponetur, quem ille comminiſcitur, & prorſus neceſſariam judicat, ut in meliorem, felicioremque ſtatum reſtituatur? Quod ſi hoc de Juda, idem nemo diffitebitur de cæteris damnatis, quorum melior cauſſa, & conditio jure nullo conſtitui poteſt. Incerti itaque & ipſi erunt de ſuæ damnationis fine. Quare horrendis ſuppliciis adacti in pares erumpent deſperationis voces, Deumque ipſos percutientem, nedum ut juſtum Judicem non agnoſcent, & colent, ſed potius tamquam infenſiſſimum hoſtem, & ultorem injuſtum conviciis ac blaſphemiis proſcindent: atque ita graviora perpetim opponent obſtacula propriæ purificationi, & reſtitutioni.

X. Concludo itaque cum laudato Scriptore de Roches, (ex quo plura, quæ hoc capite propoſui, delibaſſe me ingenue fateor,) vel hoc uno Judæ Proditoris exemplo recentium Origeniſtarum ſyſtema penitus dirui, manifeſtæque falſitatis convinci, ac tum Judæ, tum cæteris quibuſcumque ad inferna damnatis non alia de cauſſa melius fuiſſe *non naſci* juxta Chriſti Servatoris verba, niſi propter horribilia tormenta, quæ in omnem æternitatem ſuſtinere debent, abſque ulla ſpe veniæ, ac ſalutis.

(a) *Judas ignore ſans doute ſi ſes tourmens prendront fin.* pag. 53. apud eumdem.

CAPUT IX.

Peculiare quorumdam Origeniſtarum effugium ad laudata Scripturarum loca præcluditur. Nullam illud impœnitentibus impiis conferre valet probabilem ſpem vitandi æterna ſupplicia. Quamquam Deus abſoluta poteſtate damnatos ab æternis pœnis eripere queat, id præſtare nequit poteſtate ordinaria, ſive ordinata. Decretum Dei de malis perpetuo puniendis abſolutum eſt, non mere comminatorium. Si juſtum non eſſet pœnam æternam pro peccatis infligere, nec comminari illam Deus debuiſſet. Objectio ſolvitur, quam ex facto Ninivitarum Adverſarii conficiunt.

I. Teſtimonia, quæ hactenus ex penu divinarum litterarum produximus, adeo perſpicua, gravia, & ineluctabilia viſa ſunt non paucis eorum, quibus cæteroqui non diſplicet recentium Origeniſtarum hypotheſis, ut ingenue fateantur inepta eſſe, quæcumque iſti reponere ſolent, ut eorumdem vim elevent, aut effugiant. Quare alio ſe receperunt, novamque ea eludendi viam excogitarunt, quam faciliorem, & commodiorem arbitrantur. Horum ſenſum exponere placet verbis duorum celebrium inter novi hujuſce effugii promotores. Tilotſonus Anglus poſtquam *Serm.* 35. ſententiam a Chriſto in die ſupremo ferendam illuſtravit, ejuſque ſenſum legitimum adverſus tum Socinianos, tum Origeniſtas vindicavit, ita differit de ejus executione quoad pœnæ æternitatem: “ poſt hac illud „ animadvertere fas eſt, liberum eſſe „ minas intentanti, eas ad effectum haud- „ quaquam perducere, ſi hoc ſibi vi- „ deatur. Hoc enim verſatur inter pro- „ miſſiones, ac minas diſcrimen obſer- „ vatione dignum, quod promiſſor jus „ alteri tribuit adverſum ſeipſum, adeo „ ut juxta regulas juſtitiæ, & fidelita- „ tis promiſſis ſtare teneatur, verique „ nominis injuriam irroget, ſi ea exa- „ cte non impleat. Non eodem modo „ ſe res habet de illo, qui minatur. „ Jus enim in ipſo remanet minas exe- „ quendi, vel non exequendi, ac citra „ alicujus injuriam poteſt non uti jure „ ſuo, ac debitum dimittere.„ Ex quo refert, quod tametſi Deus pœnam vere æternam denunciet in terribili illa ſententia, quam proferet in die judicii, non ſibi libertatem ademerit rigorem illius in executione temperandi, damnatoſque ex igne æterno liberandi.

II. Ejuſdem veſtigia premit Joannes Clericus, eamdemque ſententiam tradit pluribus in locis. Primum in notis *ad Caput* 8. *lib.* 3. *Theol. dogm. de Angel. P. Petavii* ita Origeniſtas ſentire refert: *fatentur*, inquit, *illi Deum intendere peccatoribus contumacibus pœnas æternas in Scriptura variis de rationibus, quas proferre nihil attinet: Sed ajunt propterea Deum jus remittendarum pœnarum neququam amiſiſſe. Sic carceri perpetuo addicuntur rei, quos poſtea ſumma poteſtas, ſi velit, liberat. Sic leges feruntur æternæ, quas tamen Legislator abrogare poteſt. Sed nolo Origeniſtarum cauſam agere*, quam tamen alibi expreſſe defendit. Nam *tom.* 7. *Biblioth. Selectæ art.* 8. citatum Tilotſoni fermonem, ejuſque propoſitam ſententiam approbat, additque *notum ſatis eſſe nunquam minas ad effectum perduci eo in rigore, quem præferunt, dataque opera Principes legum ſuarum obſervantiam magna urgere ſeveritate, ut ſubditos ab iis violandis deterreant, & in officio contineant. Quapropter*, ſubdit, *non eſt cur de divinæ Juſtitiæ rigore conqueramur, cum nemo ſciat, quo pacto Deus executurus ſit in die Judicii ſententiam, quam modo denunciat.* Plura adjicit Tom. 9. ejuſdem Biblioth., quæ huc recidunt omnia: “ non poſſe ex Scri- „ pturis tametſi perſpicuis certo colli- „ gi pœnarum æternitatem, noſque „ ignorare quemnam fortaſſe modum „ minis a ſe factis apponet piiſſimus „ Deus, qui licet delinquentes punire „ debeat, nulla tamen lege adſtringi- „ tur eo rigore punire, quo minatus „ eſt,

„ eſt, ſed ex arbitrio, & libertate ſua „ pœnam ſaltem ex parte condonare „ poteſt.

III. En igitur poſtremum Origeniſtarum effugium ipſorum verbis propoſitum, quod, ut facile quiſque intelligit, illud idem omnino eſt, quod jam propoſuerat Antonius Collinius in peſtilenti libro *de libertate cogitandi*, alibi a nobis memorato, hoc dumtaxat intercedente diſcrimine, quod ille abſolute de futurarum pœnarum exiſtentia, hi vero de ſola earum æternitate loquuntur. Quare quæ *Cap.* 13. *primæ Diſſert.* dicta ſunt, æque militant adverſus horum opinationem, eamque vanam & inanem eſſe manifeſtant. Atque in primis hujuſmodi evaſio nullum impiorum ſpei probabile fundamentum præbere poteſt. Ex eo namque, quod aliquid contingere poteſt, colligi prudenter nequit, quod non ita reapſe continget. Poteſt, inquiunt, Deus comminari æternas pœnas ad terrorem tantum incutiendum: poteſt, utpote creditor, damnatis æternum ſupplicium non infligere, ſed ex ſua liberalitate dimittere. Sed nonne etiam poteſt tale ſupplicium irrogare? Cur igitur potius inferſ ſperandum eſſe, quam deſperandum de remiſſione? Poteſt creditor donare tibi centum nummos aureos, quos ipſi debes: ſed poteſt etiam exigere. Poteſt Princeps te legis tranſgreſſorem morte non damnare: ſed & damnare poteſt. Nunquid ex hac ſola utriuſque poteſtate in ſpem aliquam erigeris, quod vel debitum non perſolves, vel capitis pœnam effugies?

IV. Sed præterea cum dicunt, *poteſt Deus ex ſua libertate condonare æterna ſupplicia*, vel loquuntur de poteſtate illa, quam Theologi vocant *abſolutam*, eaque ſpectat, quæ eſſe non repugnat: vel de poteſtate, quam *ordinariam*, vel *ordinatam* appellant, quatenus de rebus omnibus diſponit juxta regulas a ſe conſtitutas. Si de priore ſermonem habeant, libenter largimur ipſis Deum nedum æternum, ſed etiam quodcumque ſupplicium remittere poſſe peccatoribus quamquam contumacibus. At vero quis, niſi amens, ex hac poteſtate ſibi fundamentum aliquod ſperandi confingat? Quis unquam ſibi perſuaſit ſe mortem fortaſſis evaſurum, quod in Deo ſumma poteſtas eſt ipſum a morte liberandi? Quod ſi de poſteriore loquantur, de ea nimirum, quæ ſpectat in rerum ordinem præfinitum, legeſque a ſapientia divina conſtitutas, jam præter Dei poteſtatem quidpiam aliud aſſignent oportet, unde ſpem aliquam concipere liceat, non eſſe reprobos homines puniendos ſuppliciis æternis. Sed ut ut in omnem ſe partem contorqueant, ac penitiſſime cuncta rimentur, nihil prorſus invenient, quod opinationi ſuæ vel tantillum ſuffragetur. Nam quid eſſe poſſit de Damnatorum ſorte, juxta ordinem legeſque a Deo ſtatutas, non ex iis definire debemus, quæ nobis arrident, aut magis conſentanea videntur, ſed quæ extant in ſacris libris, quorum oracula certiſſima ſunt. Porro ſi Scripturas conſulamus, nec vola, nec veſtigium in ipſis occurrit, unde eruere liceat, Deum pęnas fortaſſe non inflicturum æternas: quin eæ potius ſpem omnem de pęna aliquando finienda præcidunt. Proponunt illæ quidem terribile ſupplicium, ut mortales ejuſdem timore concuſſi a via mala recedant, virtutemque amplectantur. Quod ſi præſtent, ſpem eiſdem faciunt de divina miſericordia impetranda, ac æterna ſalute obtinenda; ſi autem in peccato obſirmati ex hac vita decedant, nullum amplius iis tribuunt pęnitentiæ ſpatium, nullum ſalutis locum, nullum ſempiternæ damnationis remedium. Qua ergo ratione, quo fundamento dici valet forte æternas non futuras improborum pęnas, quia Deus tamquam creditor eas remittere poteſt?

V. Ulterius ſpes nulla, Adverſariis fatentibus, ſubeſſe poteſt, quod finem fortaſſe habitura ſint inferni ſupplicia, ſi Scripturarum oracula, quæ illa *æterna* eſſe pronunciant, non ſint meræ comminationes, aut terricula, ſed abſoluta de iis inferendis decreta. Hoc poſito velut omnibus explorato, ſic arguere licet: nullæ concipi locutiones, nul-

Digitized by Google

læ phraſes, formulæ nullæ valent, quibus abſoluta Dei voluntas exprimitur, clariores, efficacioreſque, quibus uſa eſt divina Scriptura in exprimenda pęnarum æternitate: igitur non meræ comminationes, aut terricula, ſed abſoluta decreta credenda ſunt. Prior illa propoſitio manifeſto conſtat legenti ea teſtimonia, quæ tribus integris capitibus a nobis producta fuere: quæ non aliam plane ideam ingerunt, quam definitæ prædictionis eorum, quæ eventura ſunt impiis poſt mortalem hanc vitam. Ne omnia iterum oculis ſubjiciamus, unum vel alterum duntaxat conſideremus, ac præſertim verba illa, quæ ſupremus Judex ſe prolaturum teſtatur in die judicii, *diſcedite a me maledicti in ignem æternum:* Quæro enim ab Adverſariis, feretur ne hujuſmodi ſententia in eos, qui a ſiniſtris erunt, vel non feretur? Si ferenda non eſt, ergo increata Veritas, ſapientia Patris fallacibus nos verbis decepit. Quod ſi ferendam eſſe concedant: ergo juxta ipſius verba reapſe impii diſcedent a Chriſto in ignem æternum: idque eodem in loco affirmat divinus Salvator, dum ſubdit completo judicio: *& ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam:* quibus in verbis non minę aliquę exprimuntur, ſed executio ſententię, quam ſe laturum prędixit. An forte dicere audebunt totam eam hiſtoriam ad inane, vacuumque effectu terriculamentum incutiendum a Chriſto confictam eſſe? Igitur eodem temerario auſu effutire poterunt neque fortaſſe futurum extremum Dei judicium, ſed ad terrorem tantummodo fuiſſe confictum: neque enim iſtud luculentiore ſermone prędicitur, quam ęterna impiorum pęna: Quod ſi judicium certiſſime futurum admittunt, cur non etiam certiſſime eventura concedunt, quę in eo peragenda eadem divina Veritas eodem loco, textuque pręnunciat?

VI. Idem pariter obſervare eſt in aliis locutionibus, ubi ſimpliciter exponitur quid de futuro impiorum ſtatu jam ab ęterno decreverit Deus, ut e. g. Verba illa, *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, prolata ab Iſaia, & a Chriſto Domino eodem loco ter repetita, ut vehementius veritatem eorum commendaret: & illa Joannis in Apocalypſi non ſemel adhibita, *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*: ubi illud fas eſt animadvertere, quod juſſus fuit ſcribere Joannes cap. 21., & 22. *hæc verba fideliſſima ſunt, & vera, omnia ſcilicet, quæ tibi Deus per Angelum revelavit*, (inter quę ea pręcipua ſunt, quę de cruciatu impiorum in omnia ſęcula duraturo patefecerat), *ita prorſus evenient, ac prædicta tibi fuere*. Si comminandi tantum cauſſa, non exequendi animo ęternum illud ſupplicium pręnunciaſſet, ita ne loqui potuiſſet? Ejuſne verba, quibus non reſponderet eventus, *fideliſſima* ac *vera* forent, an potius ſubleſta, immo deceptoria?

VII. Nec ſolę locutiones, ſed etiam exempla, quę extant in ſacra Scriptura, hoc ipſum validiſſime confirmant. Pręter illud Judę Proditoris, quod jam ſuperiore capite ſatis expendimus, ad rem quam maxime facit, quod de Divite Epulone fato jam functo legimus. Illum namque Chriſtus Dominus nobis exhibet ob voluptatum amorem, & animum in pauperes immiſericordem in Gehennę ſuppliciis immaniter cruciatum, ac ardoris ſui refrigerium aliquod fruſtra efflagitantem. Abrahamum ſubinde repręſentat nedum, quod ille petebat, minime elargientem, ſed omnem tum ipſi, tum cęteris, qui in loco eodem verſantur, conſolationis ſpem adimentem verbis illis: *in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*. Ut ut admittamus hanc non eſſe hiſtoriam, ſed parabolam, rem tamen ipſam omnino certam ſupponit, divites nempe crudeles, alioſque nefarios homines hunc demum exitum conſequi, ut ad inferorum ſupplicia detrudantur, ſpe omni illinc exeundi ſublata: alioquin tam excellens Parabola nihil plane ſignificabit,

bit, aut Chriſtus eam proponendo nos fefellit.

VIII. His accedunt omnia illa teſtimonia, quibus diſerte aſſeritur nullum reprobis poſt mortalem hanc vitam ſupereſſe ſpatium pœnitentiæ, aut boni aliquid operandi, unde ad veniam, & miſericordiam conſequendam ſe diſponant. Fatentur Adverſarii finem habere non poſſe damnatorum miſeriam, niſi de noxis, & ſceleribus, quibus eam promeriti ſunt, pęnitentiam agant, ac piis actibus, & affectibus dignos ſe venia ac miſericordia impetranda conſtituant. Si igitur nullus iis ſalutari pęnitentię locus reliquus ſit, neque ulla reliqua eſt conſequendę ſalutis via. Porro in ſacris litteris res adeo clara, compertaque eſt ſolius vitę pręſentis tempus a divina Providentia deſtinatum fuiſſe hominibus, ut agant pęnitentiam, piiſque actionibus ſalutem ſuam operentur: futurum vero non pęnitentię eſſe, ſed retributionis, pręmii ſcilicet, aut vindictę, ut nihil clarius, ac certius deſiderari queat. Quare autem ſacrę litterę aditum omnem ad obtinendam ſalutem damnatis pręcludunt, niſi ut certiores nos reddant ęternum impiorum exitium firmo abſoluto Dei decreto conſtitutum eſſe?

IX. Nonnulli ex Adverſariis his adeo convincuntur, ut ſincere fateantur, nihil eſſe in divinis Scripturis, unde colligere liceat Decretum Dei de æterna pęna inferenda non eſſe abſolutum, ſed comminatorium. Quapropter miſſa tot authoritatum diſcuſſione ad humanæ rationis lumen ſe recipiunt, in eoque ſe firmum fundamentum reperiſſe obganniunt, unde Scripturæ verba non abſolutæ prædictionis, ſed minarum loco duntaxat habenda ſint: quia nimirum, inquiunt, ſi pęnarum æternitas cum purioribus juſtitiæ vindicis ideis conferatur, cum iis omnino pugnare deprehenditur.

X. Nemo eſt, qui non videat Adverſarios hac reſponſione cauſam ſuam ab uno ad aliud tribunal evocare, quodque magis mirere, non ut fieri ſolet ac debet, ab inferiori ad ſuperius, ſed a ſuperiore ad inferius. Verum huc eos modo non ſequimur, ne extra orbitam nobis præſtitutam divagemur. Hoc ſolum nunc animadverto, quod ad hanc evaſionem intercludendam abunde eſt: Si æterna impiorum pęna revera juſtitiæ vindicis legibus repugnaret, nedum Deus abſoluto decreto talem pęnam infligere minime ſtatuiſſet, ſed neque illam comminatus eſſet. Siquidem pęnam, quę ſecundum juſtitię leges irrogari non poteſt, neque fas eſt comminari: ac perverſe ſe gereret, qui pro aliquo delicto ſupplicium minaretur, quod, ſpectatis omnibus circumſtantiis, majus eſt ipſius gravitate, ac merito. Unde nec probus Rector, aut Princeps pęnam minatur, quam juſte non poteſt infligere. Si igitur, ut ajunt Adverſarii, ęterna pęna temporario peccato non deberetur, ac juſtitię legibus repugnaret, non ſolum Deus abſoluto decreto, ſed neque mere comminatorio eam ſtatuere debuiſſet: adeoque perperám confugiunt ad repugnantiam, quam ipſi concipiunt, cum legibus juſtitię, ut clariſſima Scripturę teſtimonia, quę ęternam pęnam peccatoribus denunciant, non tamquam abſoluta Dei decreta, ſed ut meras comminationes habeant. Verum hac de re infra.

XI. Tilotſonus in ipſa etiam Scriptura fundamentum aliquod opinationis ſuę ſe inveniſſe putat, in celebri nempe Jonę Prophetia de ſubverſione Ninive. Juſſu ſiquidem Dei citra expreſſam ullam conditionem, Propheta prędixit impię civitatis excidium poſt dies quadraginta eventurum; *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, neque tamen everſio conſecuta eſt, ut fuerat prędictum. Quidni ergo etiam ſperare liceat Deum quidem denunciare hominibus ęterna ſupplicia, quę tamen non ſit irrogaturus?

XII. Mirum profecto eſt hunc Authorem catholicam de pęnarum ęternitate ſententiam hocce ſtramineo telo concutere voluiſſe. Peſſime in primis ratiocinatur ille, dum ex uno facto arguit adverſus innumera, quę pro alia parte conſpirant. Si Jonę Prophetia mere

mere comminatoria fuit, nec effectum habuit, ſexcentæ aliæ, quæ in iiſdem Scripturis extant, non mere comminatoriæ fuerunt, ſed abſolutæ, effectumque obtinuere. Cur ergo ex unica illa ſpem eſſe colligis Deum non inflicturum pœnas, ſed duntaxat comminari, & ex aliis innumeris, quæ non mere comminatoriæ, ſed abſolutæ fuerunt, non potius concludis pœnas eaſdem reapſe inflicturum, nec eſſe de remiſſione ſperandum? Audi Joannem Chryſoſtomum ſpem illam tuam conterentem homil. 25. in epiſt. ad Rom. " Sed „ hæ comminationes tantum ſunt, „ inquies. Et quomodo, quæſo, tantam rem audes pronunciare, & ex „ te ipſo calculum ferre? Ego enim „ & ab iis, quæ dixit, & ab iis, quæ „ fecit Chriſtus, contrarium demonſtrare valeo. Si enim propter futura „ ſupplicia non credis, ſaltem ex iis, „ quæ jam facta ſunt, crede. Nam, „ quæ facta ſunt, & in opus exierunt, „ minæ non ſunt & verba. Quis ergo ſub Noe orbem totum inundavit, „ & grave illud naufragium curavit, „ totamque generis noſtri perniciem? „ Quis poſtea fulmina illa, & incendia immiſit in Sodomorum terram? „ Quis Ægyptum totum in mare demerſit? Quis ſexcenta hominum millia in deſerto conſumpſit? Quis Synagogam Abironis combuſſit? Quis „ juſſit terram os aperire, & Core, „ Datan & ſocios abſorbere? „ Et pluribus aliis commemoratis exemplis concludit: quemadmodum minæ tantum non fuerunt horum omnium prædictiones, ita neque ſolas minas reputari poſſe, quæ de æterno impiorum ſupplicio prænunciata fuere.

XIII. Ulterius verba, & circumſtantiæ Prophetiæ de Ninive ſubvertenda ſatis indicabant eam comminatoriam, aut conditionatam eſſe. Ideo enim Deus Jonam miſit ad Ninivitas, ut eos comminatione feralis excidii a via mala revocaret, & ſpatium dierum quadraginta conceſſit, ut pęnitentiam agerent, atque ita calamitatem, quæ impendebat, evitarent, ipſique Ninivitæ ſub hac conditione, *niſi pœnitentiam agerent*, prophetiam complendam intellexerunt. Quare invicem dicebant: *quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur a furore iræ ſuæ, & non peribimus?* E contra in prædictionibus de futuro contumacium peccatorum æterno exitio, nihil eſt, unde tacitam aliquam conditionem vel ſuſpicari liceat: ſed tum verba, quibus conceptæ ſunt, tum circumſtantiæ omnes, quas ſupra perpendimus, tum exempla, quibus declarantur; apertiſſime oſtendunt definitivum, & abſolutum eſſe divinum decretum de hujuſmodi pęna impiis omnibus infligenda, qui ex hac vita ſine pęnitentia deceſſerint.

XIV. Denique, quod rem plane conficit, nonne Deus reipſa præſtitiſſet, quod Ninivitis prædixerat, eorumque Civitas certiſſime ſubverſa eſſet, ſi non egiſſent pęnitentiam? Quis hoc inficiari audeat? Igitur id quoque citra dubium omne Deus ipſe præſtabit, quod peccatoribus minatur, niſi pęnitentiam egerint eo temporis ſpatio, quod ipſis ad pęnitentiam reliquit. Cum itaque pęnas æternas impęnitentibus denunciet, nullumque eſſe agendæ pęnitentiæ ſpatium in futura vita exerte declaret, effectum omnino habituræ ſunt hujuſmodi minæ, ſi nihil ex iiſdem modo proficiant contumaces homines, neque a via mala diſcedant, ſed in ea ad mortem uſque perſeverent. *Quia Ninivitæ*, inquit S. Joannes Chryſoſt. (a), *pœnitentiam egerunt, minas in verbis tantum ſiſti curaverunt. Vis tu id tantum comminationem eſſe? In tua poteſtate id ſitum eſt. Melior evade, & comminatio ſiſtitur. Si vero, quod abſit, minas ſpreveris, in experimentum venies. Qui diluvii tempore erant, ſi minas timuiſſent, rem non experturi erant. Et nos, ſi minas timeamus, experimentum non habebimus*. Et S. Auguſtinus cum ſibi exemplum idem Ninivitarum obje-

(a) Homil. 1. in Epiſt. ad Philem.

objeciſſet *lib.* 21. *de Civit. Dei Cap.* 18., ita reſpondet *Cap.* 24.: „ cæterum eos, „ qui putant minaciter potius, quam „ veraciter dictum: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum:* &, *ibunt hi in ſupplicium æternum:* &, *cruciabuntur in ſæcula ſæculorum:* &, *vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*, & cætera hujuſmodi; „ non tamen ego, quam ipſa Scriptura divina planiſſime, atque pleniſſime redarguit, ac refellit Ninivitæ quippe „ in hac vita egerunt pœnitentiam, & „ ideo fructuoſam velut in hoc agro ſeminantes, in quo Deus voluit cum „ lacrimis ſeminari, quod poſtea cum „ lætitia meteretur &c. „

C A P U T X.

Alia ad eamdem evaſionem amplius intercludendam argumenta. Pugnat illa cum immutabilitate divini decreti, quod juramento ſuo Deus confirmavit. Tilotſoni, & Clerici reſponſiones inutiles demonſtrantur. Pugnat etiam cum divina veracitate, quæ, admiſſa Adverſariorum hypotheſi, conciliari nequit cum iis, quæ de æterna impiorum miſeria revelata ſunt. Ac demum pugnat cum ipſa Dei ſapientia, ac juſtitia: adeoque impoſſibilis undecumque eſt conficta illa ſempiternæ pœnæ remiſſio.

I. VAnam, & inanem prorſus eſſe Adverſariorum evaſionem jam expoſitam, ex iis, quæ ſuperiore capite dicta ſunt, adeo evidenter apparet, ut nemo niſi plane delirus ſpem inde concipiat æterna fortaſſe non futura ſupplicia, quæ Sacræ litteræ tam ſæpe denunciant. Nihilominus, quoniam hoc eſt præcipuum recentium plurium Origeniſtarum fundamentum, eoque dejecto fatentur nihil impiis ſperandum ſupereſſe de pœnæ tam terribilis remiſſione, novis machinis illud adoriri placet, penituſque convellere. Hoc eſt itaque, quod illi veluti principii certiſſimi loco ponunt, atque ad ravim inculcant: *quamquam Deus in ſacris libris pœnas æternas comminatus fuerit verbis ſatis diſertis, atque perſpicuis, non ex hoc tamen ſibi facultatem eripuit moderandi decretum ſuum. Quemadmodum & humani Principes, aut legumlatores, licet pœnas graviſſimas ac perpetuas ſæpe decernant adverſum legum tranſgreſſores, non ſibi poteſtatem adimunt veniam reis concedendi, aut pœnarum ſeveritatem temperandi. Poterit ergo Deus ſupremo hoc ſuo dominio uti, & damnatis tandem ignoſcere, eoſque ab æterno ſupplicio liberare*. Ita Clericus ut ſupra, & alii.

II. Ut igitur hoc fundamentum omnino conteram, illud probandum ſuſcipio, remiſſionem illam æternæ pœnæ, quam poſſibilem jactant, poſitis iis, quæ nobis a Deo revelata ſunt in Scriptura, eſſe impoſſibilem, utpote pugnantem cum præcipuis divinis attributis, immutabilitate, veracitate, ſapientia, atque juſtitia: adeoque neceſſarium eſſe, ſin neceſſitate abſoluta, ſaltem neceſſitate, quam vocant *ſuppoſitionis*, ut Deus pœnas illas reprobis infligat, ac nunquam remittat.

III. Ut primum id oſtendam ex Dei immutabilitate, illud tamquam omnino exploratum conſtituo, quod ſi ſemel decreverit Deus punire impios contumaces ſempiterno ſupplicio, jam hoc decretum fixum & conſtans permanebit, & effectum certiſſime habiturum eſt; *non enim*, inquit S. Thomas (*a*), *poteſt eſſe quod Deus aliquid ſe facturum diſpoſuerit, quod poſtmodum ipſe non faciat: alias ejus diſpoſitio eſſet mutabilis: quod eſt impoſſibile. Nam tunc voluntas mutatur* (pergit ille) *ſi aliquis incipiat velle, quod prius non voluit, vel deſinat velle quod voluit; quod quidem accidere* non

(a) lib. 2. cont. Gen. cap. 28.

non poteſt, *niſi præſuppoſita mutatione*, *vel ex parte cognitionis*, *vel circa diſpoſitionem ſubſtantiæ ipſius volentis*: unde concludit, quod cum & ſubſtantia Dei, & ejus ſcientia ſit omnino immutabilis, immutabilem quoque eſſe ejus voluntatem neceſſe ſit. Quare ad rem plane non ſunt exempla, quæ proferunt Adverſarii ex iis, quæ in humanis ſæpe contingunt. Ideo enim Principes, aut Magiſtratus leges, vel decreta, quæ condiderant, nonnumquam abrogant, pœnaſque non infligunt, quas decreverant: quia novo aliquo adveniente motivo, aut circumſtantia, quam minime præſciverant, vel affectione ipſa mutata, conſilium quoque mutant, quod cœperant, deſinuntque velle, quod antea voluerant. Idem de Deo cogitare nefas: *non eſt enim Deus quaſi homo*, *ut mentiatur*, *neque ut filius hominis*, *ut mutetur* (*a*). Nam neque novi aliquid noſſe poteſt, quod ſemper non cognoverit, neque ullam in ſe ipſo ſubire mutationem, unde velle deſinat, quod prius voluerat. Si ergo Deus ab æterno decrevit punire impios æterno ſupplicio, fieri nequit ut hæc unquam mutetur diſpoſitio, aut impii conſtitutæ pœnæ remiſſionem aliquando conſequantur.

IV. Porro ſi ſacras litteras legimus, unde divinæ voluntatis diſpoſitiones nobis innoteſcunt, adeo manifeſtum eſt tale a Deo factum fuiſſe de impiis puniendis decretum, ut vix quidpiam aliud manifeſtius occurrat, nihilque ſuperſit unde decreta Dei cognoſcere liceat, ſi ea, quæ produximus teſtimonia, illud ſatis non manifeſtant. Quæ ſupra jam obſervata ſunt, repetere nolim. Unum duntaxat ad cumulum animadverto, Deum non ſolum decreviſſe æternam impiorum damnationem, ſed etiam decretum ſuum juramento firmaſſe, quod fixam & conſtantem voluntatis ſuæ diſpoſitionem amplius declarat. Sic enim legimus in Pſal. 94.: *iſti non cognoverunt vias meas*, *ut juravi in ira mea*, *ſi introibunt in requiem meam*: hoc eſt, *ipſi non cognoverunt ſemitas*, *in quibus homines ambulare præcepi*, *ſive leges contempſerunt*, *quas iiſdem impoſui*: *propterea ego illis juravi*, *ſeu irrevocabilem ſententiam protuli*, *quod non introibunt in requiem meam*, *ideſt in locum conſolationis*, *& quietis*, *quem illis promiſeram*. Fateor hic ſermonem eſſe tum de Judæis, qui egreſſi ſunt de Ægypto, tum de terra Canaam, quam Deus pollicitus fuerat Patribus eorum; ita tamen, ut per terram illam ſimul ſignificetur Beatorum Patria, ubi eſt perfecta requies, ac felicitas, & qua firmo & immutabili decreto excluduntur, qui divinis legibus parere noluerunt. Hanc enim in illa adumbratam fuiſſe expreſſe tradit S. Paulus in Epiſt. ad Hebræos cap. 3., & 4., eademque Dei verba de excluſione tum a terra promiſſionis, tum a cæleſti Patria, & Sanctorum requie intelligit: atque adeo quemadmodum ex illa decreto immutabili ejecti ſunt Hebræi, ita eodem immutabili decreto ejiciuntur ex iſta rebelles homines *in tenebras exteriores*, *ubi erit fletus*, *& ſtridor dentium*.

V. Hoc ſibi argumentum opponit Tilotſonus, atque unice reſpondet, ex illo duntaxat colligi poſſe reprobos nunquam eſſe ſalvandos, non tamen perpetuo ſupplicio plectendos, ſive aliis verbis, illud Dei teſtimonium juramento confirmatum, evincere quidem æternam reproborum excluſionem a gloria cæleſti, de qua ſolum loquitur, non autem æternum ignis, aut poſitivæ pœnæ cruciatum, de quo nihil ſtatuit.

VI. Verum hæc reſponſio in primis totum peſſundat Origeniſtarum ſyſtema, qui Apocataſtaſim aliquando futuram contendunt, & impios omnes nedum ab inferni ſuppliciis liberandos, ſed & in gloriam beatorum admittendos. Ac deinde nec ipſa conſiſtit. Nam ſi ſemel hoc conceditur impios nunquam regnum Dei eſſe conſecuturos, jam ſine ullo fundamento, immo contra expreſſa Scripturæ verba aſſeritur, eos paſſuros non eſſe æterna ſupplicia. Nam in finali ſupremi Judicis ſententia, duo illa æque conjunguntur, excluſio videlicet a Regno Dei, & æternus cruciatus. *Diſcedite*, inquit, *a me maledicti*: en excluſio a

(a) 1. par. q. 19. art. 7.

ſio a beatitudine: *in ignem æternum*: en pœnæ perpeſſio. Si igitur æterna futura eſt excluſio a beatitudine, cur æterna quoque dicenda non erit tolerantia pœnarum? Id clarius etiam exprimitur in executione terribilis ſententiæ: *& ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. Utraque eadem voce *æterna* dicuntur, tam ſupplicium, quam vita. Si igitur æterna erit vita, qua fruentur electi, ad quam nunquam reprobi admittentur, quid ſupereſt niſi ut in igne ſemper ſint, qui in vita nunquam erunt? Idem evincitur ex aliis ſententiis, in quibus æternitas igni comburenti, aut crucianti damnatos frequentius affigitur, ut omnibus innoteſceret eos tum privativa, tum poſitiva pœna æternum eſſe puniendos. Nec refert, quod in iis juramentum ſuum Deus non appoſuerit; quoniam eo modo, iis verbis, ac phraſibus efferuntur, quæ juramento æquivalent, ſeu quæ perinde immutabilitatem divini decreti enunciant.

VII. Joannes Clericus, cum plane perſpiceret hujuſce reſponſionis imbecillitatem, eaque prodi Origeniſtarum cauſſam, aliam adoptat, ut verborum Pſalmi vim eludat, quæ tamen non minus inepta eſt. Sic enim ſcribit in notis ad Tilotſoni ſermonem (a): „ non omne id, quod convenit typo, „ convenire neceſſe eſt etiam antity- „ po. Unde Scholaſtici dicunt, nul- „ lum ex ſymbolis deduci poſſe argu- „ mentum, niſi cum Scriptura ipſa ma- „ nifeſtat Deum in aliquo facto, vel „ ſententia reſpexiſſe ad aliquid ulte- „ rius ſignificandum. Quapropter ex „ quo Deus juramento confirmave- „ rit Judæorum a terra promiſſa ex- „ cluſionem, idem dicendum non eſt „ de excluſione reproborum ab æterna „ gloria. „

VIII. At Clericus ita reſpondens propriis ſe armis proſternit. Ex ſymbolis ergo argumentum ſolum deduci poteſt, cum aliquid figuratum & adumbratum in illis Scriptura ipſa manifeſtat. Doctrinam hanc Theologorum, quam profert, lubens ego recipio, & ex ea ſic adverſum ipſum argumentum conficio. D. Paulus in *Epiſt. ad Hebræos Cap.* 3. & 4. memorata Pſalmi verba plu- ries recitat, eaque, quæ dicta ſunt de temporaria terræ promiſſæ requie, a qua propter duritiam cordis & incredulitatem ejecti ſunt Judæi, refert ad æternam requiem, & felicitatem Patriæ cæleſtis, a qua excluduntur omnes, qui illorum veſtigiis inſiſtunt. *Quibus*, inquit Apoſtolus, *juravit non introire in requiem ipſius, niſi illis, qui increduli fuerunt?.... Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe. Etenim & nobis nunciatum eſt, quemadmodum & illis: ſed non profuit illis ſermo auditus non admixtus fidei ex iis, quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus, quemadmodum dixit: ſicut juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam &c.* Et alia plura de hac re ibidem habet S. Paulus, quibus liquidum eſt ad utramque requiem temporariam, & æternam ea verba referri, quæ Deus juramento firmare voluit, ut penitus irrevocabile eſſe decretum ſuum ſignificaret.

IX. Verum nedum cum Dei immutabilitate, ſed etiam cum ejus veracitate pugnat remiſſio illa æternæ pœnæ, quam poſſibilem venditant Adverſarii. Ad veracitatem enim pertinet, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 109., ut ſigna, quæcumque ea ſint, vel verba, vel facta, ſignatis adæquentur: ſicut mendacium eſt, cum rei ſignatæ ſignum non conſentit. Deus autem firmiſſimum ſuę voluntatis decretum de impiis in ęternum puniendis & verbis, & factis apertiſſime ſignificavit. Ut ergo ſibi conſtet divina Veracitas, neceſſum eſt ut impii in æternum puniantur. Id amplius manifeſtum facio. Si Scripturas ſacras conſulimus, in quibus locutus eſt Deus, & arcana decreta ſua homi-

(a) Tom. 8. Biblioth Selectæ.

nibus patefecit, nemo ambigere jure poteſt, quin ipſe conceptiſſimis, & clariſſimis verbis ſignificaverit æternum eſſe impiorum ſupplicium, ut cum dixit, *vermis eorum non morietur*, *& ignis &c. ibunt in ſupplicium æternum*, *dabunt pœnas in æternum a facie domini*, *cruciabuntur in ſæcula ſæculorum*, & his ſimilia: quæ teſtimonia nullum alium, præter nativum & obvium, ſenſum legentibus ingerunt, ut Adverſarii fatentur, nec alio in ſenſu explicari queunt. Si igitur Deus aliquando impios ab Inferni pœnis eriperet, a mendacio vindicari nullatenus poſſet: tunc enim *vermis eorum reapſe moreretur*, *& ignis eorum extingueretur*, *non darent pœnas in æternum a facie Domini*, *non cruciarentur in ſæcula ſæculorum &c.*: ut nemo non videt. Fac, amabo, hominum quempiam paria locutum eſſe, e. c. Principem, aut Judicem damnantem reum ad carcerem perpetuum: quod nempe, *ſemper ibi delictorum pœnam exſolvet*, quod *nunquam inde egredietur*, quod *in eo manebit quouſque vivet*, quod *veniam non erit impetraturus*, *&c.* nonne ſi ipſum tandem e carcere liberaret, alterutrum dicendum eſſet, vel ſcilicet mutaſſe conſilium, vel fuiſſe mentitum, dum ea verba proferret? Idem ergo merito dici poſſet de Deo, ſi æterna non foret impiorum pœna tot luculentiſſimis teſtimoniis ab ipſo confirmata.

X. Rem magis adhuc declaro propoſito ex pluribus exemplo Prophetiæ a Chriſto factæ de excidio Hieruſalem. Narrat S. Lucas Cap. 19. quod cum Jeſus appropinquaret Hieruſalem, videns civitatem flevit ſuper illam, atque hæc inter alia cum lacrimis effatus eſt: *venient dies in te*, *& circumdabunt te inimici tui vallo*, *& circumdabunt te*, *& coanguſtabunt te undique*, *& ad terram proſternent te &c. eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*. Prophetiam hanc omnino fuiſſe completam certo ſcimus. Sed finge modo, hypotheſis loco, id Civitati Hieruſalem non contigiſſe, quod a Chriſto prædictum fuerat, nonne Chriſtus falſum prænunciaſſet, & vel diſcipulos, quos alloquebatur, decepiſſet, vel deceptus ipſe fuiſſet? Nemo id certe negaverit, cum memorata verba eo pacto, iis circumſtantiis prolata nihil aliud ſignificent, quam ingratæ civitatis excidium in pœnam nequitiæ ſuę reapſe ſecuturum. Ex hoc itaque exemplo ſic arguo. Quæ de æterno impiorum exitio prędicuntur in ſacris libris, pari modo, immo longe frequentius, ac luculentius expreſſa ſunt, ac Hieruſalem everſio, ut ex textibus a me allatis manifeſtiſſime conſtat: igitur potiori titulo falſitatis convincerentur tot divinæ prædictiones, ſi exitium illud ęternum non eſſet, ſed aliquando finem haberet.

XI. Atque ex hoc corruit omnino objectio ſupra propoſita & ſoluta ex Prophetia facta Ninivitis, quam hic Adverſarii rurſus obtrudunt. Quamquam enim in illa comminatione, *adhuc quadraginta dies*, *& Ninive ſubvertetur*, expreſſa non fuerit conditio, *niſi pœnitentiam egiſſent*, facile tamen & ex modo ipſo loquendi, & ex circumſtantiis ſubintelligi poterat, & reipſa ſubintellecta fuit a Ninivitis. Unde nihil deperit Prophetiæ veritati. Atque ita pariter ſub conditione intelliguntur minæ æternæ damnationis factæ a Deo peccatoribus in hac mortali vita degentibus, *niſi* nempe *pœnitentiam agant antequam decedant*, juxta illud Chriſti Domini: *niſi pœnitentiam egeritis*, *omnes ſimiliter peribitis*. Cæterum peracto hujus vitæ curſu, abſolutoque omnium judicio, non relinqui amplius ſalutari pœnitentiæ locum, ſed ſolam ſupereſſe delictorum pœnam ſine fine luendam divina Veritas diſerte teſtatur. Unde ſicut impoſſibile eſt mentiri Deum, ſic impoſſibile eſt hujuſce æternæ pœnæ remiſſionem fieri.

XII. Demum fictitia illa ęternæ pœnę remiſſio repugnat etiam Dei ſapientiæ, atque juſtitiæ. Sapientiæ quidem: nam ut admittamus (inquit Batavus quidam Author (*a*)) homines aliquando

(a) M. Bernarde traité de l' excelence de la Religion Tom. 2 lib. 4. cap. 7.

do minari pœnas, quin ſemper minas ad executionem deducant; at profecto haud ſapiens haberetur ab omnibus Princeps, qui legem aliquam conderet omni tempore duraturam, & in ejuſdem tranſgreſſores pœnam vel mortis, vel carceris perpetui decerneret, quin tamen reipſa unquam perficeret, quod minatus eſt. Ita namque ſe gerens, ſatis oſtenderet ejuſmodi pœnam decretam fuiſſe re bene non conſiderata, nec maturo conſilio diſcuſſa. Idem ergo opinari fas eſſet de ſupremo Legiſlatore Deo, ſi pœnas æternas in legum ſuarum contemptores ſanxiſſet, quas tamen nemini infligeret, ſed fontes omnes ab iiſdem liberaret juxta Adverſariorum hypotheſim.

XIII. Quod autem etiam divinę juſtitiæ repugnet, ſaltem juxta ordinem a Deo ſapientiſſime conſtitutum, ex iis colligitur, quæ leguntur in Apocalypſi cap. 19., ubi S. Joannes hæc refert: *poſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in cælo dicentium, alleluja: ſalus & gloria, & virtus Deo noſtro, quia vera & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit de meretrice magna &c. & iterum dixerunt, alleluja: & fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum*. Ex hoc teſtimonio apparet juſtum dici Deum, ac juſtitiæ nomine a Sanctis & electis Spiritibus commendari, quod judicavit de muliere meretrice, eamque ad pœnam *in ſæcula ſæculorum* duraturam damnaverit. Igitur neceſſe eſt, ut ejuſmodi ęterna pœna divinæ juſtitię conſentanea ſit: adeoque nonniſi eidem diſſentanea dicenda eſt ejuſdem pœnę remiſſio, quam Adverſarii futuram ſtultiſſime confidunt.

CAPUT XI.

Num ſaltem impiorum aliqui ex æternis ſuppliciis demum eruendi ſint. Variæ de hac re quorumdam veterum, ac recentiorum opiniones, quas Dei verbo adverſari luculenter evincitur. Nullius momenti ſunt, quæ in eorum defenſionem proferuntur. Purgatur S. Hieronymus a ſuſpicione, quod Chriſtianos omnes a ſempiterno exitio tandem liberandos docuerit.

I. EXtitere nonnulli origeniano furfure conſperſi, qui tot ſcripturarum apertiſſimis documentis convicti, pœnarum inferni æternitatem tandem admiſerunt. At *quadam miſericordia moti, & humano affectu errantes*, ut inquit Auguſtinus, ſin minus damnatos omnes, prout ſenſit Origenes, quoſdam ſaltem *poſt certi temporis metas pro cujuſque peccati quantitate longioris, ſive brevioris*, ex æternis ſuppliciis liberandos, & Beatorum choro ſociandos eſſe credidere. Horum varias opiniones recitat Sanctus idem Auguſtinus *lib.* 2. *de Civit. Dei cap.* 17. & ſequentibus, & ex ipſo Sanctus Thomas *in q. diſt.* 46. *q.* 2. Alii namque dixerunt malos quidem Angelos æternum eſſe puniendos, non tamen homines, quorum non *obliviſcetur miſereri Deus*, ſed poſt diuturna exoluta ſupplicia, ad vitam ęternam perducet. Alii non omnes homines hanc Dei miſericordiam conſecutos eſſe putaverunt, ſed ſolos Chriſtianos, ſive *Chriſti baptiſmate ablutos, qui participes fiunt corporis ejus quomodolibet vixerint, in quacumque hæreſi, vel impietate fuerint*, tum propter ea verba, *qui perſeveraverit uſque in finem*, in fide ſcilicet, ut explicabant, *ſalvus erit*: tum propter illa: *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit, ut ſiquis ex ipſo manducaverit non moriatur. Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi: ſiquis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*. Alii ſolis catholicis in Eccleſiæ gremio perſeverantibus, quamvis in ea male viventibus, hoc divinæ pietatis beneficium promittebant, *per ignem* videlicet *ſalvandos merito fundamenti*, de quo ait Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 3., *fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Siquis autem ædificat ſuper fundamentum hoc &c., uniuſcujuſque opus manifeſtabitur. Dies enim declarabit: quoniam in*

igne

igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus permanſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus arſerit, damnum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Dicebant ergo, ſequitur Auguſtinus, *cujuſlibet vitæ catholicum Chriſtianum Chriſtum habere in fundamento: quod fundamentum nulla hæreſis habet a corporis ejus unitate præciſa. Et ideo propter hoc fundamentum, etiamſi malæ vitæ fuerit Catholicus Chriſtianus &c. poſt pœnas ignis illius liberari, quo igne in ultimo judicio punientur mali.*

II. Alii denique exiſtimarunt *eos tantummodo arſuros illius æternitate ſupplicii, qui pro peccatis ſuis facere dignas eleemoſynas negligunt, juxta illud Apoſtoli Jacobi: judicium autem ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. Qui ergo fecerit*, inquiebant, *quamvis mores in melius non mutaverit, ſed inter ipſas ſuas eleemoſynas nefarie ac nequiter vixerit, judicium illi cum miſericordia futurum eſt, ut aut nulla damnatione plectatur, aut poſt aliquod tempus ſive parvum, ſive prolixum ab illa damnatione liberetur*. In horum numero eos quoque ponebant, qui injurias ipſis illatas libenti animo dimiſiſſent, juxta illud: *ſi dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis & Pater veſter peccata veſtra*.

III. Veterum horum opinationes non omnino diſplicuerunt quibuſdam ex recentioribus. Primam quidem, quæ omnium hominum, non autem Dæmonum liberationem & ſalutem futuram ponit, veluti improbabilem univerſi omnes rejiciunt. Eadem quippe momenta, quę aditum ſalutis malis Angelis intercludunt, intercludunt etiam malis hominibus. Nam ut egregie diſſerit S. Auguſtinus *cap.* 23. *ejuſdem libri* 21. *de Civit.* „ nec alia cauſſa, nec juſtior, atque manifeſtior inveniri poteſt, cur veriſſima pietate teneatur fixum & immobile, nullum regreſſum ad juſtitiam, vitamque Sanctorum Diabolum, & Angelos ejus habituros, niſi quia Scriptura, quæ neminem fallit, dicit eis Deum non peperciſſe, & ſic ab illo eſſe interim prædamnatos, ut carceribus caliginis inferi retruſi traderentur ſervandi, atque ultimo judicio puniendi, quando eos æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in ſæcula ſæculorum. Quod ſi ita eſt, quomodo ab hujus æternitate pœnæ vel univerſi, vel quidam homines poſt quamtumlibet temporis ſubtrahentur, & non ſtatim enervabitur fides, qua creditur ſempiternum Dæmonum futurum eſſe ſupplicium? Si enim quibus dicetur: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*, vel univerſi, vel aliqui eorum non ſemper ibi erunt, quid cauſſæ eſt cur Diabolus, & Angeli ejus ſemper ibi futuri eſſe credantur? An forte Dei ſententia, quæ in malos & Angelos, & homines proferetur, in Angelos vera erit, in homines falſa? Ita plane hoc erit, ſi non quod Deus dixit, ſed quod ſuſpicantur homines, plus valebit. Quod fieri quia non poteſt, non argumentari adverſus Deum, ſed divino potius, dum tempus eſt, debent parere præcepto, qui ſempiterno cupiunt carere ſupplicio „. Sed & pluribus aliis argumentis idem ſomnium diſſlatur, quæ prætereo.

IV. Rejecta igitur hac ſententia, recentes nonnulli haud omni veriſimilitudinis colore deſtitutum credunt aliorum placitum, qui ab æterna pœna aliquando eruendos dixere omnes Chriſtianos, qui fidem nempe Chriſti ſuſceperunt, in eaque defuncti ſunt, licet ob crimina, quæ in hac vita commiſerunt, audire meruerint a Chriſto Judice: *diſcedite a me maledicti in ignem æternum* (a), ſibique favere putant maximum Eccleſiæ Doctorem S. Hieronymum. Alii ad eos duntaxat hanc gratiam extendunt, qui miſericordiæ, aliarumque virtutum operibus inſignes fuere. Alii vero nihil de hac re definiri poſſe fatentur; ſperan-

(a) Vide. Tom. 7. Bibliothecæ ſelectæ Joan. Clerici.

Digitized by Google

randum tamen eſſe dicunt de divina bonitate, quod eos a ſempiterna miſeria ereptura ſit, quos venia ac ſalute minus indignos ipſa judicaverit.

V. Verum hæ omnes ſententiæ adverſantur Eccleſiæ Catholicæ ſenſui, ac doctrinæ, legibuſque de hominum ſalute a divina Providentia conſtitutis, quæ ex ſacris litteris, ac perenni traditione nobis innoteſcunt. Nec lubet, nec neceſſe eſt omnes ſingillatim ad trutinam revocare, ac peculiaribus argumentis refellere. Quædam tantum generatim animadverto, quę abunde ſunt ad plenam omnium confutationem. Primo omnes contradicunt disertę Apoſtoli ſententiæ, quam ſupra propoſuimus, nempe ad Galatas ., ubi ait: *manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, impudicitia, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Quæ ſententia*, inquit Auguſtinus, *falſa eſt, ſi tales poſt quantalibet tempora liberati regnum Dei poſſidebunt. Porro ſi in regni Dei poſſeſſionem nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur: quoniam non eſt locus medius, ubi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in regno.* Huic Apoſtoli ſententiæ alia ejuſdem conſona eſt, quam habet 1. ad Corint. 6., *iniqui regnum Dei non poſſidebunt:* non dixit, *infideles, Apoſtatæ, Hæretici*, ſed univerſim, *iniqui*, ut oſtenderet nemini, qui inique vixerit, ullam relictam eſſe ſpem conſequendæ ſalutis, & vitandæ damnationis æternæ.

VI. Idem præterea evincitur ex omnibus illis Scripturæ locis, quæ ſempiternas pœnas peccantibus denunciant, ac nullum ab hac generali lege excipiunt, niſi qui peccata in hac vita per pœnitentiam expiaverit, & remiſſionem conſecutus fuerit. Quare peccatum omne, quodcumque illud ſit, quod a Dei gratia & charitate excludit, excludit etiam ab æterna vita, reumque facit hominem æternę punitionis. Hinc in finali ſententia Chriſti Judicis, qua reprobos ad ignem ęternum damnabit, de ſola omiſſione operum miſericordię mentio fit, ut inde colligeremus potiore jure ſupplicio nunquam defituro punienda eſſe alia peccata, ſi tali ſupplicio puniuntur, quæ cęteris leviora videntur.

VII. Ulterius quod Chriſtiana fides, quam plures amplexi ſunt, aut baptiſma quo in Chriſto renati fuerunt, nullum iis fundamentum præbeat ſperandi liberationem ab igne ſempiterno, ſi male vixerint, nec mores ſuos ad fidei amuſſim compoſuerint, ex eo manifeſte conſtat, quod potius ob eximium illud Dei beneficium, quo pravis operibus abutuntur, majori pœna digni reddantur, quam infideles, quibus lux Evangelicæ veritatis nunquam affulſit, nec peculiaribus gratiæ donis locupletati ſunt. Hinc Paulus inclamat ad Hebræos cap. 10.: *voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis ęmulatio, quę conſumptura eſt Adverſarios. Irritam quis faciens legem Moyſis, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Quod & Sanctus Petrus monet Epiſt. 2. cap. 2.

VIII. Denique nec ullius momenti ſunt ea, quibus movebantur, aut moventur Adverſarii. Primum deſumptum ex verbis Chriſti apud Matth. ita diluit S. Auguſtinus: „ nec illi in perditis & damnabilibus moribus debent „ eſſe ſecuri, qui uſque in finem quidem velut in communione Eccleſiæ „ Catholicæ perſeverant, intuentes quod „ dictum eſt: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*: & per vitę iniquitatem ipſam vitę juſtitiam, quod „ eis Chriſtus eſt, deſerunt; ſive fornicando &c., ſive aliquid eorum agendo, de quibus ait Apoſtolus a

quo-

„ *quoniam qui talia agunt, regnum Dei* „ *non poſſidebunt*: ac per hoc quicum- „ que agunt talia, niſi in ſempiterno „ ſupplicio non erunt, quia in Dei re- „ gno eſſe non poterunt. In his enim „ perſeverando uſque in hujus vitæ fi- „ nem, non utique dicendi ſunt in Chri- „ ſto perſeveraſſe uſque in finem; quia „ in Chriſto perſeverare, eſt in ejus fide „ perſeverare: quę *fides*, ut eam definit „ idem Apoſtolus, *per dilectionem opera-* „ *tur*. Nec iſti ergo dicendi ſunt mandu- „ care corpus Chriſti; quoniam nec in „ membris computandi ſunt Chriſti. „ Ut enim alia taceam, non poſſunt „ eſſe & membra Chriſti, & membra me- „ retricis „. Poſtrema hęc verba, & Chriſti ſententię ſenſum magis declarat S. Thomas loco ſupra citato inquiens: „ verbum Domini intelligi- „ tur non de illis, qui tantum ſacra- „ mentaliter edunt, qui indigne quan- „ doque ſumentes *judicium ſibi mandu-* „ *cant*, & *bibunt*, ut dicitur 1. ad „ Corinth. 11.; ſed loquitur de man- „ ducantibus ſpiritualiter, qui per cha- „ ritatem ei incorporantur: quam in- „ corporationem facit ſacramentalis co- „ meſtio, ſiquis digne accedat. Unde, „ quantum eſt ex virtute ſacramenti, „ ad vitam ęternam perducit: quamvis „ aliquis poſſit tali fructu privari per „ peccatum, etiam poſtquam digne ſum- „ pſerit. „

IX. Alterum vero quod teſtimonio nititur Apoſt. Pauli 1. ad Corint. Cap. 3. ſic excipit Sanctus idem Auguſtinus Cap. 26.: „ reſpondeat eis breviter A- „ poſtolus Jacobus: *ſiquis dicat ſe fidem* „ *habere: opera autem non habeat, nun-* „ *quid poterit fides ſalvare eum?* Et quis „ eſt, inquiunt, de quo dicit Apoſto- „ lus: *ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen* „ *quaſi per ignem?* Simul quis iſte ſit, „ inquiramus; hunc tamen non eſſe cer- „ tiſſimum eſt, ne duorum Apoſtolorum „ ſententias mittamus in rixas, ſi unus „ dicit: *etiamſi mala opera quis habue-* „ *rit, ſalvabit eum fides per ignem*; alius „ autem: *Si opera non habeat, nunquid* „ *poterit fides ſalvare eum?* Inveniemus „ ergo quis poſſit ſalvari per ignem, ſi „ prius invenerimus, quid *ſit habere in* „ *fundamento Chriſtum*. Quod ut de ipſa „ ſimilitudine quantocyus advertamus: „ nihil in ędificio prępónitur fundamen- „ to. Quiſquis itaque ſic habet in corde „ Chriſtum, ut ei terrena, & tempora- „ lia, nec ea, quę licita ſunt, atque con- „ ceſſa, prępont, fundamentum habet „ Chriſtum. Si autem pręponit, etſi vi- „ deatur habere fidem Chriſti, non eſt „ tamen in eo fundamentum Chriſtus, „ cui talia pręponuntur: quanto magis „ ſi ſalutaria pręcepta contemnens com- „ mittat illicita, non prępoſuiſſe Chri- „ ſtum, ſed poſtpoſuiſſe convincitur, „ quem poſthabuit imperantem, ſive „ concedentem, dum contra ejus impera- „ ta, ſive conceſſa ſuam per flagitia dele- „ git explere libidinem? „ Exponitque ſubinde pluribus legitimum Paulinę ſententię ſenſum, cujus fuſiorem interpretationem ita paucis contrahit S. Thomas ad 3.: dicendum, quod fundamen- „ tum in verbis Apoſtoli intelligitur fi- „ des formata, ſupra quam, qui pec- „ cata venialia ędificaverit, detrimen- „ tum patietur; quia pro eis punietur „ a Deo. *Ipſe tamen ſalvus erit* finali- „ ter *quaſi per ignem* vel temporalis tri- „ bulationis, vel pœnæ purgatoriæ, „ quæ poſt mortem erit, „

X. Ea demum teſtimonia, quę Dei miſericordiam miſericordię opera facientibus pollicentur, non favere iis, qui vita in melius non commutata decedunt, oſtendit idem S. Pater *Cap.* 27. aſſumitque in argumentum id, quod ultro fatebantur, qui ſpem in illis ponebant, *digna* nempe *peccatis* eſſe oportere hujuſmodi opera, eoſque ſic egregie revincit: „ ſed bene, quod iſti *dignas* pro „ peccatis commonent eleemoſynas eſſe „ faciendas; quoniam, ſi dicerent, qua- „ leſcumque eleemoſynas pro peccatis & „ quotidianis, & magnis, & quantacum- „ que ſcelerum conſuetudine miſericor- „ diam poſſe impetrare divinam, ut ea „ quotidiana remiſſio ſequeretur, vide- „ rent rem ſe dicere abſurdam, atque „ ridiculam. Sic enim cogerentur fateri „ fieri poſſe, ut opulentiſſimus homo „ decem nummulis diurnis in elee-

„ moſy-

Digitized by Google

„ moſynam expenſis, homicidia, & adul- „ teria, & nefaria quæque redimeret. „ Quod ſi abſurdiſſimum, & inſaniſſi- „ mum eſt dicere; profectò ſi quæra- „ tur, quæ dignæ ſint pro peccatis elee- „ moſynæ, de quibus etiam Chriſti Præ- „ curſor ille dicebat: *facite ergo fructus* „ *dignos pœnitentiæ;* procul dubio non „ invenientur eas facere, qui vitam ſuam „ uſque ad mortem quotidianorum cri- „ minum perpetratione confodiunt. Pri- „ mum, quia in auferendis rebus alienis „ longe plura diripiunt, ex quibus pere- „ xigua pauperibus largiendo, Chriſtum „ ſe ad hoc paſcere exiſtimant, ut li- „ centiam malefactorum ab illo ſe emiſ- „ ſe, vel quotidie potius emere creden- „ tes, ſecuri damnabilia tanta commit- „ tant. Qui ſi pro uno ſcelere omnia ſua „ diſtribuerent indigentibus membris „ Chriſti, niſi deſiſterent a talibus factis, „ habendo charitatem, quæ non agit per- „ peram, aliquid eis prodeſſe non poſ- „ ſet. Qui ergo dignas pro ſuis peccatis „ eleemoſynas facit, prius eas facere in- „ cipiat a ſe ipſo. Indignum eſt enim ut „ in ſe non faciat, qui facit in proxi- „ mum, cum audiat dicentem Domi- „ num; *diliges proximum tuum tamquam* „ *te ipſum*: itemque audiat: *miſerere* „ *animæ tuæ placens Deo*. Hanc elee- „ moſynam, ideſt, ut Deo placeat, non „ faciens animæ ſuæ, quomodo dignas „ pro peccatis ſuis eleemoſynas facere di- „ cendus eſt?... Propter hoc ergo elee- „ moſynæ faciendæ ſunt, ut cum de præ- „ teritis peccatis deprecamur, exaudia- „ mur, non ut in eis perſeverantes li- „ centiam male faciendi nos per elee- „ moſynas comparare credamus. Ideo „ autem Dominus & dextris eleemoſynas „ ab eis factas, & ſiniſtris non factas ſe „ imputaturum eſſe prædixit, ut hinc „ oſtenderet, quantum valeant eleemoſy- „ næ ad priora delenda, non ad per- „ petua impune committenda peccata. „ Tales autem eleemoſynas non dicendi „ ſunt facere, qui vitam nolunt a con- „ ſuetudine ſcelerum in melius commu- „ tare. „ Pergit deinde Auguſtinus alias id genus Scripturæ authoritates diluere, ad quem Lectorem remittimus, neque enim juvat in his ſolvendis diutius immorari: cum nemo hodie ſit, qui eas alicujus ponderis eſſe putet ad opinationem Adverſariorum comprobandam.

XI. Unum illud piaculare eſſet intactum omnino præterire argumentum, quod ex S. Hieronymi authoritate petitur, & non leve eruditis negotium faceſſit. Refert S. Doctor in calce Commentariorum in Iſaiam ſententiam Origenis de Gehennæ pœnarum fine aliquando futuro, & Scripturarum momenta, quibus hanc Origeniſtæ ſententiam defendebant, ipſique nullam notam inurit, quinimmo addit: *quod nos Dei ſolius debemus ſcientiæ derelinquere, cujus non ſolum miſericordiæ, ſed & tormenta in pondere ſunt, & novit quem, quomodo, & quandiu debeat judicare.* Deinde vero eo deſcendit, ut ſolos Dæmones, Atheos, & a fide alienos ſempiternis mactandos eſſe ſuppliciis affirmet, Chriſtianos autem poſt expiationem malefactorum ſuorum eſſe liberandos. *Et ſicut Diaboli*, inquit, *& omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tormenta; ſic peccatorum, atque impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementia ſententiam Judicis.* Quibus paria ſcribit in Dialogo contra Pelagianos dicens: *Si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui & Diabolum, & ſatellites ejus, omneſque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo: & Chriſtianos, ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas.* Quem locum maxime ſugillant Petavius *lib. 3. de Angel. cap. 7.*, & Daniel Huetius *in Origenianis lib. 2.*

XII. Quamquam hæ Hieronymi authoritates ſatis apertæ videantur, nemo tamen prudens ſibi perſuadebit ipſum in ea fuiſſe ſententia, ut malos omnes Chriſtianos ab æternis ſuppliciis ereptum iri crediderit, qui ſerio perpendat, tum ea loca, quæ affatim infra producemus,

mus, in quibus nedum Dæmonum, ſed & cæterorum quorumvis qui ex hac vita lethali culpæ obnoxii deceſſerint, æternam punitionem expreſſe aſſerit, ac tamquam fidei dogma profitetur: tum ea duntaxat, quæ docet in eodem commentario Iſaiæ. Nam cap. 5. cum verba illa Prophetæ, *dilatavit infernus animam ſuam*, ad Judæos retuliſſet, *quos* ait *infernum abſque ullo numero & ſatietate devoraſſe in perpetuum puniendos*; continuo ſubjicit: *quidquid de populo diximus Judæorum, tropologice referri poteſt ad eos, qui ſæculi deliciis occupati, nec reſpicientes opera Dei, captivi ducuntur in peccatum, & non habent ſcientiam Dei: & idcirco fame, & ſiti pereunt bonorum operum atque virtutum: & detrahentur in Gehennam, ibique ÆTERNIS cruciatibus deputati, potentiam, & ſuperbiam miſeria cernent, & humilitate mutari*. Et eodem capite objecto: *in eo peccator maledictus erit, quod incorrupto corpore pœnas patietur æternas:* ubi vides Hieronymum univerſim loqui de peccatore, ſive infidelis ſit, ſive Chriſtianus. Et paulo poſt idem repetit de omnibus *prævaricatoribus*, ſeu qui Dei leges non euſtodiunt. Quæ & alia hujuſmodi adeo clara ſunt, ut Petavius nihil aliud reponendum duxerit, quam *Hieronymum ſæpe pugnantes invicem ſententias variis in locis ponere conſueviſſe*. Sed quis craſſam adeo incogitantiam admiſerit in Sancto Doctore, ut etiam pugnantia ſcriberet in eodem commentario, immo in eodem commentarii capite?

XIII. Quare alia plane reſponſio adhibenda eſt objecto ex commentariis in Iſaiam teſtimonio. Et primo quidem generatim reſpondet Sanctus ipſe Hieronymus diſputans contra Ruffinum talia quædam eidem objicientem, *ſe in commentariis, ut ſe habet lex & conſuetudo commentariorum multa ex aliorum ſententia non approbando, ſed referendo tantum dixiſſe:* quod & repetit *in præfatione commentarii in Hieremiam*. Ut hanc reſponſionem confirmet V. Cl. Dominicus Vallarſius ad locum citatum adnotat verba Hieronymi dicentis ibidem: *porro qui volunt ſupplicia aliquando finiri &c. his utuntur teſtimoniis*, ſubditque: „ plane igitur injurioſi in „ Hieronymum ſunt, qui eum conſen- „ tire calumniantur illis, qui terminum „ habitura malorum hominum tormen- „ ta ſomniant, & probare conati ſunt. „ Liquet enim non ſuo illum ſenſu, „ ſed tantum ex Commentatoris officio „ teſtimonia in eam partem hic reci- „ tare. „ Cæterum quod præcipue attinet ad oppoſita verba, ea non hujuſmodi ſunt, ut in catholico ſenſu, quem ſæpe alibi Hieronymus diſertiſſime tradit, explicari commode nequeant. Duplicem ſiquidem Damnatorum claſſem diſtinguere oportet ad Hieronymi mentem, quorum alios, quos ille *impios* vocat, ſive graviorum criminum reos, æternis, alios quos ſimpliciter appellat *peccatores (a)*, ſive quos aut peccatorum pœnituerit, aut leviora crimina obſtrinxerint, finiendis aliquando cruciatibus deputat. Sed quæ his, aut illis obtingant hæc diverſa ſupplicia merito docet, *debere nos Dei ſolius ſcientiæ derelinquere, qui novit quem, quomodo, & quandiu debeat judicare*. Quod autem addit *peccatorum, atque impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt, atque purganda, moderatam arbitrari ſe, & mixtam clementiæ ſententiam Judicis*, manifeſtum eſt de iis dici, quos ſcelerum ſuorum pœnituerit, & purgatorius ignis mundabit. Neque enim ignorabat Hieronymus Gehennæ ignem non ad delicta purganda, aut probanda homi-

(a) *Omnis impius iniquus eſt, & peccator, nec reciprocatur, ut poſſimus dicere: omnis peccator & iniquus etiam impius eſt. Impietas enim proprie ad eos pertinet, qui notitiam Dei non habent, vel cognitam tranſgreſſione mutarunt. Peccatum autem & iniquitas pro qualitate vitiorum, poſt peccati & iniquitatis vulnera, recipit ſanitatem. Idem cap. eodem paulo ante citata verba.*

hominum opera, ſed ſolum ad puniendа deſtinatum eſſe. E contrario *Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo non eſt Deus*, non dubitat æterna eſſe tormenta, in eamque damnationem venire & impios Chriſtianos, qui operibus Deum negaverint, ſi in peccatis obierint. Nec abſimili ſenſu docuit in Dialogo contra Pelagianos, *Diabolum, & ſatellites ejus, omneſque impios, & prævaricatores perire perpetuo: Chriſtianos vero ſi in peccato*, leviore ſcilicet, & juxta illud, quod adludit Pauli teſtimonium 1. *ad Cor. cap.* 3., quod Purgatorio igne mundari queat, *præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas*. Qui plura de hoc deſiderat, conſulat Natalem Alexandrum Tom. 3. Hiſtor. Eccleſiaſticæ in diſſertationibus contra Origenem, & laudatum Vallarſium in notis ad citata loca.

CAPUT XII.

Nedum terminum habituræ nunquam ſunt impiorum pœnæ, ſed neque aliquam mitigationem, ſive hæc per decrementum, ſive per intermiſſionem cruciatus explicetur. Contrariæ aliquorum ſententiæ validiſſimis Scripturæ textibus confodiuntur. His non ſuffragantur, ut falſo autumat Petavius, aut S. Auguſtinus, aut Joannes Chryſoſtomus, aliive Patres: quorum genuinus ſenſus nitide exponitur.

I. AUthores quidam inter Heterodoxos cum plenam æternæ pœnæ remiſſionem conciliari non poſſe videant cum perſpicuis ſacri eloquii ſententiis, illud non improbabile putant aliquam ſaltem futuram demum eſſe ejuſdem pœnæ mitigationem, ſive relaxationem: quam alii ita intelligunt, ut poſt acerbiora ſupplicia diu tolerata, mitiora ſuccedant: alii vero ut quibuſdam temporum intervallis pro meritorum qualitate vel brevioribus, vel diuturnioribus intermittatur. Horum opinionem, præter alios, inſinuat ſæpe citatus Franciſcus de Roches Genevenſis Epiſt. 37., in eamque ipſe propendet; inquit enim: „ Neſcimus „ an inferni pœnæ æque atroces ſem- „ per futuræ ſint, an vero aliquando „ de atrocitate remittent. Neſcimus „ an ſint habituræ quaſdam interru- „ ptiones, & quandiu hæc intervalla „ durabunt, quove in ſtatu miſeros „ damnatos relinquent (a). „ Quibus verbis ſatis declarat, nihil eſſe quod prohibeat quominus admittamus talem pœnarum inferni mitigationem, quæ vel earum acerbitas tandem minuatur, vel cruciatus intermittatur etiam per diuturna temporum ſpatia.

II. Hæc ſententia vel eo ſolum titulo rejicienda foret, quod ex genio & arbitrio conficta ſit abſque ullo penitus ſacrarum litterarum fundamento, quod nec hactenus protulerunt, qui eam ſequuntur, nec ſane proferre unquam poterunt. Sed præterea improbabilem eſſe, falſam, ac divino verbo repugnantem facile evincitur, quocumque modo explicetur pœnarum inferni mitigatio, vel per earum diminutionem, vel per frequentes interruptiones. Nam in primis, ſi de pœnæ diminutione ſermo ſit, hæc certe nunquam futura eſt quoad pœnam, quam *damni* appellant, in privatione Dei, ſive æternæ felicitatis omniumque bonorum poſitam: quam omnium graviſſimam merito cenſent Eccleſiæ Patres. Si enim Damnati nunquam ex in-

(a) Nous ignorons entierement la nature de ces Peines... Nous ne ſcavons point, ſi elles ſeront toujours egalement aigeus, ou ſi elles laiſſerout quelque relache, nous ignorons ſi elles n'auront point des interruptions, & ſi elles en ont, quelle ſera leur durée, & dans quel état ces interruptions laiſſeront les malheureux.

inferni carcere liberantur, ut conſentiunt ii, quos nunc refellimus, ſicut ſemper Dei viſione carebunt, ita nullum decrementum recipiet eorum pœna ex tanti boni carentia profecta.

III. Sed neque circa pœnam ſenſus diminutio aliqua concipi poteſt. Siquidem reprobi, cum finali Chriſti ſententia in ignem mittantur æternum, ſemper in igne ſint, oportet, adeoque ſemper etiam in cruciatu ab eodem igne illato. Deinde Iſaias de impiis teſtatur, quod *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, quam ſententiam authoritate ſua tertio confirmavit divinus Salvator. Hæc autem verba, quocumque modo explicentur voces *ignis*, & *vermis*, illud certiſſime deſignant nunquam deſituras poſitivas impiorum pœnas, ſed, ut ſine fine, ita ſine mutatione, aut mitigatione duraturas. Ulterius permanente eadem cauſſa, idem quoque neceſſe eſt permaneat effectus, qui ex ea naturali quadam conſecutione ſuboritur. Porro in damnatis perpetuo manebit peccatum, quod eſt cauſſa meritoria ſupplicii, nec ipſius pravitas ullo unquam tempore minuetur. Ergo idem etiam citra ullam diminutionem perpetuo manebit ſupplicium peccato debitum.

IV. Hæc eadem momenta labefactant modum alium explicandi pœnarum inferni mitigationem per intervalla quædam, ac veluti ferias. Sed & aliis præterea momentis convellitur. In primis enim, ut inquit Clariſſimus Eſtius *in* 4. *diſt.* 46. §. 3. „ hæc ab Origenis ſententia non diſcrepat, niſi quod „ hic viciſſitudines felicitatis, & miſeriæ poſuit: illi viciſſitudines pœnarum, & intermiſſionis, ſeu pauſationis earum; adeoque hæc doctrina reprobatur per ea omnia fere, „ quæ contra Origenem dicta ſunt de „ æternitate pœnarum ſecundum Scripturas. Viciſſitudo enim & intermiſſio rei cujuſpiam prohibet eam „ eſſe perpetuam. „ Quibus addit Scripturam edicere nedum reprobos mittendos eſſe *in ignem æternum*, ſed etiam ituros *in ſupplicium æternum*, ſive ut Auguſtinus legit *in combuſtionem æternam*: quæ verba intermiſſionem pœnarum excludunt.

V. Idem aperte colligitur ex exemplo Divitis Epulonis, de quo refert S. Lucas, quod cum eſſet in tormentis, ab Abrahamo pœnæ ſuæ mitigationem aliquam petierit, nec tamen impetraverit, ut vel unius guttæ aquæ in ejus linguam infuſione acerrimus ardoris ſui cruciatus, vel tantillum minueretur. Hoc enim facto Scriptura clare manifeſtat nullius generis pœnæ relaxationem ne breviſſimi quidem temporis intervallo ſperandam eſſe miſeris damnatis.

VI. Sed præcipue neutram pœnæ mitigationem unquam futuram convincunt, quæ in Apocalypſi leguntur tum *Cap.* 14. *V.* 11., ubi de his, qui beſtiam adoraverint, ac imaginem ejus, dicitur: *& fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die ac nocte*, tum *Cap.* 20. *v.* 10. de Diabolo, ejuſque ſectatoribus: *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*. Si damnati *requiem nullam* in ſuppliciis habebunt: Si *nocte ac die cruciandi* dicuntur *in ſæcula ſæculorum*, ſive in omnem æternitatem, nulla plane concipi debet pœnæ ipſorum diminutio, nulla intermiſſio, nullum temporis ſpatium aut intervallum nec breve, nec diuturnum, quo cruciatus expertes ſint. Hæ ſiquidem phraſes durationem indeſinentem ac perpetuam enunciant, omnemque rejiciunt interruptionem. Sic e. g. dum *Cap.* 4. *v.* 8. ejuſdem libri Apocalypſeos refertur de quatuor animalibus, quod *requiem non habebant die ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*, hymnodia illa cæleſtis nunquam interrupta, aut interrumpenda deſignatur, qua ſacrum illud triſagium Deo concinebant, Sic dum *Cap.* 7. *v.* 15. de Sanctis, qui *venerunt ex magna tribulatione, & ſunt ante thronum Dei*, dicitur, quod *ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus*, denotatur perpetuus famulatus, ac obſequium, quod jugiter exhibent divinæ majeſtati. Et eodem

in

in ſenſu eadem verba uſurpantur ab Apoſtolo 1. *ad Theſſalon. Cap.* 2. *c.* 9. *& Cap.* 3. *c.* 10., *&* 2. *Cap.* 3. *c.* 8., & paſſim in aliis Scripturæ locis.

VII. His tamen obſtare videntur aliquorum Patrum ſententiæ, quarum genuinum ſenſum exponere neceſſum eſt, ut omne adverſariis eripiamus ſui commenti præſidium. Illas proponit Petavius *lib.* 3. *de Angelis c.* 8., iiſque adductus eſt, ut crediderit Patres, quos refert, a communi Eccleſiæ doctrina hac in re diſſenſiſſe. En ejus verba, & difficultas, quæ ex Patrum ſententiis oritur, integre expoſita. „ Auguſtinus, „ inquit, in Enchiridio, damnatorum „ animas, etſi non omnino a pœnarum „ æternitate ſolvantur, ſublevari tamen „ vivorum auxiliis, eorumque mitigari ſupplicia, credit. *Cum ergo ſacrificia, ſive altaris, ſive quarumcumque „ eleemoſynarum pro baptizatis defunctis „ omnibus offeruntur, pro valde bonis „ gratiarum actiones ſunt: pro non valde malis propitiationes ſunt: pro valde malis, etſi nulla ſunt adjumenta „ mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio; aut certe ut tolerabilior „ fiat ipſa damnatio.* Et in *Cap.* 112. „ de hoc Pſalmi verſiculo, *Non enim „ obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas*, ſic „ eum interpretari vetat, ut damnatos e pœnis eximi aliquando putemus; concedit autem ut mitigari „ aliquantum eas arbitremur: *ſed pœnas*, ait, *damnatorum certis temporum intervallis, exiſtiment, ſi hoc eis „ placet, aliquatenus mitigari. Etiam „ ſic quippe intelligi poteſt manere in „ illis ira Dei, hoc eſt ipſa damnatio.* Hæc enim vocatur *ira Dei*, „ non divini animi perturbatio, ut in „ ira ſua, hoc eſt, manente ira ſua, „ non tamen contineat miſerationes „ ſuas, non æterno ſupplicio finem dando, ſed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus.

„ VIII. Ab hac opinione non videtur abhorrere Chryſoſtomus, qui, „ cum pleriſque locis ſempiternas eſſe „ Dæmonum, ac damnatorum pœnas „ egregie differat, tamen homil. in „ Epiſt. ad Philip., fidelium preces, „ eleemoſynas, & ſacrificia, quæ pro „ mortuis in Eccleſia fieri ſolent, ait „ exiguum aliquid damnatis afferre ſolatium. Hortatur enim populum, ut „ in luctu mortuorum moderetur ſibi; „ ac deflendos quidem, & perpetuo „ planctu proſequendos eos, qui in „ peccatis obierunt, velut infideles, „ catechumenos, divites, qui cum „ peccatis ſuis compenſare charitatis, „ & largitatis officia noluerunt: atque „ hos ipſos duntaxat, qui cum fide „ Chriſtiana deceſſerunt, levi illo quidem, ſed nonnullo ſolatio juvandos. *Ploremus igitur*, inquit, *iſtos, „ opitulemur ipſos pro viribus: excogitemus opem illis aliquam, parvam „ quidem, ſed quæ juvare nihilominus „ poſſit. Quinam iſtud, & qua ratione? Ut & oremus ipſi, & alios hortemur, ut pro illis orationes faciant, „ & pauperibus pro illis largiamur aſſidue. Affert ea res ſolatii aliquid.* „ Mox de Catechumenis iſta nectit: „ *Verum hoc quidem pro iis agendum, „ qui in fide deceſſerunt: At Catechumeni ne hoc quidem ſolatium percipiunt: ſed ea omni ope deſtituuntur, „ una tantum excepta. Qua tandem? „ Licet pauperibus pro ipſis erogare. „ Nonnullam ea res conſolationem ipſis „ tribuit.*

„ IX. Ergo preces, & largitiones „ in pauperes, fideles damnatos nonnihil „ ſublevant, ut levius tantummodo torqueantur: Catechumenis vero ſolæ „ eleemoſynæ opem afferunt, ſi vere iſta „ ſcripſit Chryſoſtomus. Eſt non abſimilis ea de re opinio Joannis Damaſceni in libro *de Defunctis*, in quo „ etiam damnatorum animas utilitatis „ aliquid, & laxamenti capere vivorum „ ex precibus, ac piis operibus, oſtendit; etſi poſt judicium nulla ſit ſalus „ adhibenda damnatis.

„ Denique Prudentius in hymno 5. „ per feſtum Paſchale, Dæmonibus, „ & in-

„ & inferorum incolis puſillum requie- „ tis, & relaxationis indulgeri, verſibus „ iſtis cecinit:

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub Styge feriæ
Illa nocte, ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheruntiis, &c.
Marcent ſuppliciis Tartara mitibus,
Exultatque ſui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent ſolito flumina ſulphure.

Hæc Petavius, qui ſubinde recte obſervat hanc opinionem a communi ſenſu Catholicorum eſſe alienam, & adverſus eam maximum eſſe præjudicium, quod nunquam Eccleſia pro Damnatis orare conſuevit, quod profecto faceret, ſi levari ſaltem illorum cruciatus poſſent, etſi penitus terminari non poſſent.

X. Antequam objectioni reſpondeo, illud animadverto laudatos Patres tametſi eo ſenſu intelligantur, quo intelligi vult Petavius, non idem ſentire, ac ſentiant Authores, quos modo refellimus. Quippe illi cum dicunt Damnatorum pœnas levamen aliquod, aut mitigationem recipere ex fidelium precibus, ſacrificiis, & eleemoſynis, ut ſummum loquuntur de ſtatu eorum ante finale judicium, & ſupremam Chriſti Judicis ſententiam: cum nuperi ſcriptores maxime de reproborum ſtatu poſt univerſale Judicium loquantur, & poſt illud etiam tempus reproborum pœnas mitigandas exiſtiment: quod Patres citati, ſi fortaſſe Auguſtinum excipias, potius diſerte negant.

XI. At enim vero nimium proclivis fuit Petavius in ea opinione affigenda laudatis ab ipſo Patribus, cum citra vim ullam ab ea vindicari poſſint, eorumque verba in catholico ſenſu explicari. Quod attinet ad priorem Auguſtini locum, ſomniculoſe nimium, & oſcitanter eum legiſſe videtur Petavius. Attento namque Lectori ſtatim perſpicuum eſt loqui S. Doctorem in objecto textu non de Damnatis ad ignem Inferni ſempiternum, quibus vivorum ſuffragia prodeſſe potius exerte negat, ſed de Defunctis in temporario, ac piaculari ſupplicio detentis, quem medium ſtatum, a Catholicis *Purgatorium* nuncupatum, agnoviſſe Auguſtinum dubitari nequit. Sic enim ſcribit eodem loco: „ non omnibus (ea ſuffragia) pro- „ ſunt. Et quare non omnibus proſunt, „ niſi propter differentiam vitæ quam „ quiſque geſſit in corpore? Cum ergo „ ſacrificia ſive altaris, ſive quarum- „ cumque eleemoſynarum pro baptizatis „ omnibus offeruntur, pro valde bonis „ gratiarum actiones ſunt: pro non val- „ de malis propitiationes ſunt: pro val- „ de malis, etiamſi nulla ſint adjumenta „ mortuorum, qualeſcumque vivorum „ conſolationes ſunt. „ His verbis diſtinguit aperte S. Auguſtinus tres hominum vita functorum claſſes. Alii *valde boni* ſunt, nihilque gerunt, quo vel temporaliter puniri mereantur: ac pro iſtis vivorum ſuffragia *gratiarum actiones ſunt*, neque enim indigent, ut a pœnis releventur, quas non patiuntur, cum jam ſempiternis gaudiis in cæleſti Patria fruantur. Alii *valde mali non ſunt*, ſive gravium delictorum reatu non tenentur, ſed levium duntaxat, ac venialium: ac pro iis *propitiationes* ſunt fidelium ſuffragia, ſive proſunt, ut vel a pœna, quam eluere deberent, citius liberentur, vel ſaltem eorum cruciatus mitigetur. Alii demum *valde mali ſunt*, ſeu extorres a Dei gratia, & charitate, ac lethalium flagitiorum rei: & pro iſtis oblata ſuffragia nulli penitus ſunt adjumento, ſed tantum *qualeſcumque ſunt vivorum conſolationes*. Hinc cum ſubinde docet: *quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior ſit ipſa damnatio*, de defunctis ſecundæ claſſis intelligendus eſt, quibus duntaxat aſſeruerat ſuffragia illa eſſe propitiatoria, ſeu prodeſſe vel ad liberationem, vel ad mitigationem pœnarum, quibus obnoxii ſunt: non autem de defunctis tertiæ claſſis, quibus nihil prodeſſe conceptiſſime docuerat. Et certe ſi de his etiam ea verba accipiantur, dicendum foret nedum S. Patrem crediſſe ſuffragia vivorum prodeſſe damnatis *ut tolerabilior*, ſeu mitior *ſit ipſa damnatio*, ſed etiam ut *plena fiat pœnæ remiſſio*, atque adeo ab inferis liberentur:

rentur: utrumque enim eadem ſententia complectitur. Hoc autem ab Auguſtini mente alienum eſſe quis ambigat? At Petavius deceptus videtur voce *damnationis*, quam adhibet S. Doctor, non advertens eam ad temporalem etiam punitionem ſignificandam poſſe referri. Ita enim Lucæ cap. 23. accipitur verbis illis a Sancto Latrone prolatis: *neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* Et cap. 24. *quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & Principes noſtri in damnationem mortis:* & Matth. 12., *ex verbis tuis condemnaberis*, cum de pœna verbo otioſo debita ſermo ſit. Sic etiam reos ad carcerem, exilium, vel mortem *damnatos* dicimus. Igitur & Auguſtinus eodem ſenſu hic vocem *damnationis* uſurpat, loquiturque de animabus in purgatorio loco exiſtentibus, quibus proſunt fidelium ſuffragia, vel ut mox liberentur, vel ut mitius puniantur, donec ipſæ tandem ſaltem in fine ſæculi plenam obtineant remiſſionem.

XII. Hanc eſſe Auguſtini mentem tum ex hoc ipſo loco, tum ex aliis clariſſime eniteſcit, in quibus tamquam certum omnino ponit Eccleſiam non orare pro damnatis ad ſempiternum exitium. Conſuli poteſt inter alia loca *cap. 24. lib. 21. de Civit. Dei*, ubi ſcribit: *Eccleſia nunc pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ. Nam quid maxime pro eis orat, niſi ut det illis Deus, ſicut dixit Apoſtolus, pœnitentiam, & reſipiſcant de Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ſecundum ipſius voluntatem...... ſiqui autem uſque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, nunquid jam pro eis, ideſt pro talium defunctorum Spiritibus orat Eccleſia? Quid ita? Niſi quia jam in parte Diaboli computatur, qui dum eſſet in corpore, non eſt translatus ad Chriſtum. Eadem itaque cauſa eſt cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ cauſſa eſt, ut neque nunc, neque tunc oretur pro Angelis malis: quæ itidem cauſa eſt, ut quamvis pro hominibus, tamen nec nunc oretur pro infidelibus, impiiſque defunctis. Nam pro defunctis quibuſdam vel ipſius Eccleſiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio: ſed pro his, quorum in Chriſto regeneratorum nec uſque adeo vita in corpore male geſta eſt, ut tali miſericordia judicentur digni non eſſe, nec uſque adeo bene, ut talem miſericordiam reperiantur neceſſariam non habere*. Poterat ne Auguſtinus clarioribus verbis mentem aperire ſuam, palamque facere de quibus ipſe loquatur, dum in *Enchiridio* tradit fidelium, & Eccleſiæ ſuffragia aliquibus prodeſſe poſt mortem, vel *ut ſit plena remiſſio*, vel ſaltem *ut tolerabilior fiat ipſa damnatio*? Si expreſſe negat Eccleſiæ, & fidelium preces non exaudiri pro infidelibus, impiiſque defunctis, immo nec pro ipſis orari teſtatur, quomodo de his aſſerere poterat beneficium aliquod ex fidelium ſuffragiis conſequi, ut nempe mitius puniantur?

XIII. Atque ex his colligi poteſt ſolutio alterius teſtimonii, quod Petavius opponit, deprompti ex *cap. 112. ejuſdem Enchiridii*, ſi præſertim attendatur etiam ad ſcopum, quem ſibi in eo loco præfixit Auguſtinus. Totus eſt ibi S. Pater in adſtruendo dogmate de pœnarum inferni æternitate, quod plures tunc temporis, ut ipſe refert, ſicut & nunc, *pro ſuo motu* mollire ſtudebant, & *in leniorem flectere ſententiam* ea, quę Scripturæ minabantur, *putantes in eis terribilius eſſe dicta, quam verius*. Oſtendit itaque adverſum ipſos non poſſe aliter, quam ſonant, intelligi Scripturarum verba: & objecta ſibi authoritate Pſalmi 76., cui maxime illi cauſſam ſuam fidebant: *non enim obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas*, ita reſpondet: „ hoc quidem in „ Pſalmo legitur ſancto: ſed de his ſine „ ullo ſcrupulo intelligitur, qui vaſa „ miſericordiæ nuncupantur: quia & „ ipſi non pro meritis ſuis, ſed Deo „ miſerante, de miſeria liberantur: aut „ ſi hoc ad omnes exiſtimant pertinere, „ non ideo neceſſe eſt, ut damnationem „ opinentur poſſe finiri eorum, de quibus dictum eſt: *ibunt iſti in ſupplicium* „ *æternum:* ne iſto modo putetur habi„ tura finem quandoque felicitas etiam

„ illo-

„ illorum de quibus e contrario di- „ ctum eſt: *juſti autem in vitam æternam*. „ Ac poſtea ſubjicit objecta verba, *ſed pœnas damnatorum certis temporum intervallis exiſtiment, ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari &c.* Quibus apparet non hoc Auguſtinum abſolute probabile judicaſſe, ſed ſolummodo non ita eſſe aperte hæreticum, & Eccleſiæ fidei contrarium, ſicut illud quod Adverſarii aſſerebant, finem ſcilicet habituras Damnatorum pęnas.

XIV. Quod ſpectat S. Joannem Chryſoſtomum, non ita eſſe loco laudato intelligendum, quemadmodum exponit Petavius, ex eo liquet, quod, Petavio ipſo teſte, nunquam conſuevit Eccleſia pro æternum damnatis orare, nedum ſacroſanctum offerre Sacrificium: quam Eccleſiæ conſuetudinem ignorare certe minime potuit Chryſoſtomus. Quare cum pro vita functis orationes fieri ait in Eccleſia, & eleemoſynas erogari, immo *ab Apoſtolis ſancitum eſſe, ut in celebratione venerandorum myſteriorum memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerunt*, ut releventur, hæc profecto fieri intellexit non pro omnibus, quos antea memoraverat, nempe pro impiis & infidelibus defunctis, & ad Tartarum damnatis, ſed pro aliis, quibus eluenda ſupereſt in alia vita pęna levioribus noxis debita, vel gravioribus haud ſufficienter expiatis, & pro iis præcipue, quos poſtremo loco nominaverat, *qui in divitiis mortui ſunt, & nihil conſolationis ſuis ipſarum animabus ex divitiis ſuis procuraverunt.* Id etiam eruitur ex verbis, quæ ibidem habet S. Pater: *noverunt illis multum hinc* (nempe ex orationibus, eleemoſynis, & Sacrificiis) *emolumenti fieri, multum utilitatis: ſtante ſiquidem univerſo populo, manus in cælum extendente cætu item ſacerdotali, verendoque poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes? Verum iſtud quidem de illis dicimus, qui in fide diſceſſerunt.* Quis non videt loqui S. Epiſcopum de iis, qui cum in fide diſceſſerint e vita, ſperandum eſt in loco eſſe ſalutis, licet pro peccatis ſolvendum ipſis aliquid ſuperſit juſtitiæ vindici in pęnis Purgatoriis?

XV. Atque eadem reſponſio adhibenda eſt authoritati, quam ſolum Petavius inſinuat, S. Joannis Damaſceni. Nec quemquam movere debet, quod Damaſcenus loquatur de animabus, quę ſunt in Inferno, ſive in *hade*. Nam ut recte obſervat Cl. Vir Ludov. Antonius Muratorius in præclaro ſuo opere *de moderatione ingeniorum &c. lib. 3. cap. 9.*, tum veteres, tum recentes Græci ſępenumero, ſicut & nonnunquam Latini, uſurpant τὸ ᾅδ., & inferorum vocabula non tantum pro loco impiorum, ſed etiam pro loco, in quo piorum animę purgandę detineri ex Orthodoxæ Eccleſię doctrina creduntur. Ex qua etiam obſervatione clareſcit ſenſus dogmaticę confeſſionis Græcorum, in qua legitur: *certe multi peccatores a vinculis τοῦ ᾅδου inferni liberantur*, videlicet ut ſubditur, *propter viventium pia opera, & eleemoſynas, & Eccleſiæ pro iis fuſas orationes, & potiſſimum propter incruentum ſacrificium*. Non eſt enim ibi ᾅδ. proprie Gehenna, ſive ęternus damnatorum locus, ſed clauſtrum illud, quod nos Latini *Purgatorium* appellamus, Gręci vero Schiſmatici nomine quidem negant, at cum Patribus re affirmant. Quod ſi etiam pro Gehenna accipere velis, pergit laudatus Author, nihil moramur: adhuc enim apud Gręcos ſtare vides catholicum dogma de animabus quibuſdam levium peccatorum reis, & poſt mortem in aliquo tormentorum loco purgandis. Quare haud recte Schiſmaticos Gręcos culpare viſus eſt Thomas Smithus in Epiſt. *de Eccleſiæ Græcæ hodierno ſtatu*, ubi illos *in errorem Origenicum de animabus impiorum ex inferno tandem liberandis* prolapſos propter ea verba ſuſpicatur.

XVI. Ad Prudentii denique Authoritatem reſpondeo, ea ipſum verba protuliſſe non dogmatice, ſed poetice, ſive fictione quadam poetica, ut Dominicę Reſurrectionis diem, & gloriam concelebraret. Neque ignorare debuit Petavius fictiones hujuſmodi tum ipſi Prudentio, tum cęteris Poetis admodum eſſe familiares.

CA-

CAPUT XIII.

Scripturarum loca explicantur, quæ adverſus dogma Catholicum opponunt Origeniſtæ: ac præſertim textus Apoſtoli Pauli 1. ad Corinth. cap. 15., *in quo potiſſimum cauſſæ ſuæ præſidium collocant. Legitimus ejus ſenſus alius longe eſt ab eo, quem ipſi affingunt: quemadmodum & verborum D. Petri* Actuum cap. 3., *quibus eumdem confirmare nituntur.*

I. ADverſus Catholicum dogma tot validiſſimis Scripturarum momentis communitum, plura ipſi quoque Origeniſtæ ex iiſdem Scripturis opponunt teſtimonia, ne cauſſa, quam propugnant, tanto præſidio deſtituta omnino videatur. Atque in primis ea loca obtrudere ſolent, in quibus tum de voluntate Dei ſalvandi omnes, tum de univerſalitate gratiæ, & amoris divini, itemque de univerſalitate & pretio Redemptionis Chriſti, ſermo fit, quorum veritatem neutiquam conſiſtere garriunt, ſi tam pauci ex hominibus ad ſalutem æternam perveniant, qui cum cæteris comparati, qui, juxta receptam ſententiam, in omnem æternitatem ejiciendi, ac damnandi ſunt, minimam faciunt humani generis partem.

II. Verum hoſce omnes textus jam pluries diluerunt Eccleſiæ Patres, ac Theologi: jam oſtenderunt poſſe Deum voluntatem habere ſalvandi omnes homines, quin tamen reapſe ſalventur. Eatenus quippe Deus omnium hominum vult ſalutem, quatenus media omnibus ſubminiſtrat ad eam conſequendam neceſſaria. Sed quia alias eorum non aufert libertatem, contingit hæc media reſpectu plurium inutilia eſſe, effectuque caſſa, quin tamen affirmari queat Deum haud ſincere velle ipſorum ſalutem. Oſtendunt itidem, quæ de univerſalitate gratiæ, amoris divini, meriti Chriſti Redemptoris, ejuſque pretio infinito, dicuntur ſatis ſibi conſtare, modo cuncta juxta ordinem a divina Sapientia, & Providentia conſtitutum intelligantur. Manet utique gratia Dei univerſalis, ſeu in univerſos homines diffuſa: manet univerſale & infinitum Chriſti meritum, etſi plurimi inde in melius propria ipſorum culpa non proficiant, nec in gratiæ ſtatum reſtituantur. Ex eo enim, quod homines beneficia divina reſpuant, colligi nequit, quod illa omnibus non offerat piiſſimus Deus. Sed Adverſarii illud probare deberent meritum Chriſti etiam poſt mortem hominibus prodeſſe, aut aliquando profuturum; quod certe nunquam probabunt: cum potius ex Scripturarum teſtimoniis jam ſupra productis, oppoſitum evidenter eruatur. Sed a generalibus hiſce argumentis, quorum plenior ſolutio aliunde peti poteſt, ad peculiaria quædam loca, quæ Origeniſtis in ſpeciem favere videntur, proferenda, ac ſolvenda deſcendamus.

III. Primus habetur apud Iſaiam cap. 24. com. 22. his verbis: *congregabuntur* (impii videlicet, de quibus antea locutus fuerat) *congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*, quem textum ut refert Huetius (a) magnopere urgebat Origenes, illum explicans *de viſitatione gratiæ & clementiæ*, qua Deus omnes damnatos *poſt multos dies*, ſive poſt diuturnum tempus e pœnis eripiet. II. in Pſalmo 74. legitur: *nunquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Si igitur hoc haud futurum Propheta cenſet, tandem Deus Damnatorum miſerebitur. III. Apoſtolus in Epiſt. ad Rom. c. XI. ait: *concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur*. IV. Apud Marcum c. 12. de quibuſdam dicitur: quod *accipient prolixius judicium*. Ubi autem aliud alio prolixius, ibi utrumque vel alterum *fini-*

(a) In Origenianis lib. 2. &c.

Digitized by Google

nitum eſſe oportet. Hęc ferme opponebant veteres Origeniſtæ, quæ nec a recentioribus omnino prætermittuntur, quamquam præcipuum propriæ cauſſæ ſtatumen in alio textu collocent, quem ſubinde accuratius expendemus.

IV. Nullius hæc momenti eſſe facile conſtat. Iſaiæ textum accuratiſſime inter alios examinat Campejus Vitringa (*a*): & quidem refert Interpretes aliquos putare in eo agi de viſitatione gratię & clementiæ, non iræ & juſtitiæ. Sed hanc explicationem refellit ipſe cum pluribus aliis, quorum ſententias aut nomina allegat, inquiens: Glaſſius „ gram. lib. 4. tract. 1. *ſenſus eſt ſceleratos illos, quos divina juſtitia in lacum conjecerit, poſt multos etiam dies fore torquendos, hoc eſt nunquam futurum eſſe pœnarum terminum, loquitur de viſitatione iræ, non gratiæ*. Interpres „ Græcus omnino ſic accipit locum. Hieronymus quoque, Ribera, Æſtius, „ Sanctius, & alii, quin & Aben Ezra „ inter Judæos ait: *ſenſus eſt malum hoc incarcerationis ſuper eos eſſe protendendum*. Sanus profecto ſenſus eſt, & huic loco convenientiſſimus „. Idque „ probat „ I., quod vox *viſitare*, quæ „ in verſu ſuperiore 21. ſumitur ſignificatione viſitationis judicialis, hic notationem ſuam non mutat. II. quod „ eadem vox plerumque apud Prophetam per totum librum ſumatur pro viſitatione judiciali. III. quod conjectio „ *in carcerem*, vel *foveam* ubique fere in „ Odis ſacris, & apud Prophetam quoque Iſaiam in Prophetia de Aſſyrio, „ horum Regum, & Principum typo „ Cap. 14. Com. 5., ſumatur de loco „ interitus, in quo damnati luunt pœnam judicialem, qui Poetæ ſacro dicitur *Puteus interitus*, ubi de ſimilis „ generis hoſtibus loquitur Pſal. 55. „ Com. 24., *& tu Deus facies illos deſcendere in puteum interitus*. Senſus itaque eſt prophanos illos Sacerdotes, & Præfectos populi Dei, qui „ patriam Religionem proſtituerant &c., „ omnes graviſſimis Dei judiciis preſſos morte inhoneſta, probroſa & violenta occubituros eſſe tam ipſos quam „ ipſorum poſteros, & quidem gregatim magno numero, uſquequo ſtirps „ impiorum excinderetur: & hoc modo „ coercitos ſtatu, locoque interitus ipſis „ a Deo deſtinato, luituros eſſe ſupplicium ſententia cæleſti ſceleribus ipſorum decretum. „ Præter citatos textum eumdem de viſitatione iræ & judicii exponunt Haſmo, Lyranus, a Lapide, & ipſe S. Thomas, qui ea verba commode poſſe referri putat *ad viſitationem, qua impii viſitabuntur in die judicii, non ut liberentur, ſed ut amplius condemnentur, ſecundum illud Sophoniæ* 1. *viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis:* ubi addit Suarez, *quia in die judicii Chriſtus quaſi de novo damnatos condemnabit*. Cæterum qui verba illa de viſitatione gratiæ, & clementię interpretantur, nullatenus Origeniſtarum ſententiæ favere dicendi ſunt. Hi ſiquidem de impiis, qui in hac vita puniendi eſſent, eum textum intelligunt, non de damnatis ad Gehennæ ſupplicium.

V. Validior non eſt textus alter depromptus ex Pſal. 74., cujus ſenſum exhibet S. Auguſtinus juxta ea, quę ſuperiore capite ex ipſo indicavimus. Sic enim ſcribit lib. 21. de Civit. cap. 24: „ hoc quod ait Pſalmus, ad vaſa miſericordię pertinet, & ad filios promiſſionis, quorum unus erat etiam ipſe „ Propheta, qui cum dixiſſet, *nunquid oblivifcetur &c.*, continuo ſubjecit: „ *& dixi nunc cœpi: hæc eſt immutatio dexteræ Excelſi*. Expoſuit profecto quid „ dixerit: *nunquid continebit in ira ſua miſerationes ſuas?* Ira enim Dei eſt „ etiam vita iſta mortalis, ubi homo vanitati ſimilis factus eſt, & „ dies ejus, velut umbra, pretereunt. „ In qua tamen ira non obliviſcitur miſereri Deus, faciendo Solem ſuum oriri ſuper bonos, & malos, & pluendo ſuper juſtos, & injuſtos: ac ſic non „ continet in ira ſua miſerationes ſuas, „ ma-

(b) In hunc locum.

„ maximeque in eo, quod expreſſit hic „ Pſalmus, dicendo, *nunc cœpi: hæc eſt* „ *immutatio dexteræ Excelſi*. Quoniam „ in hac ipſa ærumnoſiſſima vita, quę „ ira Dei eſt, vaſa miſericordię mutat „ in melius, quamvis adhuc in hujus „ corruptionis miſeria maneat ira ejus, „ quia nec in ipſa ira ſua continet mi- „ ſerationes ſuas. Cum ergo iſto modo „ compleatur divini illius cantici veri- „ tas, non eſt eam neceſſe etiam illic „ intelligi, ubi non pertinentes ad Ci- „ vitatem Dei ſempiterno ſupplicio pu- „ nientur.

VI. Objectum tertio loco Apoſtoli textum ſimiliter difflat Sanctus Auguſtinus eodem capite, inquiens: „ Illud „ Apoſtolicum: *concluſit enim Deus o-* „ *mnes in infidelitate, ut omnium miſe-* „ *reatur*, non ideo dictum eſt, quod ne- „ minem Deus ſit damnaturus, ſed ſu- „ perius apparet, unde ſit dictum. Nam „ cum de Judæis poſtea credituris A- „ poſtolus loqueretur ad gentes, ad quas „ utique jam credentes conſcribebat E- „ piſtolas: *ſicut enim vos*, inquit, *ali-* „ *quando non credidiſtis Deo*: *nunc au-* „ *tem miſericordiam conſecuti eſtis in il-* „ *lorum incredulitate; ſic & hi nunc non* „ *crediderunt in veſtra miſericordia, ut &* „ *ipſi miſericordiam conſequantur*. De- „ inde ſubjecit, unde iſti ſibi errando „ blandiuntur, atque ait: *concluſit enim* „ *Deus omnes in infidelitate, ut omnium* „ *miſereatur.* Quos omnes? niſi de quibus „ loquebatur, tanquam dicens, *& vos,* „ *& illos?* Deus ergo & Gentiles, & „ Judęos, quos præſcivit, & prædeſti- „ navit conformes imagini filii ſui, „ omnes in infidelitate concluſit, ut de „ amaritudine infidelitatis ſuę pœniten- „ do confuſi, & ad dulcedinem miſeri- „ cordię Dei credendo converſi clama- „ rent illud in Pſalmo: *quam magna* „ *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam* „ *abſcondiſti timentibus te: perfeciſti au-* „ *tem ſperantibus*, non in ſe, ſed *in te*. „ Omnium itaque miſeretur vaſorum „ miſericordiæ. Quid eſt omnium? & „ eorum ſcilicet, quos ex Gentibus, & „ eorum quos ex Judęis prędeſtinavit, „ vocavit, juſtificavit, glorificavit: „ non omnium hominum, ſed iſto- „ rum omnium neminem damnatu- „ rus. „

VII. Cæteris adhuc ad rem probandum infirmior eſt textus D. Marci poſtremo loco poſitus, quod nempe de quibuſdam dictum fuerit; quod *accipient prolixius judicium*. Nihil enim aliud denotant hæc verba, niſi ſeveriorem Dei in die judicii ſententiam, & graviorem damnationem, quæ manet hypocritas illos, de quibus loquebatur divinus Magiſter, *qui devorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis*: idque patet ex cap. 20. com. 47. Sancti Lucę, ubi eadem ſententia ponitur his verbis: *qui devorant domos viduarum ſimulantes longam orationem, hi accipient damnationem majorem*. Certe vox Græca, quę eadem eſt apud utrumque Evangeliſtam, tantummodo ſignificat *excellentius*, *majus*, *gravius*, nec ad tempus refertur.

VIII. Verum nec ipſi Adverſarii admodum fidunt iſtiuſmodi authoritatibus, eaſque præmittunt tamquam velitaria quędam agmina, ad inchoandam potius quam ad conferendam pugnam. Pręcipuum, ac totum ferme cauſſæ ſuę robur, ac firmamentum collocant in textu D. Pauli, qui legitur cap. 15. Epiſt. 1. ad Corint., videlicet: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur..... Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ejus. Noviſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus. Cum autem dicat omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia. Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus*. Quo pacto explicandum putent Adverſarii hujuſmodi textum, exponere pręſtat, ne difficultatem, ſi qua eſt in ipſo, effugere videamur. Origenes, qui eo ſæpe utitur ad ſententiæ ſuæ defenſionem, *Homil. 7. in Leviticum*, ubi prolixe diſputat, quomodo Patri ſubjectus filius dici valeat, oſtendere ſatagit filium eatenus dici Patri non eſſe ſubjectum, quatenus nos, qui ſumus Chriſti

membra, Patri minime ſubjecti ſumus. „ Cum vero, ſubdit, conſummaverit opus ſuum, & univerſam creaturam ſuam ad ſummum perfectionis adduxerit, tunc ipſe dicetur ſubjectus in his, quos ſubdidit Patri, & in quibus opus, quod ei Pater dederat, conſummavit, ut ſit Deus omnia in omnibus. „ Subjectionem illam ſimili modo exponendam cenſet lib. 3. Periarchon cap. 5. cum ſcribit: *Chriſtum in ſemetipſo complectentem omnes, quos ſubjecit Patri, cum ipſis & in ipſis Patri ſubjectum dici*. Additque: *Si ergo bona & ſalutaris accipitur iſta ſubjectio.... valde conſequens, & cohærens eſt, ut inimicorum, quæ dicitur filio Dei eſſe ſubjectio, ſalutaris quædam intelligatur, & utilis: ut ſicut cum dicitur filius Patri ſubjectus, perfecta univerſæ creaturæ reſtitutio declaratur; ita cum filio Dei inimici dicuntur eſſe ſubjecti, ſubjectorum ſalus in eo intelligatur, & reparatio perditorum*. Atque in hunc quoque ſenſum declarat verba illa: *noviſſima autem inimica deſtruetur mors*, inquiens lib. 1. Periarchon cap. 6. *propterea etiam noviſſimus inimicus, ideſt Diabolus, qui mors appellatur, deſtrui dicitur.... Deſtrui ſane ita intelligendus eſt, non ut ſubſtantia ejus, quæ a Deo facta eſt, pereat, ſed ut propoſitum, & voluntas inimica, quæ non a Deo, ſed ab ipſo proceſſit, intereat*.

IX. Nuperi Origeniſtæ hoc Pauli teſtimonium magno verborum apparatu exaggerant, pluraque differunt, ut ejus vim promoveant, quæ huc ferme recidunt. Primo conſiderant verba illa: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, in vitam nempe, ut explicant, ſpiritalem, qua diſponantur ad æternam in cæleſti beatitudine. Secundo, vim maximam faciunt in verbis illis, quæ ſequuntur, *noviſſima autem deſtruetur mors*, mors ſcilicet, ajunt, ſempiterna, ſive *mors* illa *ſecunda*, de qua loquitur S. Joannes in Apocalypſi, qua nulla eſt poſterior, & quæ ſicut Joannes ipſe definit, in ſupplicio ignis & ſulphuris poſita eſt. De hac autem Apoſtolum loqui probant: quia cum antea mortuorum reſurrectionis mentionem fecerit, per mortem, quæ ſubinde deſtruenda dicitur, nihil aliud intelligere poteſt præter pœnas inferni, quæ hoc in Scriptura nomine appellantur. Tertio perpendi diligenter volunt, quod addit Apoſtolus, *cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus*. Ex his enim confici putant, juxta S. Paulum, omnia tandem ſubjicienda eſſe Deo per obſequium ipſi ab omnibus creaturis præſtitum, & Deum in omnibus futurum per gratiam ſanctificantem, & gloriam beatificam, qua omnes locupletabit.

X. Hunc Apoſtoli textum duobus aliis amplius explicari, & confirmari ſanciunt, altero ejuſdem ad Coloſſ. c. 1. com. 20., ubi ait: *in ipſo* (Chriſto) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quę in cælis ſunt*: ubi per ea, quæ *ſunt in terris*, homines, per ea vero, quę *ſunt in cælis*, ſpiritus malos, ſive cacodæmones intelligunt, & ad omnes inferunt expiationem, redemptionemque Chriſti pertinere, ut beneficium, & fructum ipſius in ſempiterno regno percipiant. Quod apertius adhuc exprimi putant a S. Petro *Actuum* 3. dicente, *quem* (ſcilicet Chriſtum Jeſum) *oportet quidem cælum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium* ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων. Id enim Apoſtolum velle arbitrantur, regnum a Patre traditum filio, ceu hominum, Angelorumque omnium capiti, non prius finiendum, quam cuncta, quæ per Angelorum pariter & hominum peccata in deteriorem ſtatum prolapſa ſunt, ita in integrum reſtituantur, ut nullum peccati, adeoque nec pœnæ ſoli peccato debitæ ſuperſit veſtigium.

XI. Hoc itaque præcipuum eſt argumentum, quo ad denegandam pœnarum inferni æternitatem Origeniſtę permoventur, aut, ut melius dicam & verius, permoveri ſe fingunt. Neque enim opinor quemquam eſſe cordatum hominem, qui vim aliquam in ipſo perſentiat, dum tot ex adverſo intuetur lucidiſſima Scripturę teſtimonia, quę pœnas ęternas

non

non per ambages, aut circuitus, ſed verbis ita planis atque perſpicuis exprimunt, ac ſæpius inculcant, ut nihil diſertius & expreſſius a quoquam dici valeat, qui rem eamdem apertiſſime deſignare velit. Hinc ut obſervat Anonymus quidam inter Proteſtantes Theologus (a), ſinceriores Origeniſtæ parum deferunt hujuſmodi teſtimoniis, nec ea proponunt veluti probationes, quæ rem conficiant, ſed potius ad ornatum quemdam, & ut dici aſſolet, *ex abundanti*. Ajunt enim *rebus niti* ſyſtema ſuum, quod propugnant, non locutionibus, de quarum ſenſu utrinque diſputari valeat (b).

XII. Enimvero nihil eſſe in locis laudatis, unde cauſſam fulcire ſuam Adverſarii queant, facile apparet ex attenta totius Apoſtolici textus lectione, & conſideratione omnium, quæ ibidem habentur. Statim quippe elucet longe aliam eſſe mentem & Pauli & Petri, ac illi venditant. Et quoad priorem quidem locum ſpectat *Epiſtolæ ad Corint.* en legitimus ejus ſenſus. Agit ibi Sanctus Apoſtolus de futura hominum præcipue juſtorum in fine mundi reſurrectione, & aſſerit per Chriſtum omnes eſſe vivificandos, ſive omnes reſurrecturos: ſed non eodem modo & ordine, ac ipſe Chriſtus. Unde ait: *unuſquiſque in ſuo ordine*: nimirum omnes in Chriſto vivificandi hoc ordine reſurgent, ut Chriſtus ſit primus nedum dignitate, ſed etiam tempore: deinde juſti reſurgant: tertio ſequatur mundi conſummatio. Qui ſenſus litteralis omnino eſt, & ad mentem Apoſtoli: ita enim ſe mox explicat inquiens: *primitiæ Chriſtus; deinde ii, qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt*, ſive ut ex Græco, *qui ſunt Chriſti in ejus adventu: deinde finis*, ſupple, *erit*, finis nempe totius diſpenſationis & œconomię Chriſti de ſalute generis humani: *cum tradiderit regnum*, ideſt Eccleſiam fidelium, & congregationem electorum, *Deo & Patri*, non quaſi nunc in ea, non regnet Deus, ſed quod nonnihil in ipſa dominentur peccata, Diabolus, mors, & mortalium ęrumnę: quaſi dicat: *tunc erit finis cum obtulerit Chriſtus Eccleſiam electorum non habentem maculam neque rugam, & quaſi reddiderit illam Patri, quæ in hujus ſæculi lucta regenda illi, & cuſtodienda commiſſa fuerat, ut in ea glorioſe regnet in æternum* (c). Subdit autem: *cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem*, Dæmonum videlicet & impiorum hominum, ne amplius Eccleſiam, quæ regnum Dei eſt, impugnare valeant: ut exponunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Theophylactus, Oecumenius, aliique paſſim.

XIII. Sequitur Sanctus Apoſtolus: *oportet autem illum regnare*, hoc eſt oportet Chriſtum regere Eccleſiam, *donec ponat Deus Pater omnes inimicos* Dęmones, & reprobos, *ſub pedibus ejus*: quod in fine mundi maxime eveniet. *Noviſſima autem inimica deſtruetur mors*: mors etenim, quæ modo etiam in Sanctorum corporibus regnat, in eorum reſurrectione demum abolebitur. Locus iſte

(a) In Biblioth. German. Tom. 46. apud Franciſcum de Roches Epiſt. 40.

(b) De leur propre aveu ils ne les alleguent pas comme des Preuves capitales, mais ſimplement comme des ſurabondances de temoignages. C'eſt ſur *des choſes*, diſent-ils, que leur ſyſteme eſt fondé, & non ſur des *expreſſions* dont le ſens peut être conteſté. Ibidem

(c) S. Auguſt. Le appoſite ſcribit lib. 1. de Trinit. cap. 10.: „ tradet regnum Deo & Patri Dominus noſter Jeſus Chriſtus, non ſe inde ſeparato, nec Spiritu Sancto, quando perducet credentes ad contemplationem Dei, ubi eſt finis omnium bonarum actionum, & requies ſempiterna, & gaudium, quod nunquam auferetur a nobis.... Contemplabimur enim Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, cum mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus tradiderit regnum Deo, & Patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator & Sacerdos noſter, Filius Dei, & Filius hominis; ſed & ipſe in quantum Sacerdos eſt, aſſumpta propter nos ſervi forma, ſubjectus ſit ei, qui illi ſubjecit omnia, & cui ſubjecit omnia, ut in quantum Deus eſt, nos ſubjectos habeat, in quantum Sacerdos, nobiſcum illi ſubjectus ſit. „

iſte cum Sancto Hieronymo, Vatablo & aliis ita ex Græco verti poteſt: *ultimus inimicus deſtruetur mors*: nimirum *inter hoſtes electorum mors ultimo deſtruetur*: hoc enim ſignificat Græca lectio ἰσχατος ἰχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. Primus enim inimicus Chriſti & electorum eſt Diabolus, qui a Chriſto in cruce victus eſt. Secundus, peccatum, quod ab electis per gratiam Chriſti in hac vita vincitur. Tertius eſt mors, quæ in ſuprema reſurrectione vincetur (*a*). Cujus victoriæ rationem reddit dicens: *omnia enim* (Pater) *ſubjecit ſub pedibus ejus*.

XIV. Poſtremo concludit Apoſtolus: *cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus*: ideſt, victis omnibus inimicis, & poteſtati Chriſti pleniſſime ſubjectis, ipſe Chriſtus, ut exponit S. Anſelmus, ſubjiciet ſe Deo Patri ſecundum humanitatem, & offeret cum Sanctis & electis omnibus ad æternam Dei laudem, ad participationem divinę beatitudinis, domini, & gloriæ. Idem enim eſt hoc *ſubjici* Chriſti cum eo, quod ſuperius dixerat, *tunc tradet Regnum Deo & Patri*, ut in ſe, ſuiſque omnibus Deo Pater pleniſſime, ac glorioſiſſime regnet. Quare adnectit, *ut ſit Deus omnia in omnibus*, nempe ut Deus in Sanctis & electis ſit omnia, ſive vice rerum omnium, ſit ipſorum vita, ſalus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, finis, & ſatietas deſideriorum omnium. Aliquos audire non pigeat Eccleſiæ Patres de poſtremis hiſce verbis, quibus maxime abutuntur Origeniſtæ, diſſerentes. S. Gregorius Nyſſenus hunc Apoſtoli locum ſic enucleat: „ Chriſtus in reſurrectione ſubjicietur Patri: „ quia in ea omnes fideles & electi Chriſti „ ſemoti erunt ab omni malo, tuncque „ ſuſcipient boni principatum, & arctiſ- „ ſime conjungentur cum Deitate, ejuſ- „ que immortalitate, regno, & felicitate: „ atque tunc Deus erit omnia in omni- „ bus &c. „. S. Hieronymus in Epiſt. ad Arnandum: „ Cum rerum omnium fi- „ nis advenerit, tunc (Deus) omnia in „ omnibus erit, ut ſinguli Sanctorum o- „ mnes virtutes habeant, ut ſit Chriſtus „ totus in cunctis „. S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. cap. 30: „ Quid eſt aliud, „ quod per Prophetam dixit: *ero illorum* „ *Deus, & ipſi erunt mihi plebs*, niſi ego „ ero, unde ſatientur: ego ero quæcum- „ que ab hominibus honeſte deſideran- „ tur, & vita, & ſalus, & virtus, & co- „ pia, & gloria, & honor, & pax, & „ omnia bona? Sic enim & illud recte „ intelligitur, quod ait Apoſtolus: *ut* „ *ſit Deus omnia in omnibus* „.

XV. Paucis ergo, quæ fuſius dicta ſunt, contrahendo, ſcopus, quem ſibi in hoc loco præfigit S. Paulus, ut ex antecedentibus liquet, eſt ſolari juſtos omnes in hac miſera & ærumnoſa vita degentes, & adverſus Dæmonum, hominumque impias poteſtates confligentes, ſpe futuræ reſurrectionis; adeoque his maxime promittit, quod in Chriſto, qui prior omnium reſurrexit ad hanc ſpem confirmandam, tandem omnes vivificabuntur, ad vitam ſcilicet beatam, & immortalem. Hoc autem erit in fine mundi, cum conſummata fuerit diſpenſatio ab æterno Patre Filio ſuo commiſſa circa electorum ſalutem; tunc enim ſubjugatis omnibus inimicis, qui modo Chriſti regnum, quod eſt in juſtis & electis, oppugnant, ipſa quoque mors poſtremo deſtruetur, nec amplius in illis dominabitur: & ipſe Deus tunc erit omnia in omnibus electis per communicationem propriæ ſuæ beatitudinis, ſtatus nempe omnium bonorum aggregatione perfecti. Unde ſequitur textum Apoſtoli nullatenus favere Origeniſtarum commento, quinimmo adverſari: cum ex eo potius colligi debeat, Electorum ſorte ſemel in fine mundi deciſa, novam non ſupereſſe circa reprobos œconomiam, nec novam ſalutem a Chriſto ſperandam.

XVI. Alterum vero ejuſdem Apoſtoli

(a) *Tunc utique noviſſima deſtruetur mors, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Quod proculdubio de reſurrectione corporis, quæ tunc erit, contra mortem corporis, quæ nunc eſt, dictum eſſe poſſumus.* S. Auguſt. lib 6. oper. imperf. in Julian.

ſtoli teſtimonium *ad Coloſſ.* minorem adhuc, immo nullam penitus difficultatem ingerere poteſt : nativus namque, & genuinus ſenſus ipſius, longe alius eſt ab eo, quem ipſi affuunt Origeniſtæ. Theodoretus in hunc locum ſic illum apte exponit : „ Ipſe (Chriſtus ſcili„ cet) noſtram procuravit reconcilia„ tionem, cum paſſionem ſuſtinuit, & „ ſanguinem effudit, & pro nobis ſacrifi„ cium obtulit, & terrenis cæleſtia con„ junxit. Nos enim averſabantur etiam „ populi Angelorum propter ſummam „ improbitatem. Ea de cauſa etiam „ cum natus eſſet, chorum ducentes „ Deo hymnum obtulerunt, dicentes, „ *gloria in excelſis Deo, & in terra pax,* „ *& in hominibus bona voluntas.* „ Haud abſimilis eſt expoſitio S. Auguſtini in Enchirid. Cap. 62. inquientis : „ in Chri„ ſto inſtaurantur, quæ *in Cœlis ſunt*, „ cum id, quod in Angelis lapſum eſt, „ ex hominibus redditur. Inſtaurantur „ autem, quæ *in terris ſunt*, cum ipſi „ homines, qui prædeſtinati ſunt ad ę„ ternam vitam, a corruptionis vetu„ ſtate renovantur. „ Chriſtus itaque, reconciliando homines peccatores ęterno Patri, inſtaurat ea nedum, quæ *in terris*, ſed etiam quæ ſunt *in cælis*, quatenus ſedes beatas Dæmonum lapſu vacuas, & Angelorum numerum eodem lapſu imminutum, per homines reparat, & implet, atque ita homines & Angelos ad unam Domum revocat, ad unam videlicet Eccleſiam, aut Societatem, & ad unum Caput, quod ipſemet eſt.

XVII. Denique nec quidquam juvat Origeniſtarum cauſſam textus Principis Apoſtolorum *Act.* 3. Evidens quippe eſt ex toto contextu D. Petrum per illa verba *uſque in tempora reſtitutionis omnium* ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων, loqui de reſtitutione, quæ fiet in extremo die Judicii, cum homines in priorem vitę ſtatum per reſurrectionem revocabuntur, aut etiam, ſi latius vocem illam πάντων accipere mavis, cum omnia, homo ſcilicet, cęlum, terra, elementa, totumque univerſum primævę integritati, incorruptioni & ſplendori reſtituentur : non autem de commentitia, quam Origeniſtæ volunt, Dæmonum, & reproborum omnium in vitam beatam reſtitutione. Apoſtolus enim ibi hortatur Judęos, quos alloquitur, ad pœnitentiam dicens : *pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*; eoſque ad eam accendit propoſita ſpe beatæ reſurrectionis, *ut cum venerint*, inquit, *tempora refrigerii a conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, Jeſum Chriſtum*, ſalutem conſequamini. De ea profecto miſſione loquitur, qua Chriſtus venturus eſt judicare vivos, & mortuos : quod magis declarat ſequentibus verbis : *quem* (ſcilicet Chriſtum) *oportet cælum ſuſcipere*, ſeu in cęlo eſſe, aut manere, *uſque in tempora reſtitutionis omnium*, ſeu uſque ad conſummationem ſæculi, & omnium reſurrectionem : tunc enim adveniet in majeſtate, & gloria, ut judicet mundum univerſum, & juſtos quidem ad pręmium, impios vero ad ſupplicium addicat æternum. In qua certe explicatione nihil eſt quod Origeniſtis ſuffragetur, ut nemo non videt.

XVIII. At adverſarii cavillantur in illa voce τῶν πάντων, quam, cum generis neutrius ſit, referendam eſſe pertendunt ad rerum omnium reſtitutionem, atque adeo etiam damnatorum. Sed quocumque modo eam intelligant, nihil extundere inde poſſunt, quod ſibi faveat. Nam certum eſt in hoc Apoſtoli loco ſermonem eſſe de reſtitutione, quæ fiet in ſupremo die judicii, ſic enim antecedentia verba locutionem definiunt, non de reſtitutione facienda peracto jam univerſali judicio, lataque in juſtos, & improbos finali ſententia, poſt fictitia illa diuturni temporis ſpatia, quibus damnatos omnes in meliorem vitam ac ſortem reſtituendos eſſe fabulantur. Adeoque ſi vox illa πάντων generalius ſumatur, ea S. Petrus denotat tum omnium hominum reſurrectionem, tum cæterarum creaturarum renovationem, quæ in ſæculi conſummatione continget. Quid vero multis hic opus eſt? Res enim ipſa docet vocem τὰ πάντα ab ipſo S. Petro ſtatim reſtringi ad ea, *quæ locutus eſt Deus per os ſuorum Prophetarum.*

Digitized by Google

tarum. Quænam porro ea ſunt, quæ Deus locutus eſt per os ſuorum Prophetarum, niſi omnium hominum reſurrectio in fine mundi futura, & electorum glorificatio, cæli ac terrę renovatio, impiorumque ęterna punitio? Quod autem etiam aliquando facienda ſit reſtitutio Dæmonum, ac damnatorum hominum in ſtatum felicitatis & glorię, nec in Prophetis, nec in aliis ſacris libris Deus unquam locutus eſt.

CAPUT IV.

Somnia diſcutiuntur Anonymi Authoris Batavi, qui præcipuum Origenianæ cauſſæ præſidium deprehendere ſibi viſus eſt in libro Apocalypſeos. In iiſdem locis, quæ opponit ille, locupletiſſima extant æternæ pœnæ teſtimonia. Duplex reſurrectio, de qua loquitur S. Joannes, ad juſtos duntaxat, electoſque referenda eſt, non ad ſceleſtos, & damnatos, ad quos ſolum ſpectat duplex mors, prima, & ſecunda. De cœtu quoque Beatorum & Eccleſia triumphante dicta ſunt, quæ Anonymus ad omnes prorſus & Angelos, & homines detorquere nititur.

I. Nuperus quidam inter Batavos Author, de quo Cap. I. tertii hujus libri mentionem fecimus, in libello Haiæ Comitum lingua vernacula edito, adverſus Catholicum dogma de pœnarum inferni æternitate nova inſtructa argumentorum acie depugnare adlaborat. Quamquam enim Scripturarum teſtimonia, quæ hactenus excuſſimus, proferre non omittat; his tamen omnibus longe efficaciora deprehendiſſe ſe putat in libro Apocalypſeos momenta, cęteris adhuc Origeniſtis incognita, tantumque ſibi vana ac ſtulta opinione blanditur, ut opus ſuum inſcribere non dubitaverit: *Evidens demonſtratio reſtitutionis rerum omnium in Deum, qua damnati liberabuntur &c.*. *Evidens hæc demonſtratio* habetur juxta hunc Authorem in poſtremis tribus divini illius libri capitibus, atque ita ab illo conficitur. *Legimus*, inquit, cap. 20. com. 5.: *cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſumantur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima*. Atque hinc ſtatim concludit, quod poſt priorem hanc reſurrectionem aliam ſuccedere oporteat, quæ plane diverſa ſit ab ea, quæ in finali judicio continget: id quod probat verbis, quæ leguntur com. 14., *hæc eſt mors ſecunda*. „ Hæc ſecunda mors, ait, procul dubio ſubſequetur finale judicium, ut patet ex eodem *com.* 14. „ Porro mors non ſequitur reſurrectionem ſecundam: ſed hæc potius ſequitur mortem. Qui enim prima vice mortuus eſt, non poteſt etiam niſi prima vice reſurgere: adeoque ſecunda reſurrectio non alios ſpectat niſi illos, qui denuo mortui erunt poſt primam reſurrectionem, illos nimirum, qui ad inferna per ſententiam ſupremi Judicis damnabuntur, & per ſecundam reſurrectionem ex inferis eruentur. „ En prima *evidentis demonſtrationis* pars.

II. Id confirmat ex iis, quæ habentur *cap.* 21., ubi *com.* 5. refertur dixiſſe *qui ſedebat in throno, ecce nova facio omnia*. „ Renovare aliquid, inquit, nihil aliud eſt, quam illud in primęvę conditionis ſtatum reſtituere, exuere ipſum omni vitio, ac defectu, eoque induere, quod ſanctum, quod divinum, lucidumque eſt: ſic enim *vetus* & *novum* ſępe uſurpatur in ſacris litteris. Itaque ſi poſt extremum judicium omnia renovanda dicuntur, neceſſum eſt, quod omnia ſanctificentur, atque adeo e ſtatu peccati, & damnationis educantur: & hæc eſt ſecunda reſurrectio, quam prima exigit, regreſſuſque rerum omnium in Deum Alpha, & Omega. „

III. Poſt aliquot alias minoris momenti in hoc eodem capite animadverſiones, magna ponderatione dignum exiſti-

exiſtimat com. 3, c. 22., unde concluſam *evidentem demonſtrationem* pervideas. Sic enim prodit: *& omne maledictum*, ſive, juxta textum Græcum, *anathema*, aut *cacanathema*, *non erit amplius*, *ſed ſedes Dei*, *& agni in illa erunt*: „ quæ verba, ſubdit, quid aliud inſinuant, niſi omnem maledictionem, „ ſive damnationem finem eſſe habituram, omneſque & homines, & Angelos demum cum Chriſto in cælis „ regnaturos? „ hæc ille.

IV. Mirari ſatis non poſſum, mecumque, ut arbitror, ſapientes quique facile mirabuntur Batavi hujus Authoris præfidentiam, qui ex laudatis Apocalypſeos locis *evidentem* confici putat *demonſtrationem* adverſum æternas impiorum pęnas. Profecto, ſi adeo perſpicuus & evidens appareret in hiſce locutionibus, pęnarum finis, ut ſomniat ille, fieri ne potuiſſet ut nemo unus inter Scripturarum Interpretes a tot ſæculis veritatem adeo lucentem non perſpiceret, oculoſque effugeret vel Origenis, vel ejus Sectatorum veterum, recentiumve, qui loca Scripturarum omnia attentiſſime rimati ſunt, ut quidpiam in iiſdem deprehenderent, quod antecæptæ opinationi ſuæ ſubſerviret? Ex illis quidem textibus Millenarii figmentum de regno Chriſti poſt judicium in terris futuro derivarunt. At nullus vel ſuſpicatus eſt poſſe inde deduci liberationem damnatorum a ſempiterna pęna, quam Author noſter evidenti conſecutione colligi infrunite jactat. Certe eam inferri minime poſſe nedum evidenter, ſed neque exigua aliqua probabilitatis ſpecie, vel ex eo ſatis conſtat, quod in hiſce iiſdem capitibus luculentiſſima proſtent de æterna impiorum damnatione teſtimonia. Luſtremus curſim poſtrema hæc capita Apocalypſis, ut nuperi Authoris ſomnium, aut delirium manifeſtius innoteſcat. *Cap.* 20. poſt verba illa *Com.* 5. quibus ille præſertim inſiſtit, hæç leguntur com. 9., & 10.: Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi, & *beſtia*, *& Pſeudopropheta cruciabuntur die*, *ac nocte in ſæcula ſæculorum*. Deinde com. 14., & 15.: *infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis*: *hæc eſt mors ſecunda. Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus*, *miſſus eſt in ſtagnum ignis*; ubi nempe cum Diabolo, Beſtia, & Pſeudopropheta *cruciabitur in ſæcula ſæculorum*. Hæc ſola verba clariſſime manifeſtant futilitatem omnium animadverſionum Anonymi Authoris. Si enim Joannes diſerte aſſerit Diabolum, ejuſque ſequaces cruciandos eſſe in ſtagno ignis in omnem æternitatem, quomodo ad ipſius mentem interpretari licet verba antecedentia de fine pœnarum aliquando futuro, & liberatione Dæmonis, aliorumque damnatorum ex inferni cruciatibus? Item, ſi Sanctus idem Evangeliſta alios diſtinguit, qui ſcripti ſunt in libro vitæ, alios, qui in eodem libro ſcripti non ſunt, atque hos mittendos prænunciat in idem ſtagnum ignis, in quem jam dixerat Diabolum, & Pſeudoprophetam fuiſſe conjectos, quis dicere auſit exiſtimaſſe Joannem ex eodem ſtagno ignis omnes tandem ereptum iri, in eamque gloriam & felicitatem admittendos eſſe, quam ſolis in libro vitæ conſcriptis attribuit?

V. In ſequenti quoque capite 21. poſtquam dixiſſet *qui ſedebat in throno* verba, quæ Anonymus objicit, *ecce nova facio omnia*, ac Joannes omnia innovata vidiſſet, ſubdit com. 7. *qui vicerit*, *poſſidebit hæc*, nempe gloriam & bona civitatis Sanctæ Hieruſalem, quam deſcripſerat, Dei regnum, ejuſque ſummam felicitatem: *& ero illi Deus*, *& ille erit mihi filius*. Solum itaque victores mundi, carnis, & Diaboli, ſolum ſtrenui ac generoſi milites Chriſti tam ſublimia bona poſſidebunt: non autem cæteri, qui timidi, ac deſidioſi animæ ſuæ hoſtibus victi ſuccubuere, ſeque criminum ſordibus inquinaverunt: hos enim adverſa manet, ac miſerrima ſors in Gehenna: idque conceptiſſime teſtatur com. 8. dicens: *timidis autem & incredulis*, *& execratis*, *& homicidis*, *& fornicatoribus*, *& veneficis*, *& idololatris*, *& omnibus mendacibus*, *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne*, *& ſul*-

Digitized by Google

phure, *quod eſt mors ſecunda*: ſeu ſemper excluſi erunt ab æterna Dei, Sanctorumque hæreditate, & eorum infeliciſſima pars, hæreditas. & conditio erit in ſtagno ignis & ſulphuris, ubi cum Diabolo ſine fine cruciabuntur. Idque confirmat com. ultimo ejuſdem cap. inquiens: *non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni:* hoc eſt, exceptis iis, qui prædeſtinati fuerunt, nemo ex reliquis in beatiſſimam illam Civitatem introibit.

VI. Hoc ipſum declarat etiam perſpicuis admodum verbis *cap.* 22., hoc eſt ultimo, ubi quæ fuſius antea ſcripſerat, veluti compendio colligit. Sic enim Jeſus Joanni loquitur a com. 12.: *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua. Ego ſum Alpha, & Omega, Primus, & Noviſſimus, Principium, & Finis. Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine agni: ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitatem. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis ſervientes, & omnis qui amat, & facit mendacium*. Quibus verbis tanquam anathemate quodam excluduntur peccatores a ſancta illa Civitate, ſive a regno Dei, & Sanctorum. Quis ſano capite hæc omnia conciliare ſe poſſe arbitretur cum Origeniſtarum ſententia, & cum explicatione, quam locis ſupra recenſitis Nuperus Author appingit?

VII. Quapropter alio plane in ſenſu exponere opus eſt objecta teſtimonia, prout alter ſemper ab Eccleſiæ Patribus, & Scripturarum Interpretibus expoſita ſunt. Et quidem primum locum cap. 20. valde obſcurum eſſe fatentur omnes, adeoque non eodem modo ab omnibus intelligitur. S. Auguſt. *lib.* 20. *de Civit. cap.* 6. *& ſeq.* fuſe agit de duabus reſurrectionibus, quas hic inſinuat S. Evangeliſta: primamque explicat de reſurrectione animæ a peccato: alteram vero de reſurrectione ſequutura in die judicii. „ Sicut, inquit, duæ „ ſunt regenerationes, una ſecundum „ fidem, quæ nunc fit per baptiſmum: „ alia ſecundum carnem, quæ fiet in „ ejus incorruptione, atque immorta- „ litate per judicium magnum, at- „ que noviſſimum; ita & ſuut reſurre- „ ctiones duæ: una prima, quæ & „ nunc eſt, & animarum eſt, quæ ve- „ nire non permittit in mortem ſecun- „ dam: alia ſecunda, quæ nunc non „ eſt, ſed in ſæculi fine futura eſt, nec „ animorum, ſed corporum eſt, quæ „ per ultimum judicium alios mittet „ in ſecundam mortem, alios in eam „ vitam, quæ non habet mortem. De „ his duabus reſurrectionibus Joannes „ Evangeliſta in libro, qui dicitur *Apo-* „ *calypſis*, eo modo locutus eſt, ut „ earum prima a quibuſdam noſtris „ (nempe a Millenariis) non intelle- „ cta, inſuper etiam in quaſdam ridi- „ culas fabulas verteretur „. Ac dein explicatione ſua pluribus roborata concludit *cap.* 9. „ Hæc reſurrectio, animę „ ſcilicet a peccato, prima eſt. Beatus „ & Sanctus qui habet in hac prima „ reſurrectione partem, ideſt particeps „ ejus eſt. Ipſe eſt autem particeps „ ejus, qui non ſolum a morte, quæ „ in peccatis eſt, reviviſcit, verum „ etiam in eo, quod revixerit, perma- „ nebit. *In iſtis*, inquit, *ſecunda mors* „ *non habet poteſtatem*. Habet ergo in „ reliquos, de quibus ſuperius ait: *re-* „ *liqui eorum* non vixerunt, donec fi- „ niantur mille anni: quoniam iſto to- „ to temporis intervallo, quod *mille* „ *annos* vocat, quantumcumque quiſ- „ que eorum vixit in corpore, non „ revixit a morte, in qua eum tene- „ bat impietas, ut ſic reviviſcendo pri- „ mæ reſurrectionis particeps fieret, „ atque in eo poteſtatem mors ſecunda „ non haberet. “ Hæc Auguſtini interpretatio plauſibilis eſt, & non pauci eam conſectantur.

VIII. Nihilominus alii plures (*a*) ita acci-

(a) Dionyſius Carthuſianus, Cor. a Lapide, Ribera, Viegas, Peretius &c.

accipienda exiſtimant Evangeliſtæ verba, ut nomine primæ reſurrectionis intelligatur beatitudo, quam conſequuntur animæ Sanctorum, ſtatim ac a corpore ſeparantur. Sancti ſiquidem dum ex hac vita calamitoſa, & mortali, in novam vitam tranſmigrant immortalem, & feliciſſimam, quodammodo reſurgere videntur. Secundam vero reſurrectionem docent eſſe plenam & perfectam beatitudinem, quam juſti recipient, dum in die judicii cum corpore reſurgent. „ Vita gloriæ (inquit Dionyſius Carthuſianus) „ animarum ſanctarum cum Chriſto in „ Patria eſt reſurrectio prima: quia „ præcedit illam, qua corpora ſua reſument. Et item vita hæc dicitur *reſurrectio prima*, quia per eam ab hac „ miſera vita, quæ comparatione illius „ vitæ *umbra mortis*, *& mors* nuncupatur, eriguntur: & homo ſanctus hic „ moriens, ibi in Patria vivere incipit melius, atque felicius: ſicque a „ morte naturæ, qua cecidit corpore, „ reſurgit pertingendo ad vitam glorię, „ qua vivit in mente... Itaque beatus „ eſt in re, & Sanctus, qui omni labe peccati carens, & confirmatus in „ bono habet partem, ideſt conſortium „ in reſurrectione prima, ideſt in animarum beatificatione. In his mors „ ſecunda, ideſt damnatio ultima non „ habet poteſtatem: quia de ſua æterna felicitate ſecuri ſunt. „

IX. Summus Vir Benignus Boſſuetus in egregia ſua expoſitione Apocalypſis, utramque ſententiam ita componit, ut prima reſurrectio initium habeat in juſtificatione juxta illud Joan. 5. com. 24.: *qui verbum meum audit &c. tranſiit a morte in vitam*, & illud ad Epheſ. 5. c. 14. *ſurge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. „ Tunc itaque, ſcribit, anima reſurgere incipit: & hæc reſurrectio conſummatur, cum ab hac vita, quæ mors „ potius eſt, exceſſerit, vivitque vera „ vita cum Chriſto. Hæc eſt prima „ reſurrectio, quæ animabus beatis convenit: ſiquidem de reſurrectione corporis ſermo fiet *com.* 12., & 13., & „ hucuſque nulla de ipſa mentio facta „ eſt. Hæc prima reſurrectio manifeſta „ fit in Sanctorum miraculis, quibus „ vivere eos conſtat ob virtutem ex „ eorum tumulis procedentem, quemadmodum ſancti Patres obſervarunt, „ & Grotius ipſe confeſſus eſt „. Secunda vero reſurrectio, ut poſtea notat, eſt illa, qua Sancti tum anima tum corpore glorificabuntur.

X. Utraque ergo reſurrectio, non alio ſpectat, quam homines juſtos & Sanctos, qui regnant cum Chriſto, regnabuntque in omnem æternitatem, nec extendi poteſt etiam ad impios, & reprobos, ad quos ſolum a contrario duplicem mortem primam, & ſecundam pertinere aſſerit S. Joannes: primam ſcilicet, per quam animæ ſepeliuntur in inferno cum iniquo Divite: ſecundam vero, qua per univerſalem omnium reſurrectionem impii & corpore & anima in ſtagnum ignis, & ſulphuris præcipitabuntur. Quare toto cælo, nedum toto oſtio aberrat Anonymus Author, dum reſurrectionem, de qua loquitur S. Evangeliſta, reprobis citra ullum fundamentum affingens, inde colligit eos tandem ab inferorum ſtagno liberandos eſſe, & in cæleſtem vitam reſtituendos.

XI. Ridiculum vero eſt argumentum, quod conficit ex verbis Cap. 21.: *& dixit, qui ſedebat in throno: ecce nova facio omnia*. Hæc etenim verba referri ad innovationem mundi, quæ erit in ſupremo die, maximeque ad gloriam, & felicitatem electorum adeo ex contextu manifeſtum eſt, ut nihil ferme manifeſtius ſit in toto Apocalypſeos libro, quemadmodum obſervat S. Auguſtinus (a). Sic enim Joannes caput hoc 21. ordi-

(a) *In hoc quidem libro multa dicuntur .. Verum in his verbis, ubi ait: abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors jam non erit, neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor*, tanta luce dicta ſunt de ſæculo futuro, *& immortalitate atque æternitate Sanctorum (tunc enim ſolum, atque ibi ſolum iſta non erunt) ut nulla debeamus in litteris ſacris quærere, vel legere manifeſta, ſi hæc putaverimus obſcura*. Lib. 20 de Civit. cap. 17.

CAPUT XV.

Sententia Origenis ſemper ab Eccleſia tanquam Catholicæ fidei contraria rejecta eſt. Concilia quibus damnata fuit, Alexandrinum maxime, & Oecumenicum Conſtantinopolitanum II. Quibus conſonant decreta Patrum, qui eam veluti Chriſtianæ Religioni inimicam ſugillant. Nedum Eccleſia Romana, ſed etiam cæteræ aliæ ab ipſa Schiſmate ſejunctæ, pœnarum æternitatem ut fide certam continenti traditione retinuerunt, retinentque.

I. VEritate Catholici dogmatis de ſempiterna pœnarum Inferni duratione ſacrarum litterarum teſtimoniis evidenter aſſerta, & vindicata, perutile fuerit ut eam etiam perpetua Eccleſiæ, Patrumque traditione & authoritate comprobemus: tum quia nonnulli ſunt, qui putant haud conſtantem inter Chriſtianos fuiſſe hujuſmodi ſententiam: tum maxime quia perpetua Eccleſiæ, Patrumque traditio validiſſimo argumento eſt, non alium eſſe Scripturarum ſenſum, nec aliter intelligi debere. Nam juxta ſanioris Criticæ regulas, cum de ſenſu textus alicujus agitur, legitimus ille cenſetur, quem ipſi omnes communiter tribuerunt, ac tribuunt. Unde nec qui perennem traditionem Eccleſiæ ut fidei regulam non habent, hoc argumentum repudiare poſſunt.

II. Quod itaque Eccleſia ſemper crediderit æternas eſſe Dæmonum & impiorum hominum pœnas, ex eo in primis manifeſtum eſt, quod Origenis, & Origeniſtarum ſententiam tanquam abſonam, Dei verbo contrariam, & Catholicæ fidei dogmatibus repugnantem continenter rejecerit, & anathemate etiam perculerit. Hujuſce rei plura ſunt, & illuſtria in Eccleſiaſtica Hiſtoria & Sanctis Patribus monumenta. Damnatum fuiſſe Origenem & Origeniſtas ob hunc inter alios errorem in Synodo Alexandrina a Theophilo Patriarcha ex totius Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos Provinciis anno 400. congregata, extra dubium eſt. Habemus Theophili Epiſtolam Synodicam ad Palæſtinos, & Cyprios Epiſcopos miſſam, quam ex antiquiſſimo codice Ambroſianæ Bibliothecæ nuper eruit V. Cl. Dominicus Vallarſius, publicique juris fecit in noviſſima omnium abſolutiſſima editione operum S. Hieronymi (a): in qua ipſe enarrat, quod *congregatis Epiſcopis, qui prope implerent numerum Synodi, perrexerit Nitriam, & coram multis Patribus, qui de tota pene Ægypto convolaverant, lectos eſſe libros Origenis, in quibus impio labore ſudaverat, & conſenſu omnium condemnatos:* porro inter propoſitiones erroneas, quæ in ea Synodo damnatæ ſunt, hæc erat: *Chriſti regnum finietur aliquando, & Diabolus cunctis peccatorum ſordibus liberatus æquo bonore decorabitur, & cum Chriſto ſubjicietur.* Quem errorem ita proponit Theophilus idem Epiſt. Paſchali 1.: *faceſſant igitur ſtultiſſimi mortalium &c. Talis Paſtor gregis morbidi Chriſtum ubique ſugillat injuriis, & Diabolum honore ſuſtollit, dum illum adſerit purgatum vitiis, atque peccatis priſtinam aliquando gloriam recepturum.*

III. In eadem editione operum S. Hieronymi refertur quoque (b) reſponſio Synodi Hieroſolymitanæ ad Epiſtolam Theophili, in qua ſuſpicionem omnem amoliuntur Patres, quod ſuis in regionibus obtineant veſana Origenis dogmata: *Neque enim* (ajunt inter alia) *audivimus unquam docentes .... quod Zabulus cunctis peccatorum vitiis liberatus dignitatem obtineat, quam habuit, antequam caderet, ita ut & ipſe & Chriſtus ſub unum Dei Patris redigantur imperium. Qui enim ita credunt, ituri ſunt in tenebras, quæ præparatæ ſunt Diabolo, & angelis ejus.*

IV. Fuiſſe Synodum Alexandrinam ab univerſa Eccleſia approbatam ex eo li-

(a) Tom. 1. col. 537. (b) col. 540.

liquet, quod plures ex diverſis Orbis Chriſtiani locis Epiſcopi Theophilum ſummis laudibus extulerint, ob ejus labores in hæreſi Origenıana damnanda, & funditus eradicanda exantlatos . Extat ibidem Coi. 551. Epiſtola Dionyſii Liddenſis Epiſcopi ad ipſum directa, in qua hæc leguntur: *Te Deus, Domine Frater beatiſſime, æmulatorem rectæ fidei ſuſcitavit, ut & ſuperſtitionem hæreticam de Gentilium fonte manantem Apoſtolico rigore contereres &c.*. Extat & Epiſtola Anaſtaſii Papæ ad Simplicianum dicentis: *pari animo Vir Sanctus & honorabilis Theophilus Frater, & Coepiſcopus noſter circa ſalutis commoda non deſinit vigilare, ne Dei populus per diverſas Eccleſias Origenem legendo in magnas incurrat blaſphemias*. Ipſe Theophilus in ſerm. ad quoſdam Monachos, ut a ſe, ita etiam ab Anaſtaſio ſummo Pontifice, & ab univerſa Occidentali Eccleſia damnatum Origenem teſtatur, inquiens (*a*): *Anathematizantes Origenem, cæteroſque hæreticos exemplo noſtro, & Anaſtaſii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus, nobiliſſimi populi dux creatus eſt, quem & univerſa Occidentis Epiſcoporum ſequitur Synodus, quæ accepit, ac probavit Alexandrinorum Eccleſiæ ſententiam in impium latam*. Hinc Anaſtaſius idem in Epiſt. ad Joannem Hieroſol. translationem librorum Periarchon a Ruffino Aquilejenſi adornatam, in quibus cum alii, tum error de quo agimus, diſerte traditur, reprobavit, *eaque impia dogmata vocans, & affirmans Interpretem nihil aliud ſui opera laboris extruxiſſe, niſi ut propriæ veluti mentis arbitrio hanc, quæ ſola, & quæ prima apud Catholicos Chriſtianos vera fides jam ab Apoſtolis exinde uſque ad tempus præſens tenetur, inopinatæ titulo aſſertionis everteret*.

V. Verum cum Origeniſtarum factio ex his decretis nondum extincta eſſet, iterum Origenis errores proſcripti fuerunt ab Eccleſia in Synodo quinta Œcumenica congregata anno 553.. Damnationem hanc præceſſit Epiſtola Juſtiniani Imperatoris ad Menam adverſus Origenem, quæ pro Eccleſiæ judicio habenda eſt, quia Pelagio Romanæ Eccleſiæ Diacono & Apocriſario inſtante dictata fuit, & poſtmodum a Vigilio ſummo Pontifice approbata. In hac Epiſtola ſubnexa habentur novem Anathemata in totidem errores Origenis, quorum poſtremum ita ſonat: *ſiquis dicit, aut ſentit temporariam eſſe Dæmonum, vel impiorum hominum punitionem, finemque aliquo tempore hanc habituram, nimirum reſtitutionem futuram Dæmonum, vel impiorum hominum, anathema ſit*. Et hac ipſa quoque Epiſtola, ſicut & in altera ad Synodum quintam eumdem errorem notat, & ad calcem nonnulla loca eo pertinentia adducit. Nec ſolum Pontifex Romanus, ſed & reliqui Patriarchæ, Juſtiniani edictum comprobando, ipſique ſubſcribendo ſuum fecerunt. Rem geſtam narrat Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis in brevi, cap. 23. & Caſſiodorus lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 1.

VI. Subſecuta deinde eſt laudata Quinta Synodus Œcumenica, in qua damnatum eſſe Origenem, ejuſque doctrinam, dubitare non licet: idque tradunt Author Chronici Alexandrini, Georgius Syncellus, Theophanes, Photius in libello de Synodis, Nilus Rhodius, Anonymi duo, qui de Synodis quoque ſcripſerunt, quoſque in Canonici juris antiqui Bibliothecam contulit Henricus Juſtellus; præterea Zonaras, Glycas, Cedrenus, qui & Juſtiniani Epiſtolam ad Synodum repræſentat, in qua flagitat a Patribus ut Origenem, Origeniſque Gregales damnent, Nicephorus etiam, qui & anathematiſmos in Origenem a Synodo vibratos recenſet lib. 17. Hiſt. cap. 28., Cyrillus Monachus Juſtiniano coævus, in vita Euthimii cap. 105., & in vita Sabæ cap. ult., quin & Synodus VI. Act. 18., & VII. Act. 1.

VII. Porro in hac Synodo ſpecialiter confixum fuiſſe errorem de reproborum reſtitutione, conſtat ex actis produ-

(a) Apud Juſtinian in Epiſt. ad Menam.

ductis a Nicephoro lib. cit.; hunc enim memorat a Synodo proſcriptum: *omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura, atque impios, ac Dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtitutum iri*. Conſtat etiam ex ſeptima Synodo, in qua Act. 1. hæc leguntur: *Sanctæ Venerabilis Quintæ Synodi, quæ Conſtantinopolim congregata eſt, communi & univerſali ſubmiſſi ſunt Anathemati Origenes, & Theodorus Mopſueſtiæ, & ea, quæ ab Evagrio, & Dydimo dicta ſunt, de eo videlicet.... quod de reſtitutione in ſtatum priſtinum fatebantur, conſentientibus, & præſentibus quatuor Patriarchis*.

VIII. Conſona vox eſt antiquiorum Eccleſiæ Patrum, qui de Origenis doctrina, aut forte ſcripſerunt. S. Epiphanius Epiſt. ad Joan. Hieroſol. amare exprobrat Origeni futuram illam Diaboli converſionem & ſalutem, inquiens: „ illud quoque, quod aſſerere nititur „ (Origenes), doleamne, an rideam, „ neſcio. Doctor egregius audet doce- „ re Diabolum id rurſum futurum eſſe, „ quod fuerat, & ad eamdem reditu- „ rum dignitatem, & conſcenſurum re- „ gna cælorum. Proh nefas! Quis tam „ vecors & ſtolidus, ut hoc recipiat, „ quod Sanctus Joannes Baptiſta, & „ Petrus, & Joannes Apoſtolus, & E- „ vangeliſta, Iſaias quoque & Hiere- „ mias, & reliqui Prophetæ, cohæredes „ fiant Diaboli in regno cælorum? „ & poſt plura: „ te autem, Frater, li- „ beret Deus, & Sanctum populum „ Chriſti &c. ab hæreſi Origenis &c.; „ ſi enim propter unum verbum, aut „ duo, quæ contraria fidei ſunt, mul- „ tæ hæreſes abjectæ ſunt ab Eccleſia; „ quanto magis hic inter hæreticos ha- „ bebitur, qui tantas perverſitates, & „ tam mala dogmata contra fidem ad- „ invenit, Deique & Eccleſiæ hoſtis „ extitit? „ Inter errores quoque eamdem Origenis opinationem recenſet in Synopſi cap. 18. lib. 2. Panarii.

IX. S. Hieronymus, quem nonnulli Origeni faviſſe falſo putant, cujus ſolum interdum admiratus eſt ingenium, eruditionem, & peritiam Scripturarum, ut ipſe teſtatur (*a*), ita ſcribit adverſus ipſum in Epiſtola ad Pammach. & Ocean.: „ confitemini & vos in qui- „ buſdam errare Origenem ... Dicite „ eum male ſenſiſſe de Filio, pejus de „ Spiritu Sancto, animarum de cælo „ ruinas impie protuliſſe, reſurrectio- „ nem carnis verbo tantum confiteri, „ cæterum aſſertione deſtruere, & poſt „ multa ſæcula, atque unam omnium „ reſtitutionem idipſum fore Gabrielem, „ quod Diabolum, Paulum, quod Caipham, „ Virgines, quod Poſtribulas „ &c. „. Libro quoque cont. Joan. Hieroſol. inter octo Origenis errores hunc enumerat *tertium*, *quod dicat & Diabolum & Dæmones acturos pœnitentiam aliquando, & cum Sanctis ultimo tempore regnaturos*: quod pariter *inter impia, & nefaria dogmata* ponit lib. Apolog. con. Ruffinum.

X. Latius de hoc ſcribit in cap. 3. Jonæ, atque hæc diſſerit: „ quia hoc „ (futuram nempe omnium creatura- „ rum rationalium reparationem) ſan- „ cta Scriptura non dicit, & evertit „ penitus timorem Dei, dum facile ho- „ mines labuntur ad vitia, putantes „ etiam Diabolum, qui author malo- „ rum eſt, & omnium peccatorum fons, „ acta pœnitentia poſſe ſalvari, de no- „ ſtris mentibus abjiciamus, & ſciamus „ peccatores in Evangelio mitti in ignem „ æternum, qui præparatus ſit Diabolo „ & Angelis ejus, & de his dici: *ver- „ mis eorum non morietur, & ignis eo- „ rum non extinguetur*.... Alioquin ſi „ omnes rationabiles creaturæ æquales „ ſunt .... & longo poſt circuitu, at- „ que infinitis ſæculis omnium rerum „ reſtitutio fiet, & una dignitas mili- „ tantium, quæ diſtantia erit inter „ Virginem, & Poſtribulam? .... „ Idemne erit Gabriel & Diabolus? „ Idem Apoſtoli & Dæmones? Idem „ Prophetæ & Pſeudoprophetæ? Idem „ Martyres, & perſecutores? Finge „ quod libet, annos, & tempora du- „ pli-

(*a*) lib. 3. Apolog. adv. Ruffin, & Epiſt. 65. ad Pam. & Ocean.

Digitized by Google

„ plica , & infinitas ætates congere
„ cruciatibus, ſi finis omnium ſimilis
„ eſt, præteritum omne pro nihilo eſt:
„ quia non quærimus quid aliquando
„ fuerimus, ſed quid ſemper futuri ſi-
„ mus.... Nec ignoro quod adverſum
„ hæc ſoleant dicere, & ſpem ſibi ac
„ ſalutem cum Diabolo præparare .
„ Verum non eſt iſtius temporis con-
„ tra dogma perverſum & *συμφραγμα*
„ diabolicum docentium in angulis ,
„ & in publicum denegantium , latius
„ ſcribere. „ Qua ex authoritate ap-
paret in primis Hieronymum velut *dog-
ma perverſum*, & *συμφραγμα* diabolicum
habere Origeniſtarum ſententiam, quam
adeo tota exhorrebat Eccleſia, ut ipſius
defenſores eam in publicum impune ef-
ferre poſſe non crederent: unde angu-
los, & latibula quærebant, ut eam diſ-
ſeminarent. Liquet præterea S. Docto-
rem loqui univerſim de reſtitutione, &
ſalute tum Dæmonum, tum hominum
impiorum etiam Chriſtianorum : quo-
niam eos redarguit, qui iſtiuſmodi do-
ctrina *ſpem ſibi, ac ſalutem cum Dia-
bolo præparabant* , qui certe nonniſi e
Chriſtiana gente erant.

XI. Ruffinus Aquilejenſis, quem Ori-
geniani erroris ſuſpectum fecerat S. ipſe
Hieronymus, hanc a ſe ſuſpicionem
ſtrenue propulſat *in priore invectiva* .
Et in Symboli expoſitione hæreſis no-
tam inurit aſſerentibus, *Diabolum a de-
bita abſolvi damnatione pœnarum*. Quan-
quam vero ibidem non ſatis liquido
ediſſerat, quid ſentiat de damnatis ho-
minibus, in Apologia tamen, quam ad
Anaſtaſium Papam conſcripſit, mentem
ſuam aperte declarat, rejicitque tanquam
hæreticum, qui eorum ſalutem defen-
dit, dicens: *illud ſentimus, quod ſcri-
ptum eſt in Evangelio, quia & ipſe Dia-
bolus, & omnes Angeli ejus , cum his ,
qui opera ejus faciunt.... cum ipſo pa-
riter æterni ignis hæreditate potietur*, ut
legit Hieronymus, vel ut alii , *hære-
ditatem patietur. Siquis ergo negat Dia-
bolum æternis ignibus mancipandum ,
partem cum ipſo æterni ignis accipiat ,
ut ſentiat, quod negavit.*

XII. Oroſius in Commonit. num. 3.
ita de hac ſententia ſcribit ad S. Au-
guſtinum : „ Aviti duo .... quædam
„ ex libris ipſius Origenis non recta ,
„ ut nuper intelligo , tradiderunt ....
„ Mundum noviſſime ideo eſſe factum,
„ ut in eo animæ purgarentur , quæ
„ ante peccaverunt. Ignem ſane æter-
„ num, quo peccatores puniantur, ne-
„ que eſſe ignem verum, neque æter-
„ num prædicaverunt, dicentes dictum
„ eſſe ignem propriæ conſcientiæ puni-
„ tionem: æternum autem juxta ety-
„ mologiam Græcam, non eſſe perpe-
„ tuum, etiam latino teſtimonio adje-
„ cto, quia dictum ſit *in æternum, &
„ in ſæculum ſæculi*, poſtpoſuerit æter-
„ no, ac ſic omnes peccatorum animas
„ poſt purgationem conſcientiæ in uni-
„ tatem corporis Chriſti eſſe redituras.
„ Voluerunt etiam de Diabolo aſſere-
„ re, ſed non prævaluerunt, quod cum
„ ſubſtantia in eo bona facta perire
„ non poſſit, exuſta in totum malitia,
„ Diaboli aliquando ſalvandam eſſe ſub-
„ ſtantiam. „

XIII. Porro Oroſio ita reſpondet S.
Auguſtinus lib. ad ipſum directo *contra
Priſcil. & Orig.* „ quantum poſſum etiam
„ ego commoneo, ut de Diaboli, An-
„ gelorumque ejus correctione , & in
„ priſtinum ſtatum reparatione ſapere
„ nihil audeas, non quia Diabolo &
„ Dæmonibus invidemus.... Sed quia
„ ultimæ ſententiæ ſummi, & veraciſ-
„ ſimi Judicis ex noſtra præſumptione
„ addere nihil debemus. Ipſe enim ſe
„ ſimilibus eorum dicturum eſſe prædi-
„ xit; *ite in ignem æternum, qui para-
„ tus eſt Diabolo, & Angelis ejus* „ .
Ex quibus patet S. Doctorem eadem
ſenſiſſe de Origenis commento, ac ſen-
tiebat Oroſius, a Catholicæ nempe fi-
dei dogmatibus eſſe alienum , eumque
in hac perſuaſione amplius confirmaſſe.

XIV. Sed clarius id expreſſit *libro de
hæreſ. ad Quodvultdeus in Hæreſi Orige-
nianorum*, ubi ſic ait : „ ſunt hujus
„ Origenis alia dogmata, quæ Catho-
„ lica Eccleſia omnino non recipit, in
„ quibus nec ipſum falſo arguit , nec
„ poteſt ab ejus defenſoribus falli (vel
„ ut alii legunt, *excuſari*) maxime de
„ pur-

„ purgatione, & liberatione, ac rurſus
„ poſt longum tempus ad eadem mala
„ revolutione rationalis creaturæ. „
Nec ſolum hoc non recipit Catholica Eccleſia, ſed etiam execratur, & horret. Sic enim perſequitur: „ quis enim
„ Catholicus Chriſtianus vel doctus,
„ vel indoctus non vehementer exhor-
„ reat eam, quam dicit purgationem
„ malorum, ideſt etiam eos, qui hanc
„ vitam in flagitiis, & facinoribus, &
„ facrilegiis, atque impietatibus, quam-
„ libet maximis, finierunt; ipſum etiam
„ poſtremo Diabolum, atque Angelos
„ ejus, quamvis poſt longiſſima tempo-
„ ra, purgatos, atque liberatos, regno
„ Dei, lucique reſtitui.... De qua va-
„ niſſima impietate adverſum Philoſo-
„ phos, a quibus iſta didicit Origenes,
„ in libris de Civit. Dei diligentiſſime
„ diſputavimus „. In his autem libris de Civit. eodem modo loquitur de Origenis ſententia. Nam lib. 21. Cap. 17. ſcribit *Origenem & propter hoc*, & propter alia nonnulla *non immerito* reprobaſſe Eccleſiam. In libro quoque *de geſtis Pelagii* num. 10. ait: „ quod autem
„ addidit Pelagius: *& ſiquis aliter cre-*
„ *dit, Origeniſta eſt*: hoc acceperunt
„ Judices, quod revera in Origene di-
„ gniſſime deteſtatur Eccleſia, ideſt,
„ quod etiam illi, quos Dominus dicit
„ æterno ſupplicio puniendos, & ipſe
„ Diabolus, atque Angeli ejus, poſt
„ tempus licet prolixum purgati libera-
„ buntur a pœnis, & Sanctis cum Deo
„ regnantibus ſocietate beatitudinis ad-
„ hærebunt „. Quare lib. 1. Retract. ſtudioſe explicat, quod ſcripſerat *de moribus Manich.*, ſenſumque legitimum aperit verborum quorumdam, ne quis ex iis ſuſpicaretur ſe Origeniana fuligine fuiſſe aliquando conſperſum.

XV. Sugillat eamdem opinationem tanquam Origenis delirium Gennadius lib. de Dogmat. Cap. 9. inquiens: „
„ poſt reſurrectionem, & judicium non
„ credamus reſtitutionem futuram, quam
„ Origenes delirat, ut Dæmones, vel
„ impii homines poſt tormenta quaſi
„ ſuppliciis expurgati, vel illi in angeli-
„ cam, qua creati ſunt, redeant digni-
„ tatem, vel iſti juſtorum ſocietate do-
„ nentur, eo quod hoc divinæ conve-
„ niat pietati, ne quid ex rationalibus
„ pereat creaturis, ſed quolibet modo
„ ſalvetur. Sed nos credamus ipſi Judici
„ omnium, & retributori juſto, qui di-
„ xit: *ibunt impii in ſupplicium æternum,*
„ *juſti autem in vitam æternam*, ut per-
„ cipiant fructum operum ſuorum. Sugillat & Theophylactus in Cap. 25.
„ Matth. his verbis: ſicut Sancti in-
„ ceſſabile habent gaudium, ita injuſti
„ indeſinentem pœnam; tametſi Orige-
„ nes nugetur dicens fore ſuppliciorum
„ finem, & non ſemper puniendos pec-
„ catores &c. „. Sugillat etiam Author lib. de *com. eſſent.* lib. 3. Cap. 6., Author Dialogorum, qui Cæſario Nazianzeni fratri aſſignatur, Sanct. Maximus in ſcholiis ad Dionyſii lib. de Cæleſti Hierar., aliique.

XVI. Præter hæc, quæ adverſam Origenianæ ſententiam tanquam fidei dogma habitam ſemper fuiſſe ab Eccleſia ſatis adſtruunt, ſuppetunt alia teſtimonia, quæ idem ſolidiſſime evincunt, ex quibus pauca tantummodo refero. Sanctus Fulgentius lib. de *fide ad Petrum* ſic ipſum monet Cap. 38. „ firmiſſime
„ tene, & nullatenus dubites non ſolum
„ omnes Paganos, ſed etiam omnes Ju-
„ dæos, Hæreticos, atque Schiſmati-
„ cos, qui extra Eccleſiam Catholicam
„ præſentem finiunt vitam, in ignem
„ æternum ituros, qui paratus eſt Dia-
„ bolo, & Angelis ejus „. Id extendit cap. 40. etiam ad malos Chriſtianos, & qui in ipſa Eccleſia perverſe vixerunt „. Et cap. 43. ait: firmiſſime tene
„ &c. in fine ſæculi bonos a malis etiam
„ corpore ſeparandos, quando veniet
„ Chriſtus, & per judicium ſegregabit
„ juſtos ab injuſtis, bonos a malis, re-
„ ctos a perverſis: bonos conſtituet a
„ dextris, malos a ſiniſtris, & ex ejus
„ ore juſti æternique judicii ſempiter-
„ na, atque immutabili prolata ſenten-
„ tia, iniqui omnes ibunt in combu-
„ ſtionem æternam, juſti autem in vitam
„ æternam: iniqui ſemper arſuri cum
„ Diabolo, juſti autem regnaturi ſine
„ fine cum Chriſto „. Ac demum con-

cludit: „ Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmiſſime pertinentia, fideliter crede, fortiter tene, veraciter, patienterque defende: & ſiquem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam peſtem fuge, & tanquam hæreticum abjice. Ita enim iſta, quæ poſuimus, fidei Catholicæ congruunt, ut ſiquis non ſolum omnibus, ſed etiam ſingulis voluerit contraire, in eo quod ſingulis horum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hæreticus, & Chriſtianæ fidei inimicus, atque ex hoc omnibus Catholicis anathematizandus appareat. „

XVII. S. Gregorius Magnus lib. 34. Moral. cap. 16. ita invehitur, ſuppreſſo nomine, in Origeniſtas explanans illud Job cap. 41., *æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem*, „ Leviathan iſte æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem, quia proborum corda ſic infatuat, ut ſuſpicionem eis de venturo judicio, quod quaſi finiatur, infundat. Abyſſum namque ſeneſcere æſtimat, qui terminari quandoque in ſuppliciis ſupernam animadverſionem putat. Igitur antiquus iſte perſuaſor in membris ſuis, ideſt in mentibus iniquorum, futuras pœnas, quaſi certo fine determinat, ut eorum culpas ſine termino correctionis extendat, & eo magis hic peccata non finiunt, quo iſtic æſtimant peccatorum ſupplicia finienda „. Hinc ſibi objicit ac ſolvit argumenta Origeniſtarum: quod etiam præſtat in 4. Dial. cap. 44. & alibi paſſim.

XVIII. Denique eamdem veritatem, ut ad fidei dogmata pertinentem, ſemper agnoviſſe Romanam Eccleſiam conſtat ex fidei profeſſione, quam a pluribus ſæculis publice canit in Symbolo, quod S. Athanaſio adſcribitur, contenta, dum ita concludit: *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala in ignem æternum. Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Eccleſia quoque Græca, ſicut eamdem fidem olim profeſſa eſt, ita intemerate retinuit, etiam poſtquam a Romana deplorando nimium Schiſmate ſejuncta fuit. Cujus rei teſtes inter alios habemus Theophanem Ceramæum, qui Homil. 2. hæc diſſerit: *hoc certe* donec perſolverit omne debitum, *non temporarium quid ſignificat, juxta fabuloſam Origenis reſtitutionem, ſed pœnas ſine carentes*. Nicetam Acominatum, *qui lib. 1. Theſ. Orthod. fid. hæreſ.* 31. *Origenem male ſenſiſſe prædicat de pœnarum, & præmiorum perennitate*. Stephanum Gobarum, qui in quæſt. in utramque partem diſcuſſis docet, *peccatores pœnis traditos a nequitia expurgari, & poſt expurgationem pœnis ſolvi* crediдiſſe Origenem: ſed *neminem ſupplicio liberari, quæ vera eſt Eccleſiæ ſententia*, credendum eſt.

XIX. Sed neque in hoc dogmate a Catholica fidei deſciverunt cæteræ Eccleſiæ Schiſmaticæ Orientales, & Occidentales. De Neſtorianis, Jacobitis, & Æthiopibus hoc teſtatur Renaudotius *lib. 4. perp. fid.* Equidem aliquos ab inferni flammis liberari dicunt tempore inter mortem & ultimam reſurrectionem interjecto, ſi deprecationibus, ſacrificiis, & eleemoſynis fidelium fiat ſatis pro ipſis divinæ juſtitiæ. Sed de iis commode intelligi poſſunt, ac debent, qui non æterno, ſed temporario Purgatorii ſupplicio propter leves noxas, aut pœnam aliis debitam nondum expiatam, deputati ſunt: quo in ſenſu in latina quoque liturgia dicitur: *Domine Jeſu Chriſte libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni &c.* Perſpectum idem eſt de Eccleſiis Proteſtantium. Confeſſio Auguſtana, quam Lutherani recipiunt, dogma de pœnarum æternitate ut fide certum proponit. Dominus Swinden Theologus Anglus Eccleſiæ ſuæ ſenſum exhibet (*a*), dum hoc dogma defendens profitetur *ſequi ſe doctrinam univerſalis Eccleſiæ, quæ pœnarum æternitatem tamquam fidei dogma agnoſcit, unumque ex præcipuis Chriſtianæ Religionis expreſſe contentum in ſacris litteris*. Quod etiam

(a) in libello, cui titulus *recherches &c.* cap. ult.

etiam colligitur ex turbis, & rumoribus, quos in Angelicana Eccleſia excitavit ſermo Tilotſoni, qui hanc veritatem per latus aggreſſus eſt. Alii in hoc etiam conſentientem produnt Eccleſiam *prætenſam Reformatam*; & ex Sermone D. Saurini, quem Clericus laudat (*a*), aperte eruitur. De his vero cæteriſque omnibus generatim loquens Petrus Bayle (*b*) *conſpirare teſtatur in hac fide cum Romana & Græca Eccleſia Proteſtantium omnes communiones, quæ litteraliter explicant, & intelligunt Scripturarum verba de æternis impiorum pœnis, & adverſam ſententiam habent execranturque velut hæreſim pernicioſam, & Origenis delirium*. Ex quo infert ille (quod plane mirere, cum ipſe alibi contra pœnarum æternitatem deprælietur) *id a quolibet exigere prudentiæ leges, ut conſenſum omnium ſæculorum Chriſtianæ Religionis anteferat privatæ quorumdam opinationi, quæ non ſine ſcandalo in vulgus efferri poteſt*.

CAPUT XVI.

Patres omnium ſæculorum in dogmate de pœnarum inferni æternitate concordes. Plurium eorum, qui vel ante, vel circa Origenis ævum floruere, ſeries contexitur, ſicut & fidelium, qui Eccleſiæ doctrinam profuſo ſanguine conſignarunt. Tum ſubſequentia ſæcula perluſtrantur, eamdemque veritatem ubique ab Eccleſiæ Patribus & Scriptoribus conſtantiſſime traditam fuiſſe oſtenditur.

I. PRæter tot perennis Eccleſiæ de pœnarum æternitate traditionis monumenta, quæ capite ſuperiore adducta ſunt, ne quid in quæſtione adeo momentoſa deſiderandum ſuperſit, placet eamdem amplius oſtendere prolatis Patrum & fidelium de hoc dogmate ſententiis, non omnium quidem, neque enim orationi eſſet finis, ſed præcipuorum, eorumque maxime, qui priora Chriſtianæ Religionis ſæcula illuſtrarunt. Equidem ab hoc labore abſtinere decreveram, qui ſuperfluus & inutilis in re adeo manifeſta videri facile poteſt. Verum de ſententia diſceſſi, ut adverti Authores quoſdam, magni alioquin nominis, plenum de hoc dogmate Eccleſiæ Patrum conſenſum in dubitationem adducere, ac ipſos primævos Patres veluti inter ſe diſſentientes exhibere. Nam Ugo Grotius in notis *ad cap.* 25. *Matth.* Origenem non primum fuiſſe perhibet, qui inter Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores deſitura aliquando impiorum ſupplicia exiſtimaverit, *cum ſimilia fere apud Juſtinum Martyrem, Arnophilum Antiochenum, Tatianum, Theobium, Irenæum legantur*. Conſentit cum Grotio Huetius *in Origenian.* quoad Juſtinum, Irenæum, & Arnobium, quibus adjicit duos Origene poſteriores Patres Nyſſenum, & Nazianzenum. Petavius vero præter hos poſtremos etiam Ambroſium, & Pſeudoambroſium propenſiores repræſentat in Origenianum errorem.

II. Ut igitur palam fiat Patres omnes in Eccleſiæ dogmate concordes fuiſſe, eorum ſeriem exordior a Clemente Romano Pontifice viro Apoſtolis coævo, qui in teſtimonio laudato a S. Joanne Damaſceno *in Eclogis* impiarum animarum ſempiternas pœnas ita prædicat: „ immortales omnes animæ ſunt „ & impiorum: quibus melius foret non „ incorruptibiles eſſe. Nam pœna ſempiterna ab inextinguibili igne puni„ tæ, neque morientes, magno ſuo „ malo nullum finem obtinere poſſunt„. Et lib. 4. Recog. vel quicumque Author ſit illius operis: „ Quod autem eſt deterius in conſummatione ſæculi, cum „ Dæmon ille igni tradetur æterno, neceſſario & anima, quæ ei paruit, cum „ ipſo æternis ignibus cruciabitur una „ cum corpore ſuo, quod polluit.„

(a) in Biblioth. Select. &c.
(b) Reponſe aux queſtions d' un Provinc pag. mihi 872.

III. Omitto Juſtinum Martyrem, de quo fuſius cap. ſequenti, & affero Juſtini Diſcipulum Tatianum, qui in Orat. *contr. Gent.*, Dæmones perpetuo puniendos aſſerit, & acriore quidem ſupplicio, quam homines, quoniam cum non ut homines moriantur, pluribus ſe delictis obſtringunt. „ Quod in præ-
„ ſentia, inquit, peculiare habent, ut
„ non ſimiliter, atque homines, mo-
„ riantur, hoc ipſum & cum puniendi
„ erunt, ipſis aderit, ac vitæ ſempi-
„ ternæ participes non erunt, ita ut
„ pro morte illius in immortali corpo-
„ re compotes fiant. Quemadmodum
„ autem nos, quibus nunc facile mors
„ ſupervenit, poſtea vel immortalita-
„ tem cum voluptate, vel triſtitiam
„ cum immortalitate aſſequemur; ſic Dę-
„ mones, qui præſenti vita ad peccan-
„ dum abutuntur, & perpetuo etiam
„ vivendo moriuntur, eamdem poſtea
„ immortalitatem habebunt. „

IV. S. Theophilus ad Autolycum in fine lib. I. ita ipſum admonet: „ Deo
„ fidem habeto, lubenti animo ei ob-
„ temperans: ne ſi nunc incredulus fue-
„ ris, aliquando credere cogaris ma-
„ gno tuo malo tunc ſuppliciis crucia-
„ tus æternis: „ quarum pœnarum ſubinde ait etiam mentionem feciſſe prophanos Scriptores, & Poetas, ut ſua dogmata magis conſtabilirent: ac poſtea ſubdit: „ Verum tu ipſe, ſi placet,
„ conſule litteras Sacras. Hæ etenim
„ majore evidentia te inſtituere poſ-
„ ſunt, quo pacto poſſis evitare ſem-
„ piternas pœnas αἰωνίυς κόλασις, &
„ nanciſci perpetua bona αἰώνιον ἀγαθὸν,
„ quæ ſuis cultoribus pollicetur Deus.
„ Nam ille, qui dedit os ad loquen-
„ dum, qui formavit aurem ad audien-
„ dum, qui finxit oculos ad videndum,
„ exquiret, & aſſidua indagine excu-
„ tiet omnia, & ſententiam ſuam ju-
„ ſtiſſime pronunciabit, tribuens cui-
„ que ſecundum opera ſua: his qui-
„ dem, qui operibus bonis intenti quæ-
„ runt immortalitatem, donabit vitam
„ perennem, pacem, requiem, & abun-
„ dantiam bonorum, quæ oculus non
„ vidit, nec auris audivit, neque in cor
„ hominis aſcenderunt. At incredulis,
„ contemptoribus, non obtemperanti-
„ bus veritati, parentibus vero injuſti-
„ tiæ... iis inquam cedet ira, furor,
„ tribulatio, & anguſtia: Et ut ad pau-
„ ca redeam, ignis infernalis hos perpe-
„ tuo πῦρ αἰώνιον cruciabit. Qui ita
„ loquitur, næ ab Origene longiſſime
„ diſcrepat.

V. Tertullianus in Apologetico *piis ac bonis vitæ æternæ retributionem deſtinatam* aſſerit cap. 13., *prophanis vero ignem æque perpetem, ac jugem*. Et cap. 45. ſcribit: „ enim vero nos qui ſub
„ Deo omnium ſpeculatore diſpungimur,
„ quique æternam ab eo pęnam provi-
„ demus, merito ſoli innocentiæ oc-
„ currimus & pro ſcientiæ plenitudine,
„ & pro latebrarum difficultate, & pro
„ magnitudine cruciatus non diuturni, ve-
„ rum ſempiterni eam timentes. „ Et in lib. de teſtim. anim. cap. 4. docet, *animam pro meritis aut cruciatui deſtinari, aut refrigerio, utroque ſempiterno*. Videndus etiam in lib. de Car. Chriſt. cap. 4., ubi de Dæmonibus loquens aſſerit, *numquam illis fuiſſe reſtitutionem promiſſam*.

VI. Minucius Felix *in Octavio* inferorum cruciatus tum in Dæmonibus, tum in hominibus impiis ſempiternos fore elegantiſſime declarat his verbis:
„ Admonentur homines doctiſſimorum
„ libris & carminibus Poetarum illius
„ ignei fluminis, & de ſtygia palude
„ ſæpius ambientis ardoris, quæ cru-
„ ciatibus æternis præparata, & Dæ-
„ monum indiciis, & de Oraculis Pro-
„ phetarum cognita tradiderunt .....
„ Nec tormentis aut modus ullus, aut
„ terminus. Illic ſapiens ignis membra
„ urit, ac reficit: carpit & nutrit
„ &c. „.

VII. S. Irenæus lib. 4. cap. 47.: „
„ pęna eorum, qui non credunt Verbo
„ Dei, & contemnunt ejus adventum, &
„ convertuntur retrorſum, adampliata eſt,
„ non ſolum temporalis, ſed & æterna
„ facta. Quibuſcumque enim dixerit Do-
„ minus: *diſcedite a me maledicti in ignem*
„ *æternum*, iſti erunt ſemper damnati:
„ & quibuſcumque dixerit: *venite be-*

nedi-

,, *nedicti Patris mei*, *percipite hæredita-*
,, *tem regni*, *quod præparatum eſt vobis*
,, *in ſempiternum*, hi ſemper percipiunt
,, regnum &c.,,, Et lib. 5. cap. 27. id
fuſius enarrat, & ait inter cætera: ,,
,, æterna autem & ſine fine ſunt a Deo
,, bona: & propter hoc & amiſſio eorum
,, æterna & ſine fine eſt. Quemadmo-
,, dum in immenſo lumine, qui excæ-
,, caverunt ſemetipſos, vel ab aliis ex-
,, cæcati ſunt, ſemper privati ſunt
,, jucunditate luminis. ,,

VIII. Sanctus Cyprianus invictiſſime propugnat eamdem terribilem veritatem, quam ſępe repetit, eloquenter docet, vehementer inculcat pluribus in locis, ſed pręcipue in Epiſt. ad Demetrian., ubi primum ſic fatur: ,, intra
,, unam domum Domini boni & mali
,, interim continemur. Quidquid intra
,, domum evenerit, pari ſorte perpeti-
,, mur, donec ęvi temporalis fine com-
,, pleto ad ęternę vel mortis, vel im-
,, mortalitatis hoſpitia dividamur. ,,
Et poſtea: ,, credite illi, qui hęc o-
,, mnia futura prędixit. Credite illi,
,, qui credentibus pręmium vitę ęter-
,, nę dabit. Credite illi, qui incredu-
,, lis ęterna ſupplicia Gehennę ardori-
,, bus irrogabit ... Cremabit addictos
,, ardens ſemper Gehenna, & vivaci-
,, bus flammis vorax pęna: nec erit
,, unde habere tormenta vel requiem
,, poſſint aliquando, vel finem. Serva-
,, buntur cum corporibus ſuis animę
,, infinitis cruciatibus ad dolorem &c.
,, ſecundum Scripturę Sanctę fidem di-
,, centis: *vermis eorum non morietur*, *&*
,, *ignis eorum non extinguetur*...., Erit
,, tunc fine fructu pęnitentia, & inef-
,, ficax deprecatio &c. ,,. Et *Epiſt.* 77.
ad Nemeſianum: ,, culpa graviſſima per-
,, fidorum eſt non credere ei, qui ſe
,, opem ſuam daturum confidentibus
,, pollicetur, nec rurſus eumdem time-
,, re, qui ęternam pęnam negantibus
,, comminatur,,. Paria loquitur *Epiſt.*
55. *ad Cornel.*, & lib. *de unit. Eccl.*,
& aliis in locis: ſed omnium inſignis
locus eſt, qui habetur in ſerm. *de Aſcenſ. Domini*. ,, Quanta, inquit, illud
,, edictum (a Chriſto pronunciandum
,, in reprobos in finali judicio) ſequen-
,, tur lamenta! Illius ultimæ tubæ clan-
,, gor quam horribilis erit! Continuus
,, erit, & ſuperfluus illarum lacryma-
,, rum decurſus, ſtridorem illum den-
,, tium flammæ inextinguibiles agita-
,, bunt. Immortales miſeri vivent in-
,, ter incendia, & inconſumptibiles
,, flammæ nudum corpus allambent....
,, Et omni tormento atrocius deſpera-
,, tio condemnatos affliget &c.,,.

IX. Eadem perhibet Clerus Romanus in Epiſt. ad Cyprianum referens ſenſum illius Eccleſiæ, ſuper quam *doctrina Apoſtolorum* (ut utar Tertulliani verbis lib. de proſcrip. cap. 36.) *cum eorum ſanguine mirabiliter effuſa eſt*, *& quam audire*, *cum eaque concordare debere omnes* tradit Irenæus lib. 3. c. 3. Verba ejus ſunt: ,, Deus, ut eſt indulgens,
,, ita eſt præceptorum ſuorum exactor,
,, & quidem diligens: & ſicut ad con-
,, vivium vocat, ſic habitum nuptia-
,, rum non habentem, ligatis manibus,
,, & pedibus extra ſanctorum cœtum
,, foris jactat. Paravit Cælum, ſed pa-
,, ravit & Tartarum. Paravit refrige-
,, ria: ſed paravit etiam æterna ſuppli-
,, cia. Paravit inacceſſibilem lucem,
,, ſed paravit etiam perpetuæ noctis
,, vaſtam æternamque caliginem &c.,,.

X. Julius Firmicus de error. prophan. Relig. cap. 19. ,, ſingulorum, ait, pari
,, gratia merita penſantur. Illi vita
,, confertur propter hujus ſæculi mala:
,, tibi propter hujus ſæculi bona per-
,, petua tormentorum pœna decerni-
,, tur,,. Similia docent Juvencus *lib.* 4. *Hiſtor. Evangel.*, & S. Hippolitus *de conſum. Mundi*.

XI. Hiſce Patribus, qui vel ante Origenem, vel circa ejus tempora floruerunt, attexere lubet teſtimonia fidelium, qui iiſdem, vel proximis temporibus Catholicam fidem ſuo ſanguine confirmavere, & quorum ſenſa, ut alibi etiam monuimus, noſſe plurimum intereſt: quoniam Tyrannos alloquentes, non privatas opiniones, ſed nudam & communem enunciabant Eccleſiæ fidem, quam cum lacte ſuxerant, prout ab omnibus tenebatur.

Ho-

Horum plurium verba recitata ſunt, cum de igne inferni ageremus. Nonnulla alia nunc proferamus eruta ex authenticis eorum actibus apud Ruinartum.

XII. S. Julius Martyr Preſidi Maximo ſuadenti, ut Diis immolaret, infracto animo reſpondit: *non facio, quæ deſideras, neque incurram peccatum, & pœnam perpetuam*. Et poſtea: *qui Deum confeſſus fuerit, habebit vitam æternam: qui autem negaverit, habebit pœnam perpetuam*.

XIII. In Paſſione Sanctę Felicitatis eorumque Filiorum, hoc refertur inter alia fuiſſe motivum, quo ſe invicti Martyres excitabant ad ſtrenue perferenda Tyranni ſupplicia, memoriam nempe ſempiterni cruciatus, qui jugiter ante eorum oculos obverſabatur. Sic enim cum Tyrannus Publius Felicitati dixiſſet: *miſera, ſi tibi ſuave eſt mori, vel filios tuos fac vivere:* repoſuit illa: *vivent filii mei ſi non ſacrificaverint idolis: ſi vero hoc tantum ſcelus admiſerint, in æternum ibunt interitum*. Et Sylvanus filiorum quartus, *nos ſi tranſitorium timuerimus interitum, æternum incurremus ſupplicium... adorantes enim Dæmonia cum ipſis in interitu erunt, & incendio ſempiterno*. Alexander quoque ordine quintus: *Dii tui cum cultoribus ſuis erunt in interitu ſempiterno*. Et ſeptimus eorum nomine Martialis: *omnes, qui non confitentur Chriſtum eſſe verum Deum, in ignem æternum mittentur*.

XIV. S. Maximus Proconſuli urgenti ut ſacra Diis faceret, quo tormenta, quę minabatur, effugeret, reſpondit: *hæc non ſunt tormenta, quæ pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti inferuntur: ſed ſunt unctiones. Si enim receſſero a Domini mei præceptis, quibus ſum de Evangelio ejus eruditus, vera & perpetua mihi manebunt tormenta*.

XV. In actis S. S. Martyrum Claudii, & Aſterii, prior dixiſſe fertur Lyſię Prędidi: *Dii veſtri dæmones immundi ſunt; ideo hujuſmodi ſacrificiis delectantur, perdentes animas in æternum*. Cumque Pręſeş eum ad Virgas aptari pręciperet: *etſi graviora tormenta adhibeas, in nullo me lædis: animæ vero tuæ provides æterna tormenta*: ac deinde cum ungulis laniaretur: *tormentis me non poteris nocere; animæ autem tuæ ignem extinguibilem providiſti*. Extat etiam in eiſdem actibus quid reſponderint Domina, & Theonilla Tyranno ignis ſupplicium minitanti: prima nempe: *ne in ignem æternum incidam, & tormenta perpetua, Deum colo, & Chriſtum ejus*. Altera autem: *ego ignem æternum timeo: qui poteſt corpus, & animam perdere*.

XVI. Illuſtre eſt teſtimonium S. Victoris, qui ſub annum Chriſti 300. martyrium ſubiit. Ad tribunal enim Præfectorum adductus grandi voce profitebatur *non tormenta, ſed refrigeria recte dici, quæ cruciatus æternos extinguunt*. Ac ſubinde: *illo ſane nihil inſanius, nihil, omnium conſcientia teſte, vecordius, qui hoc tanto bono ſine cauſa poſthabito, manifeſtum vitæ ſuæ hoſtem ſtudioſe ut Deum colat; unde & poſt vitam nihil aliud quam mortis æternæ mercedem, & inexplicabiles ſine termino cruciatus acquirat*. Ac poſtea ſocios ad tolerantiam ſuppliciorum adhortans: *momentanea*, dicebat, *ferte ſupplicia, ut triumphaliter ſuperare poſſitis æterna*.

XVII. Haud abſimile eſt teſtimonium S. Patritii Epiſcopi, & Martyris ſic Proconſulem alloquentis: Deus *geminas ſedes apparavit, earumque alteram ſempiterna illuſtrem luce faciens omnibus, iiſque exquiſitiſſimis bonis cumulavit; alteram vero perpetuis tenebris, & nunquam finiendæ caſtigationis igne velut ſempiterno ſupplicio implevit, ut qui vivendi licentia ejus iras commeruiſſent, in tenebras ad omne ſupplicium, & ſempiternos cruciatus deturbarentur*. Gemina leguntur in Paſs. Sancti Petri Balſami, in actis SS. Agapes, Chioniæ, Irenis &c.; SS. Tarachi, & Probi: SS. Simeonis & Sociorum: SS. Luciani & Marciani. S. Philippi Epiſcopi Heracleenſis: S. Afræ: S. Baſilii Ancirani, aliorumque, quorum teſtimonia legi poſſunt apud laudatum Ruinartum, & Bollandiſtas.

XVIII.

XVIII. Sed Patrum aliquorum, qui ſequiora Eccleſiæ ſæcula condecorarunt, teſtimonia recenſere pergo. Lactantius Firmianus lib. 2. cap. 12. ita ſecundam mortem, ſeu damnationem deſcribit: „ mors eſt æterni doloris perpeſſio; „ vel: mors eſt animarum pro meritis „ ad æterna ſupplicia damnatio „. Et lib. 7., Diabolum, ejuſque miniſtros & impios omnes *perpetuo igne cremandos in æternum* aſſerit. Et cap. 5. ejuſdem libri inquit: „ qui noluerit bene vivere „ ad tempus, male vivet in æternum. „ Damnabitur enim ſententia Dei ad „ æternam pœnam, quia cæleſtibus bo- „ nis terrena præpoſuit „. Eadem ſcribit lib. 1. cap. 6., & lib. 6. cap. 4., & lib. de ira Dei cap. 21.

XIX. S. Hilarius cap. 5. in Matth. hæc habet: „ igitur requies nulla gen- „ tibus, neque mortis, ut volunt, com- „ pendio quies dabitur, ſed corporalis „ & ipſis æternitas deſtinabitur; ut i- „ gnis æterni ſit in ipſis æterna mate- „ ries, & in univerſis ſempiteruis exer- „ ceatur ultio ſempiterna. „ Et cap. 27. nedum infidelium, ſed & fidelium eorum, qui in peccatis decedunt, deſperatam eſſe ſalutem perſpicue declarat, cum de ſervo illo loquens, qui, abſente Domino ſuo, inſolenter in domo ſe gerit, ait: „ quod ſi contuens lon- „ gam Dei patientiam, quæ in pro- „ fectum humanæ ſalutis extenditur, „ adverſum conſervos inſoleſcet, & ſę- „ culi malis, vitiiſque ſe tradet, prę- „ ſentium tantum curam in cultu ven- „ tris exercens, deſperata die Domi- „ nus adveniet, eumque a bonis, quæ „ ſpoponderat, dividet, portionemque „ ejus cum hypocritis in pœnæ peren- „ nitate conſtituet „. Et mox iiſdem peccatoribus, quos quinque fatuæ Virgines adumbrant, nullum poſt mortem ſupereſſe pœnitentiæ ſpatium affirmat. Idem monet in Pſal. 50., & in Pſal. 57. Hinc cum in Pſal. 68. de Sodomitis & Gomorrheis loquens dicit: *invenio his ad miſericordiæ reconciliationem id, quod percuſſæ ſunt, profeciſſe, cum tolerabilius his in die judicii ſit futurum, quam iis, Civitatibus in quibus de Apoſtolorum pedibus pulvis excuſſus eſt &c.* Cum, inquam, hæc aſſerit, ejus verba ita explicanda ſunt, quod Hilarius exiſtimaverit in ipſa percuſſione, ſive incendio Sodomorum, multos repente dolorem de peccatis ſuis concepiſſe, ſicut & in generali diluvio probabile eſt, atque ita ſalutem adeptos; vel quod gravius præ Sodoma, & Gomorrha puniendæ ſint Civitates illæ, de quibus loquitur Chriſtus in Evangelio.

XX. Euſebius Cæſarienſis lib. 11. de præpar. Evang. cap. 20. ait: *Pyriphlegetonta vero ignem æternum eſſe quis dubitabit?* Lucifer quoque Calaritanus in lib. *moriendum eſſe pro Dei Filio &c.*: „ te cum temporali, caduco, corrupti- „ bili regno tuo tranſiturum, & ad æ- „ ternam pœnam, niſi tibi dum eſt lo- „ cus, provideris, perventurum &c. „. Et poſtea: „ vult nos Deus mortem „ morte diſſolvere, tormentis tempora- „ riis æterna cruciamenta diſcutere, „ ſupplicia futura perpetua tuis ſuppli- „ ciis evacuare... tibi vero injuſtiſſimo „ perſecutori venturum ſine fine ſup- „ plicium ſcire debes „.

XXI. Nemeſius Philoſophus Chriſtianus lib. de nat. hom. cap. 1.: homini quidem, quandiu in hac vita degit conceſſum eſſe pœnitentiæ, & veniæ ſpatium animadvertit, poſt mortem autem nullum eſſe veniæ & indulgentiæ locum. *Soli*, inquit, *homini datum hoc eſt, & omni, & ſemper per id tempus, quo in mundo verſatur*, ut pœnitentia peccata eluat: *poſt mortem vero non datur*.

XXII. S. Ephrem Syrus in ſermonibus exegeticis (*a*): „ debent omnes fa- „ teri, & credere ſæculi illius ignem „ hoc noſtro longe eſſe atrociorem. „ Nam.... iſte obvium nutrimentum „ uſque eo depaſcitur, dum abſumpſe- „ rit; ſiquid autem contrarium incide- „ rit,

(a) Tom. 2. Oper. novæ edit. Syr. Lat. pag. 354.

„ rit, extinguitur, ceſſat, & evaneſcit. „ Contra ille ignis nunquam extinguen- „ dus non abſumit, quos torquet, mi- „ ſeros; nec enim abſumere juſſus eſt, „ ſed urere, ac torquere ... ut expers „ lucis, ſic etiam finis. Scriptum eſt „ enim ignem fore ſempiternum „. Hoc ipſum repetit de variis tormentorum locis differens.

XXIII. S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 18. n. 19.: „ reſurgemus igitur, æterna „ quidem omnes, non omnes vero ſimilia habentes corpora. Verum ſiquis „ juſtus eſt, cæleſte corpus accipiet, ut „ poſſit cum Angelis digne una verſari. „ Siquis autem peccator eſt, corpus accipiet æternum perpetiendæ peccatorum „ pœnæ capax, ut in igne æternum combuſtus nunquam abſumatur „. Quod & alibi inculcat.

XXIV. S. Baſilius Magnus ſerm. de fut. Jud. (*a*): „ plurimi homines ex „ illis verbis (ille quidem multis vapulabit, ille vero paucis (finem ſupplicii eorum, qui puniendi ſunt, fore „ dictitant; cum illa non temporis productionem, ſive adimpletionem, ſed „ tormentorum declaret differentiam. „ Nam & Dominus interdum affirmat, „ hos quidem ad ſupplicia abituros æterna, juſtos autem in vitam æternam. Aliquando autem quoſdam legitur in ignem ablegare æternum, qui „ Diabolo præparatus eſt, & Angelis „ ejus.... Hæc & hujuſmodi, cum ſic „ poſita frequenter in divinis reperiantur litteris, unum omnino illud eſt ex „ inſidiis, & artificiis Diaboli, quod „ cum multos homines, tales ac tantę „ Domini ſententiæ prætereant, ut ad „ peccandum audaciores fiant, finemque „ ſibi ipſis ſuppliciorum ſtatuant.... Illud itaque (ille vapulabit multis, & „ ille paucis) non finem, ſed differentiam pœnarum declarat „. Et Epiſt. 44.: „ quali corpore infinita illa, & intolerabilia perferet tormenta, ubi ignis inextinctus, & vermis indefinenter puniens, & imum inferi tenebricoſum, & horrendum, & ululatus amari, & ejulatus ingens, & ploratus „ & ſtridor dentium; & ubi mala finem „ non habent, ab his poſt mortem liberari „ non datur, neque eſt induſtria ulla, „ neque pars effugiendi amara ſupplicia „.

XXV. S. Pacianus *in Parænet. ad Pœnit.*: „ poſt animarum tempeſtiva „ ſupplicia, redivivis quoque perpetua „ corporibus pœna ſervatur „. & mox: „ mementote, fratres, quia apud inferos exomologeſis non eſt: nec pœnitentia tunc tribui poterit, conſumpto „ tempore pœnitendi „.

XXVI. Miſſos facio SS. Joannem Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, Fulgentium, Gregorium Magnum, alioſque, quorum plura jam ſupra adduximus teſtimonia, & alia innumera adduci poſſent: & ad alios, paucos quidem, ne ſim immenſus, ſacros ſcriptores progredior. S. Proſper ſive Julianus *lib.* 1. *de vita Contemp.* cap. 3. hæc profert: „ nec remunerati pręmium „ finient, nec damnati ſupplicium. „ Quandoquidem propterea incorruptio, „ & immortalitas dabitur etiam corporibus miſerorum, ut nec ipſi æternam pęnam finiant, nec ipſos conſumat immortalis pœna, ſed puniat „. Et lib. 3. cap. 12. de damnatis ait: „ quorum „ continuus gemitus, cruciatus æternus, „ dolor ſummus, torquent animam, non „ extorquent; puniunt corpora damnata, non finiunt. Quos ideo ignis inextinguibilis ſibi deputatos non extinguit, ut permanendo ſentiendi vita, pœna permaneat, & ad dolendum „ magis, quam ad vivendum æternis „ corporibus compeditos, quos in flammis vivacibus immortalitas ſecundæ „ mortis occidet, &c. „.

XXVII. S. Leo Magnus ſerm. 4. de Collec. cap. 3.: „ Quis iſtam ſortem æternorum cruciatuum non paveſcat? Quis mala nunquam finienda „ non timeat? „.

XXVIII. S. Cyrillus Alexand. *orat. de*

(*b*) apud S. Ephrem in edit. Voſſi.

de Exit. Anim. late deſcribens locum
inferni corporeum, & tenebroſum ſub-
jungit: „ qualis eſt Gehenna ignis in-
„ extincti, urentis, neque lucentis!...
„ Mihi amarulentam timeo Gehennam,
„ quippe interminatam: exhorreo Tar-
„ tarum, &c.„.

XXIX. Theodoretus in Pſal. *6.*: „
„ clauſa eſt pœnitendi janua iis, qui
„ hinc demigrarunt, nec fieri poteſt ut
„ illi, qui in præſenti vita pœnitentię
„ remediis uti noluerunt, illic afferant
„ Deo confeſſionem pro peccato. Te-
„ ſtis eſt autem his verbis etiam Virgi-
„ num parabola. Etenim per illam di-
„ cimus fatuas Virgines reſtinctis lam-
„ padibus, manſiſſe extra januas, ſed
„ rejectæ ſunt, & thalamo excluſæ ſunt;
„ ait enim ipſis: *diſcedite, non novi*
„ *vos*. Quocirca B. David has affert
„ Deo preces, rogans ut ſanetur, perin-
„ de ac ſi medicamenta pœnitentiæ non
„ haberent amplius locum in illa vita.
„ *Non eſt in morte qui memor ſit tui*: id-
„ circo precor ut in præſenti curatione
„ fruar; quoniam novi eos, qui ab hac
„ vita diſceſſerunt cum ulceribus, nul-
„ lam deinceps medicinam conſecuturos,
„ cum nullus amplius ſit pœnitentiæ lo-
„ cus „.

XXX. S. Petrus Chryſologus ſerm.
66.: „ Ipſe (Dives) clamans dixit &c.
„ ſic clamat ibi, qui hic clamantes con-
„ tempſit audire: ibi caſſa vox eſt, iſtic
„ inanis eſt clamor. Audi Prophetam
„ dicentem: in Inferno autem quis con-
„ fitebitur tibi? In Inferno quis miſeri-
„ cordiæ locus? In tormentis quæ ſpes
„ veniæ? Et in hora ſententiæ tempus
„ indulgentię quis requirit? „

XXXI. Venerab. Beda in cap. *9.* Joan-
nis: „ Nox eſt, in qua ligate illi manus &
„ pedes, & projicite eum in tenebras ex-
„ teriores. Operetur ergo homo ne in illa
„ nocte pręveniatur, ubi nemo poſſit ope-
„ rari. Modo eſt, ut operetur fides per di-
„ lectionem. Et, ſi modo operemur, hic
„ eſt dies, hic eſt Chriſtus. Ibi erit nox,
„ ubi nemo poſſit operari, ſed recipere,
„ quod operetus eſt. Aliud eſt tempus
„ operationis, aliud receptionis. „

XXXII. Rabanus Maurus lib. *9.* in
Eccleſiaſ. cap. *1.*: „ Vere ibi timor eſt
„ mortis, ubi continuum incendium eſt
„ Gehennę ignis... Iſaias Propheta de
„ reprobis & ſupplicio mancipatis lon-
„ ge ante prędixit *vermes eorum non*
„ *moriuntur, & ignes eorum non extin-*
„ *guuntur*. Quid enim horribilius dici,
„ quid excogitari poteſt, quam damna-
„ tionis vulnera ſuſcipere, & dolores
„ vulnerum nunquam finire? „

XXXIII. Haymo in cap. *24.* Iſaię
ad illa verba, *& poſt multos dies viſita-*
buntur, ſcribit: „ Origenes dicit, quia
„ poſtquam (reprobi) acceperint a Do-
„ mino illam ſententiam terribilem,
„ *ite maledicti &c.* poſt multos dies,
„ ideſt poſt mille annos, finito judicio
„ a Domino viſitandi ſunt. Quam ſen-
„ tentiam nemo Sanctorum Patrum cor-
„ roborat, ſed OMNES DENEGANT,
„ habentes illam ſententiam Domini an-
„ te oculos: *ibunt impii in æternum ſup-*
„ *plicium, juſti autem in vitam æternam*.
„ Quidquid ęternum eſt, ſine termino
„ eſt. Sicut ergo Dominus juſtis poſuit
„ gaudium ęternum, ita impiis ſuppli-
„ cium ęternum. „

XXXIV. S. Anſelmus enarrat in
Evang.: „ Poſt mortem nulla poteſt
„ inveniri medicina, quia in inferno
„ nulla eſt redemptio. Quiſquis enim
„ ſemel ęternę damnationi traditus eſt,
„ nunquam ulterius redemptionem con-
„ ſequi poteſt. Quiſquis ſemel traditus
„ irrevocabiliter fuerit crudelibus Ange-
„ lis, quorum officium eſt reprobos
„ torquere, nunquam ulterius valet de-
„ bitum reddere. Quia non poteſt per
„ pœnitentiam, & bona opera, quod
„ male geſſit, emendare, & propterea
„ ſemper cogitur pœnas ſuſtinere. „

XXXV. Plures alios proferre poſſem,
ſed omnium agmen claudat S. Bernar-
dus, qui lib. *1.* de anim. ad Ugonem ſic
loquitur: „ Procul a beata Paradiſi
„ patria exulati cruciabuntur in Gehen-
„ na perpetua, nunquam lucem viſuri,
„ nunquam refrigerium adepturi: ſed
„ per millia millium annorum in infer-
„ no cruciandi, nec inde unquam li-
„ berandi, ubi neque qui torquet, ali-
„ quando fatigatur, nec qui torquetur,

 ali-

„ aliquando moritur &c. „. In quibus omnibus Authoritatibus illud maxime animadverti debet, Sanctos Patres de pœnarum inferni æternitate loqui, non quaſi de re, de qua ulla foret inter fideles diſputatio, ſed tamquam de re certa, omnibus explorata, & extra controverſiæ aleam penitus conſtituta.

CAPUT XVII.

Nonnulli Eccleſiæ Patres vindicantur, quos cum Origene conſentientes faciunt Grotius, Huetius & Petavius. Juſtino & Irenæo aliiſque ſecundi ſæculi Patribus perperam affingitur opinio de temporario impiorum cruciatu, quem potius æternum crediḍiſſe productis ipſorum textibus manifeſtum fit. Gregorii Nyſſeni opera ab Origeniſtis alicubi violata fuiſſe S. Germanus, & Photius teſtantur, quibus fides adhibenda eſt. Nec Gregorium Nazianzenum, nec Ambroſium, & Ambroſiaſtrum Origeniana lue afflatos fuiſſe jure ullo affirmari poteſt.

I. Cum Eccleſia Catholica execrata ſemper ſit errorem Origenis de reproborum Apocataſtaſi, & conſtans adeo fuerit in tradenda pœnarum inferni æternitate, incredibile plane eſt aliquos extitiſſe ex Sanctis Patribus, qui a communi Eccleſiæ ſenſu recedentes, Origenianam ſententiam vel prædocuerint, vel jam in lucem editam lubenter ſuſceperint. Hoc tamen aſſerere non ſunt veriti, quos ſupra nominavimus, viri alias clariſſimi Grotius, Huetius, & Petavius: quodque illis jure ſuccenſeas, futilibus ducti momentis, quæ neminem vere doctum ac ſapientem movere queant, ut palam hoc capite me facturum confido.

II. Primus itaque inter Patres, quem Grotius, & Huetius paria Origeni docuiſſe putant, eſt celeberrimus Eccleſiæ Martyr, ac defenſor S. Juſtinus, ex quo hoc teſtimonium opponunt ex Dialogo cum Triphone Judæo: „ Verum enim vero neque mori dico „ animas omnes. Revera enim malis „ optandum id, & opportunum eſſet. „ Quid ergo? Piorum quidem in meliore loco manere: iniquas autem & „ malas in pejori, judicii tempus expectantes. Atque ita, quæ dignæ „ Deo apparuerint, non moriuntur „ amplius: illæ vero puniuntur, quamdiu eas & eſſe, & puniri Deus voluerit. „

III. Eamdem, ſubdit Huetius, arripit doctrinam Irenæus lib. 2. cap. 64., ubi animas, non ſecus ac alia Dei opera, tandiu ſupereſſe & perſeverare aſſerit, *quoaduſque ea Deus & eſſe & perſeverare voluerit*. Nec multo poſt: *qui ſervaverint datum vitæ, & gratias egerit ei, qui præſtitit, accipiet & in ſæculum ſæculi longitudinem dierum: qui autem abjecerit eam, & ingratus extiterit Factori..... ipſe ſe privat in ſæculum ſæculi perſeverantia*.

IV. At mirum profecto eſt Grotium, & Huetium ob recenſita teſtimonia, quæ, ut ſummum, ſenſum ambiguum referunt, duos præcipuos Eccleſiæ Patres, & clariſſima ſecundi ſæculi Chriſtianæ Religionis lumina in ſuſpicionem trahere erroris Origeniani, cum præſertim plurimis aliis in locis mentem ſuam adeo perſpicue patefaciant, ut nullum dubitationi aditum relinquant. Juſtini textus nonnullos primum affero, in quibus æterna fore impiorum ſupplicia, & hanc eſſe Chriſtianorum fidem, diſerte profitetur. *In Apolog. ad Senatum* ſub initium refert de quadam muliere, quæ virum ſuum ad bonam frugem traduxit, *doctrinam referens Chriſtianam, & futurum illum æternum ignem, qui impudicis, atque voluptariis paratus eſt, promiſſionemque itidem æternorum bonorum*. Et num. 7. ait: *quoniam Deus ab initio liberum Angelorum & hominum genus*

genus creavit, *merito eorum*, *quæ peccaverint*, *in æterno igne perſolvent*. Ac poſtea, hæc non dici ad terrorem tantum pronunciat, inquiens: *ſed nequis dicat*, *id quod ab iis*, *qui Philoſophi ſunt & habentur*, *ea quæ a nobis proferuntur*, *futilia*, *& terricula eſſe*, *malos nempe ignis æterni affectum iri ſupplicio &c.*, ſeu, ut alii legunt, *ſtrepitus eſſe inanes ac terricula*, *quæ de improborum in igne æterno cruciatibus dicimus &c.* In eadem quoque Apolog. de Dæmonibus ita loquitur: *dignas pœnas & ſupplicia reportabunt ſempiternis incluſi ignibus*. *Nam cum jam ab hominibus ſuperentur per nomen Jeſu Chriſti*, *documentum hoc eſt futurorum*, *qui tam ipſos*, *quam eorum cultores manent in æterno igne*, *cruciatuum*.

V. Idem æque luculenter ſæpe perhibet in altera *Apologia ad Marc. Aurelium Imperat.*. Nam in primis hoc aſſignat diſcrimen inter Platonis, Chriſtianorumque ſententiam; quod ille impiorum pœnæ (ut ipſe putat) finem preſcribat: iſti vero nullum finem habituram doceant. *Plato*, inquit, *Rhadamanthum*, *& Minoem ibidem injuſtos ad ſe venientes plexurum eſſe docuit*. *Nos autem* (en quid Chriſtiani doceant, Juſtino teſte) *idipſum etiam factum iri dicimus*, *ſed a Chriſto corporibus eiſdem cum animabus ſuis uniendis*, *atque æternis prorſus*, *& non eis tantum qui mille annorum decurſo ambitu durent*, *ut ille ait*, *cruciatibus torquendis*. Quid clarius? At nec minus clara ſunt hæc alia verba: *quo vero*, *qualique in ſenſu*, *ac ſupplicio futuri ſint improbi*, *ex his*, *quæ ſimiliter ad hoc ipſum dicta ſunt*, *cognoſcite*: *vermis eorum finem non habebit*, *nec deſinet*, *neque eorum ignis extinguetur*: *tumque pœnitentia eos ſubibit*, *cum nihil proficiet*. Demum ne omnia perſequar, ita fidem Chriſtianam de impiorum pœnis proponit. *Docemus nullum apud Deum tectum eſſe poſſe &c.*, *atque unumquemque ad ſempiternam vel pœnam*, *vel ſalutem pro factorum ſuorum meritis contendere*. *Nam ſi mortales omnes hæc cognita haberent*, *haudquaquam profecto quiſquam pravitatem ad breve tempus amplecteretur*, *ad perennem ſe ignis condemnationem ire ſciens*.

VI. Quis, amabo, in proſpectu habens tot ſplendida documenta, dubitare poteſt de S. Juſtini mente? Quis non miretur poſſe quempiam adduci miſera illa authoritate, quam ſolum opponunt Huetius, & alii, ut Chriſtianæ fidei ſtrenuum Defenſorem a communi Eccleſiæ ſententia diſſenſiſſe ſuſpicetur? Quonam ergo in ſenſu objecta verba accipi debent? Agit ibi nimirum Sanctiſſimus Martyr de animorum immortalitate: ac primum animas quidem immortales eſſe fatetur, ſed negat immortales eſſe, ſicut Deus, quaſi increatæ ſint, independentes, immutabiles, ac indefectibiles. Cum enim ex nihilo conditę ſint, ut cæteræ quæque creaturæ, Deo manum conſervatricem ſubtrahente, in nihilum ſtatim relaberentur. Tum deinde ſubjicit, *cruciari animas impiorum*, *quoad eas cruciari*, *& eſſe*, *vult Deus*. Porro illas Deus vult ſemper ſubſiſtere, qui ipſas natura immortales condidit: vult ſemper cruciari, qui æterna impiorum ſupplicia conſtituit. Hoc tamen ibi noluit liquidius exprimere, quia de hoc non erat cum Triphone diſputatio, ſed dilucide id expreſſit locis ſupra expoſitis luce meridiana clarioribus.

VII. Atque hæc eadem reſponſio aptari debet verbis S. Irenæi. Nam loco laudato agit de immortalitate animæ, definitque animam indeficientem non eſſe, cum ex nihilo condita ſit, ſed in nihilum redigi poſſe, ſi Deus ipſam conſervare deſinat. Cum enim principium hoc *lib.* 5. conſtituat S. Irenæus: *Deus libere*, *& ex ſua poteſtate diſpoſuit*, *& perfecit omnia*, *& eſt ſubſtantia omnium voluntas ejus*, ſequitur res omnes a Deo conditas tandiu ſubſiſtere, quandiu Deus & eſſe, & perſeverare voluerit. At cum animas creando illas ſubſiſtere ſemper, ac permanere decreverit, conſequens eſt ut perire non poſſint, cum Omnipotentem Dei voluntatem nihil fruſtrari valeat. Id ex verbis antecedentibus aperte conſtat: Sic enim ait: „ Siqui autem hoc in loco dicant non

 „ poſ-

„ poſſe animas eas, quæ paulo ante eſ- „ ſe cœperint, in multum temporis per- „ ſeverare, ſed oportere eas aut inna- „ ſcibiles eſſe, ut ſint immortales: vel „ ſi generationis initium acceperint, „ cum ipſo corpore mori; diſcant, quo- „ niam ſine initio, & ſine fine vere, & ſem- „ per idem, & eodem modo ſe habens ſo- „ lus eſt Deus, qui eſt omnium Dominus. „ Quæ autem ſunt ab illo omnia, quę- „ cumque facta ſunt, & fiunt, initium „ quidem ſuum accipiunt generationis, „ & per hoc inferiora ſunt ab eo, qui „ ea fecit, quoniam non ſunt ingeni- „ ta: perſeverant autem, & extendun- „ tur in longitudinem ſæculorum, ſe- „ cundum voluntatem factoris Dei, ita „ ut ſic initio fierent: & poſtea, ut „ ſint, eis donat: „ ut nempe ſint in longitudine ſæculorum, hoc habent a Deo conſervante: alioquin in nihilum abirent.

VIII. Quod autem paulo poſt dicit Irenæus de homine ingrato Factori ſuo, quod *ipſe ſe privat in ſæculum ſæculi perſeverantia*, non ita intelligendum eſt, ac ſi velit animam ob noxas recidere tandem in nihilum: ſed quod ſe privat *perſeverantia* in eo ſtatu felicitatis propter quam a Deo creata fuit: ut ex integro textu palam eſt. Ita ſiquidem antea ſcribit. „ De ſalvando homine ſic „ ait (Pſalmiſta): *vitam petiit a te*, „ *& tribuiſti ei longitudinem dierum in* „ *ſæculum ſæculi*: tanquam Patre omnium „ donante, & in ſæculum ſæculi *perſeve-* „ *rantiam* (ſive permanentiam, aut pe- „ rennitatem) in his qui ſalvi fiunt. „ Non enim ex nobis, neque ex no- „ ſtra natura vita eſt (ſcilicet beata): „ ſed ſecundum gratiam Dei datur. Et „ ideo qui ſervaverit datum vitæ, & „ gratias egerit ei, qui præſtitit, acci- „ piet & in ſæculum ſæculi longitudi- „ nem dierum. Qui autem abjecerit eam, „ & ingratus extiterit Factori, ob hoc „ quod factus eſt, & non cognoverit eum, „ qui præſtat; ipſe ſe privat in ſæculum „ ſæculi perſeverantia. Et ideo Domi- „ nus dicebat ingratis exiſtentibus in „ eum: *ſi in modico fideles non fuiſtis*, „ *quod magnum eſt quis dabit vobis?* ſi- „ gnificans nobis, quoniam qui in mo- „ dica temporali vita, ingrati extite- „ runt ei, qui eam pręſtitit, juſte non „ percipient ab eo in ſęculum ſęculi „ longitudinem dierum: „ ſeu vitam illam ęternam, de qua Dominus dixit: *ibunt juſti in vitam æternam*.

IX. Hoc, ſimilive modo explicari omnino oportere S. Irenęum, liquet evidenter ex authoritatibus ejuſdem, quas capite ſuperiore poſuimus; ibi enim expreſſe negat temporariam reproborum pœnam, ſed *adampliatam*, *& æternam factam*: additque, quod quibus dicetur, *diſcedite a me maledicti in ignem æternum*, *iſti erunt ſemper damnati*: ſicut ſemper regnum percipient, quibus dictum erit, *venite benedicti &c.* In quorum confirmationem alia ſubnecto, quę in iiſdem libris habentur, Sancti Doctoris teſtimonia. Nam *lib.* 3. *cap.* 35. ſcribit: „ „ hoc idem & Dominus in Evangelio „ his, qui a ſiniſtris invenientur, ait: „ *abite maledicti in ignem æternum*, „ *quem præparavit Pater meus Diabolo*, „ *& Angelis ejus*: ſignificans, quoniam „ non homini principaliter pręparatus „ eſt ęternus ignis, ſed ei, qui ſeduxit, „ & offendere fecit hominem .... quem „ quidem juſte percipient etiam hi, qui „ ſimiliter ut illi, ſine pęnitentia, & „ ſine regreſſu in malitię perſeverant „ operibus „. Id quod lib. 4. cap. 66. confirmat pręter ſententias evangelicas etiam authoritate Apoſtoli Pauli dicentis ad Theſſalon.: *qui pœnas dabunt interitus æternas a facie Domini, & gloria virtutis ejus*, & lib. 4. cap. 77. ait: *ſuper eos, qui pœnitentiam non agunt, ſed fugiunt ejus lumen, ignem æternum, exteriores tenebras præparans* (Deus), *quæ quidem mala ſunt his, qui incidunt in ea, ſed bona ex juſtitia Dei*: quod ſemel & iterum repetit cap. ſequente 78. Demum lib. 5. cap. 27. aſſerit Chriſtum in fine ſęculi venturum, *colligere zizania, & faſciculos alligare, & comburere igni inextinguibili: & agnos quidem vocare in præparatum regnum, hœdos autem in ęternum ignem mittere, qui preparatus eſt, &c.*

X. Nihil ajo de Theophilo, & Tatiano, quos quidem erroris Orige-

rigeniani ſuſpectos dicit Grotius, ſed verba eorum non affert; noſque jam ſupra plures eorumdem ſententias pro Catholico dogmate adeo perſpicuas recenſuimus, ut dubium omne penitus amoliantur. Arnobium quod ſpectat, revera *lib. 2. cont. Gentes* ſenſiſſe videtur impiorum animas pœnarum diuturnitate & ſævitia demum conſumptum iri, atque hanc eſſe mortem æternam ſępe in ſacris libris improbis intentatam cenſuit, quæ eſt non Origeniſtarum, ſed Socinianorum ſententia. Verum nullius hac in re ponderis eſſe poteſt authoritas Arnobii, qui opinionem hanc ex cœnoſis Stoicorum lacunis hauſit, non ex limpidiſſimo Catholicæ Eccleſiæ fonte, quem nondum attigerat. Compertum quippe eſt eruditis omnibus Arnobium adhuc Ethnicum, nec Chriſtianæ Religionis myſteriis initiatum, ſuos exaraſſe contra Gentes libros, ut ſcilicet gratiam ſibi demereret Epiſcoporum Africæ, & Baptiſmi Sacramentum impetraret, quod illi denegabant, veriti ne fictus accederet, & Chriſtianæ Religioni, quam eatenus oppugnaverat, illudere vellet (*a*). Quare mirum eſſe non debet, hominem adyta fidei nondum ingreſſum, in aliquos errores quandoque prolapſum fuiſſe. Sed ad graviores alios Patres vindicandos progrediamur.

XI. Inter Patres, qui Origeni faviſſe creduntur, eſt S. Gregorius Nyſſenus, cujus duo præcipue loca objiciunt, alterum ex lib. *de Anim. & Reſur.*, ubi ex verbis illis Apoſtoli ad Corint. *erit Deus omnia in omnibus*, eruit, nequitiam & vitium aliquando in rerum natura prorſus defutura, *ac Dæmones poſt longos ſæculorum anfractus Dominationem Chriſti unanimiter agnituros*: quæ plane de Origeniano fonte derivata ſunt. Promitur alterum ex Orat. Catech. cap. 26., ubi itidem docet, *poſt longos temporis circuitus auferendum e natura malum, hominem a malitia liberandum, ipſumque malitiæ inventorem*, ſcilicet Diabolum, *ſanandum, ut omnibus in priſtinum ſtatum reſtitutis, una voce creatura omnis gratias agat*. Prolixas Nyſſeni ſententias ſiquis legere amat, adeat vel citata loca, vel Petavium *lib. 3. de Angel. cap. 7.*

XII. Ingenue fateor in memoratis Nyſſeni locis Origenis errorem reipſa contineri; neque enim hujuſmodi ſunt, quæ commodam interpretationem ſuſtineant. Hunc tamen errorem docuiſſe Nyſſenum, fidenter abnuo, affirmoque ejus opera violata fuiſſe ab Origeniſtis, qui ea ſuis erroribus inſperſerunt, quo tanti viri authoritate ſe tegerent. Id longe antea jam animadvertit S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in libro, qui inſcribitur, *Retribuens, & legitimus*, ideſt, *de vera, & legitima retributione, quæ rependitur hominibus prout vixerint*. Eo in opere, ut refert Photius *in Bibliot. Cod.* 233. S. Germanus contendit, *Gregorium Nyſſæ Epiſcopum, ejuſque ſcripta ab Origenis errore eſſe immunia*. „ Etenim ſubdit Photius „ quibus delirium illud placet, Dæmonibus, & hominibus, in ęternam pœnam conjectis liberationem inde expectandam; illi (quod virum doctrina ſingularem, & eloquentia inſignem eum agnoſcerent, claramque ſanctitatis exiſtimationem per omnium ora decantatam viderent) aggreſſi ſunt claris, & ſalutaribus ejus ſcriptis obſcura, ac pernicioſa Origeniani ſomnii venena admiſcere, virtutique homini, & doctrinæ hæreticam occulte amentiam ſubiicere. Quare partim additamentis falſis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehenſibilibus ejus monumentis calumniari conati ſunt. Contra quos Germanus pietatis Patronus acutum veritatis gladium ſtringens, & vulnere proſtratos hoſtes relinquens, victorem, ſuperioremque eum conſtituit, in quem hæretica colluvies inſidias ſtruxerat, & poſuerat „.

XIII. Et infra Photius idem de eodem S. Germani opere ſcribit: „ has „ porro

(*a*) vide Poſſevinum in appar. &c., Natalem &c.

„ porro ſacras ſententias adducens de Originiſtis in propriis ſententiis convictis, quibus illi male utebantur, triumphum egit; reprehendens tum quod legitima quidem audacibus, & impudentibus additamentis illegitima redderent: tum vero quod additamenta continuantes magna arrogantia, & ſtupiditate ad hæreticam ſuam opinionem ea audacter detorquerent. Et ut breviter dicam, omnia Sancti hujus Patris ſcripta ab omni hæretica pravitate, & calumnia, quę in impietatem vergit, immunia eſſe declarat. Hæc porro immunitas & improbitatis refutatio, & ex antecedentibus loci depravati, & ex conſequentibus conficitur, & demonſtratur, & ex aliis ſexcentis Beati Gregorii Nyſſeni libris, qui orthodoxe, & legitime ſentiunt, recte excutiens, ut nemo melius, in ſalutares preces, ac laudes Dei laborem finiit. Libri autem, quos inſidiis excipere hęretici moliti ſunt, & quos Germanus veritatis propugnator primarius ab latronum inſultu ſine noxa ſervavit, ſunt Dialogus *ad Macrinam ſororem de anima*, & liber *catecheticus*, & ille, qui *de perfecta vita* rationem continet. „ Hęc Photius. Interpolatum etiam ab hęreticis, & Origenicis dogmatibus inſperſum librum *de Anima*, quem Sanctus Gregorius Macrinę ſorori dicavit, teſtatur Nicephorus lib. 11. Hiſtor. Eccleſ. cap. 19.

XIV. Hæc tamen reſponſio non arridet Petavio, qui eam maxime elevare nititur argumento ducto ex ſtylo, & dicendi charactere, qui idem prorſus apparet in toto illo opere. Verum nos credimus apud viros æquos, & cordatos magis prævalere debere judicium S. Germani, Photii, & Nicephori, hominum Grecorum, & qui proximius Gregorii Nyſſeni temporibus vixerunt, quam Petavii, & aliquorum recentium, qui ſolam ſtyli æqualitatem in probationem afferunt, ut errorem in locis citatis contentum Sancto Doctori affingant: quaſi vero hęretici non potuerint adamuſſim imitari ſtylum, & dicendi characterem Catholici Scriptoris, aut de ſtylo, & dicendi charactere ſanius Latini, quam Græci, iique peritiſſimi dijudicare potuerint (*a*).

XV. At quod ſcrupulum omnem eximere facile poteſt de mente S. Gregorii Nyſſeni, illud eſt, quod aliis in locis non corruptis ab hęreticis, clara ſuperſint Catholicę veritatis veſtigia. Nam in Oratione *in eos, qui differunt baptiſma*, hoc pacto loquitur. „ In electione malorum magis eſt eligendum ut ſalutare lavacrum aſſecutus rurſus ſit in peccato, quam ut gratiæ expers vitam finiat. Nam peccatum quidem veniam fortaſſe conſequitur, aut clementiam, cujus magna eſt ſpes apud bonos. Alteri autem (ſive qui moritur ſine Baptiſmo) eſt omnino vetita ſalus ex certa, ac definita ſententia. Nam cum audiero vocem, quę non mentitur, dicentem, *amen amen dico vobis: niſi quis natus fuerit deſuper, non poteſt videre regnum Dei*; nihil boni poſſum expectare iis, qui Myſteriis non ſunt initiati „. Quorum verborum ſenſus ille plane non eſt, quem ipſis tribuit Petavius, quod Nyſſenus iis, qui in peccato decedunt poſt Baptiſma, non abneget ſalutem, quam ſine Baptiſmo morientibus prorſus eripit. Sed quod ii, qui jam Baptiſmum receperunt, ſi in aliquod peccatum incurrunt, veniam & Dei clementiam, atque adeo ſalutem ſperare poſſint mediante pœnitentia in hac vita peracta: non autem qui ſine Baptiſmo moriuntur, cum nemo ſine lavacro Baptiſmi ex Chriſti Domini ſententia poſſit introire in regnum Dei.

XVI. Id magis declarat Nyſſenus verbis infra poſitis loquens de anima illius, qui abſque Baptiſmate decedit: „ cum non ſit obſignata, quam eſt veriſimile

„ per

(a) Qui plura hac de re deſiderat, legat Tom. 8. Hiſtor. Gener. Authorum Sacrorum & Eccleſiaſticorum D. Remigii Cellieri, ubi pluribus monumentis probat ea, quæ dogma Origenianum redolent, adjecta fuiſſe ſcriptis S. hujus Patris a quibuſdam Nebulonibus, ut auctoritatem falſæ doctrinæ ejus nomine conciliarent.

„ per aerem ferri errantem, & minime „ quæſitam, ut quæ Domino careat.... „ fruſtra deflentem, & inutiliter pœ- „ nitentem, non ſecus atque Divitem, „ qui induebatur purpura & byſſo, „ quemque lautus, & delicatus omnis „ generis cibus alebat, materiam ignis, „ qui non poteſt extingui „. Quibus verbis ſalutis aditum penitus claudit morientibus ſine Baptiſmate, & pœnitentiam omnem inutilem futuram teſtatur, ac demum ignem illum, qui nuſquam extinguitur, nec extingui poteſt, diſerte profitetur.

XVII. Clarius fortaſſe tribus aliis in locis mentem ſuam manifeſtat: I. *in Pſal. 6. de octava*, ubi ait: „ quis terribilis judicii Chriſti recordatus, non „ ſtatim in conſcientia quaſi convelli- „ tur..... Idcirco quaſi in oculis habens „ terribilia ſupplicia, Gehennam illam, „ & tenebroſum ignem, & conſcientię „ vermem nunquam exorientem, vel „ potius nunquam morientem, qui ani- „ mas ſemper pudore ſugillat, ac recor- „ datione male actæ vitæ cruciatus reno- „ vat, ac redintegrat &c.. „ II. *In Orat. ad eos, qui durius, & acerbius alios judicant*, dicit: „ abſurdum eſt... eos, „ qui animæ curam gerunt, incertum „ mortis diem non antevertere, & ar- „ dorem excruciantis illius ignis, qui „ ÆTERNUM comburit, & nullum „ unquam refrigerium admittit &c.. „ III. Tandem in ipſa *Orat. magna catechetica cap.* 40. ita ſcribit: „ Cum „ ignem audis, didiciſti aliquem ab illo di- „ verſum intelligere, ex eo quod illi i- „ gni (inferni nempe) aliquid ſit addi- „ tum, quod non eſt in hoc. Nam ille „ quidem non extinguitur. Hunc autem „ multa inventa ſunt, quæ extinguant. „ Magna eſt autem differentia inter „ eum, qui extinguitur, & eum, qui „ nullam admittit extinctionem. „

XVIII. Ut Sanctum Gregorium Nazianzenum Origeniana labe aſperſum oſtendat, tria loca ejuſdem profert Petavius, 1. ex *Orat.* 30. *in Sancta lumina*, ubi Novatianos inceſſens comminatur eis, niſi reſipiſcant, ac niſi Chriſti viam incedant, ſupplicia poſt mortem purgatoria, non perpetua. „ Atque hi „ quidem, ait, noſtra, ſi velint, atque „ adeo Chriſti via: ſin minus ſua inſi- „ ſtant. Forte illi baptizabuntur ulti- „ mo Baptiſmo, qui laborioſior eſt, & „ longior, quique materiam, ceu fœ- „ num depaſcitur, & omnis malitię le- „ vitatem conſumit „. Et *Orat.* 40. duo ignium genera percenſet, alterum Purgatorium, quod *materiæ ac malæ affectionis abſumendæ vim habet:* alterum minime Purgatorium, ſed pœnale, quo utrum homines perpetuo torquendi ſint, ſub dubio relinquit. „ Novi, inquit, „ & ignem non Purgatorium, ſed pœ- „ nalem: ſive Sodomiticum, quem in „ omnes peccatores pluit, ſulphure, & „ procella mixtum: ſive eum, qui pa- „ ratus eſt Diabolo, & Angelis ejus: „ ſive eum, qui ante faciem Domini „ procedit, & inflammabit in circuitu „ inimicos ejus. Atque his formidabi- „ lior eſt adhuc ille, qui cum inſomni „ illo verme conjunctus eſt, nec unquam „ extinguitur: verum in ſceleratorum „ hominum pœnas ſempiternas eſt. Hi „ enim omnes eam vim habent, ut per- „ dant: niſi malit quiſpiam hoc huma- „ nius, & ut puniente dignum eſt, in- „ telligere „. Manifeſtum eſt, ſubdit Petavius, hoc in loco Nazianzenum de damnatorum hominum pœnis dubitaſſe, utrum ſempiternę futurę ſint, an Dei bonitate potius ęſtimandæ, ut ſcilicet aliquando terminentur.

XIX. Hiſce textibus quoſdam verſiculos addit deſumptos ex primo *Carmine heroico de vita ſua*, ubi inquit, dubitat an aliquando Dei omnes participes ſint futuri:

> *Qui &* (homines) *nihil exiſtentes compoſuit, & poſtea*
> *Diſſolutos componet, & ad vitam aliam trahet,*
> *Aut ignis, aut Dei illuminantis participes futuros.*
> *Utrum autem Dei & omnes poſthac*
> (participes
> Erunt) *alius ſit Sermo*.

XX. Petavium nimium proclivem fuiſſe in appingendo Origenis errore Sancto Gregorio Nazianzeno, ex ſola loco-

locorum horum propoſitione, quiſquis, ut arbitror, ſtatim intelligit. Neque enim ea clara ſunt, ut ille pronunciat, ſed valde obſcura, & implexa, ut ex eis planum ſenſum difficulter elicias: adeoque non ex his, ſed ex aliis potius locis, quænam inſederit Nazianzeno mens, colligere debemus. Porro ſi conſulimus alia S. Patris opera, compertiſſimum fit ipſum pœnarum Gehennę æternitatem docuiſſe. Inter alia præclarum eſt, & quod dubitationem omnem ſubmovere poſſit, teſtimonium, quod legitur *Orat.* 15. his verbis: ,, mitto dicere futuræ vitæ tribunalia, quibus ,, hujuſce vitæ indulgentia, & impunitas ,, eos (improbos) tradit: ita ut ſatius ,, ſit nunc caſtigari, ac purgari, quam ,, ad cruciatum illum tranſmitti, cum ,, jam pœnæ tempus erit, non purgationis. Quemadmodum enim, qui ,, Dei memor hic eſt, morte ſuperior eſt, ,, idque a Davide optime dictum eſt; ,, ita his, qui e vita exceſſerint, non eſt ,, in Inferno confeſſio, nec morum correctio. *Hic enim Deus vitam & actionem: illic rerum geſtarum cenſuram* ,, (ſive punitionem) *concluſit*. ,, Additque iterum poſt judicium neque pęnitentiæ locum eſſe, neque oleum impetrare fatuas Virgines: ac demum de damnatis ita concludit: ,, Hos autem ſimul cum ,, aliis, vel potius ante alia, ittud excruciabit, quod *a Deo projecti ſint*, at- ,, que inuſtam in conſcientia *ſempiternæ* ,, ignominiæ notam gerant ,, .

XXI. Emicat in his verbis mens Sancti Patris Nazianzeni non dubitanter, ſed conceptiſſime expoſita. Purgationem delictorum & ſcelerum in hac vita duntaxat agnoſcit, non ita in futura, ubi peccata non purgantur, ſed puniuntur, cum *tempus illud pœnæ ſit, non purgationis:* nec illic poterit unquam locus eſſe veniæ, quia in Inferno *nullus locus eſt pœnitentiæ, neque morum correctioni*. Ex lege namque a Deo conſtituta præſens hæc vita *actioni* aſſignata fuit, futura vero *retributioni*. Hinc quod præſertim in pœnarum loco damnatos *excruciabit*, inquit S. Pater, erit amara illa recordatio, quod *a Deo* omnino *projecti ſunt*, & *inuſta* illa *ſempiternæ ignominiæ nota*, quam ſemper in conſcientia gerent, ſine ulla eam eradendi ſpe. Hoc etiam inſinuat Nazianzenus in Jambico Carmine 19., ubi loquens de Damnatorum verme, *ſempiterno* cum morſu rodere affirmat: σκώληξ ἐκεῖθεν ἐσθίων ἀΐδιος.

XXII. Hinc ad textus objectos reſpondet Natalis Alexander ſecul. III. Diſſert. 27. ,, Sanctum Gregorium in ,, priore loco improprie, & obſcure locutum eſſe, & per Baptiſmum ignis ,, poſtremum, & diuturniorem intellexiſſe ignis ſempiterni ſupplicia, qui ,, terrenam & craſſam materiam tanquam fœnum comedit, hoc eſt craſſis, ,, & obſcœnis corporis voluptatibus ſervientes exurit, atque homines peccato ,, leves & aridos ita excruciat, ut tamen ,, non abſumat, ut explicat Nicetas in ,, ſuis ad illam Orationem commentariis ,,. Hæc ille. Et certe ex eo quod Gregorius citato loco utatur termino μακρότερον, *diuturniore* potius quam αἰωνίῳ *æterno*, non video cur inferri debeat S. Doctorem æternum eſſe ignem illum nequaquam agnoviſſe, cum hoc ſępe termino *longius*, aut *diuturnius* & nos utamur, dum loquimur de inferni ſupplicio, quod procul dubio æternum credimus. Alia etiam huic textui fortaſſe commodior reſponſio adhiberi poteſt, in ea ſcilicet S. Gregorium fuiſſe ſententia errorem Novatianorum ejuſmodi non eſſe, ut propter illum omnino certo ſalute æterna privandi forent. Nam ita quoqua de Novatianis ſenſiſſe videtur S. Baſilius Epiſt. 1. ad Amphilochium, dum eos diſſidentes ab Eccleſia facit *propter medicabiles quæſtiones*.

XXIII. Ad alterum ſic reſpondet Natalis idem: ,, In oratione 4. pęnarum ,, tartarearum æternitatem diſerte aſtruit ,, his verbis: *omnibus his formidabilior* ,, *ignis, qui cum inſomni illo verme conjunctus eſt, nec unquam extinguitur, verum in ſceleratorum hominum pœnam* ,, *perennis, ac ſempiternus eſt*. Quod autem addit: *niſi quiſpiam ignem mitius,* ,, *atque ut Deo vindice dignum eſt, intelligendum putet:* non refertur ad ęterni-

,, ni-

„ nitatem ſupplicii, quaſi arbitrarium „ ſit aſſerere pœnas damnatorum finiendas eſſe, nec adeo acerbas eſſe, ut in „ perpetuum durent: ſed ad pœnæ magnitudinem, & intenſionem referendum eſt, quam ſiquis noſtrorum atrocitati ſcelerum non adæquari contendat, ſed mitiorem intelligi velit, „ quam criminum immanis magnitudo „ mereatur, quia Deus vindex juſtam „ pœnam miſericordia, & lenitate temperare ſolet; Sanctum Gregorium Nazianzenum repugnantem non habebit „.

XXIV. Alio modo hujuſmodi Nazianzeni textus explicari poſſe mihi videtur. Duplex ignis genus ibi diſtinguit S. Pater, nempe purgatorium, & pœnalem; ſeu & quem Deus ad hominum noxas purgandas immittit, & quem non ad purganda, ſed ad punienda ſcelera deſtinat: *novi*, inquit, *& ignem non Purgatorium, ſed pœnalem*. Hujuſce ignis quatuor veluti ſpecies affert: Primum nempe illum, quem Deus pluit in peccatores Sodomæ & Gomorrhæ, qui ad punitionem eorum ordinatus eſt: Alterum qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus: Tertium, qui juxta prophetica verba præcedet ultimum ejus adventum, & inflammabit inimicos ejus: Quartum denique his formidabiliorem, qui nunquam extinguitur, ſed in ſceleratorum hominum tormentum perennat. Ac poſtea de his omnibus dicit: *hi omnes vim ſeu virtutem habent, ut perdant, niſi malit quiſpiam hoc humanius, & ut puniente dignum eſt, intelligere*. Nihil porro vetat quin illud *hoc* non quidem ad omnes illas ſpecies referri dicamus, ſed diviſam, ad aliquas nempe earum, ut ſit ſenſus: *hi omnes ignes non ſunt a Deo inflicti propter purgationem, ſed propter punitionem: niſi malit quiſpiam dicere non omnes ad puniendum duntaxat fuiſſe ordinatos, ſed aliquos etiam ad purgandum*: cum non improbabile ſit aliquos ex Sodomitis ad conſpectum & ſenſum horrendi ignis cælitus immiſſi pœnitentiam egiſſe: & quoſdam etiam ex illo igne qui præcedet adventum Domini, convertendos eſſe.

XXV. Demum ex eo, quod dicat ultimo verſiculo citati Carminis, *Utrum Dei omnes participes futuri ſint, alius ſit ſermo*, colligi jure nequit ipſum dubitaſſe de damnatorum æterna pęna, ſed ſolummodo ut ſummum noluiſſe tunc hanc quæſtionem attingere, aut diſcutere, quæ alias a nonnullis tunc temporis agitabatur ob Origeniſtas non paucos, qui Eccleſiæ fidem conabantur evertere.

XXVI. Poſtremo ex inſigni Eccleſię Doctore S. Ambroſio opponunt laudati Scriptores textum, qui habetur *Ottog.* 20. *Com.* 2. *Pſal.* 118., ubi Diaboli quidem æterna fore ſupplicia affirmat, non autem hominum. „ Diabolus enim, inquit, & miniſtri ejus cum hominibus non flagellabuntur. Separata „ eſt pœna, ubi diſtat & culpa.... Differtur Diaboli judicium, ut ſit ſemper „ in pęnis reus; ſemper improbitatis ſuę „ innexus catenę conſcientiæ ſuæ, ut in „ perpetuum ſubeat ipſe judicium. Ideo „ Dives ille in Evangelio, licet peccator, pęnalibus urgetur ærumnis, ut „ citius poſſit evadere. Diabolus autem „ nequaquam puniri ad judicium demonſtratur, nequaquam adhuc pęnis „ eſſe ſubjectus, niſi quas ipſe tantorum „ conſcius criminum, ſolvit timore perpetuo, ne aliquando ſecurus ſit „.

XXVII. Quanquam hæc S. Ambroſii authoritas aliquam prima fronte præferre videatur difficultatem, quoad hominum ſaltem ſalutem attinet; ea tamen confeſtim evaneſcit, cum integer attente legitur Sancti Doctoris textus. Exponit ibi eum Pſalmi verſiculum, *judica judicium meum, & libera me*, ac primo aſſerit loqui iſthic juſtum, & innocentem hominem, *qui habet cauſſam non timendi, quia apud miſericordem Judicem ſibi cauſſa eſt, apud Redemptorem ſuum vult cito, & ſperat adſolvi. Abſolutio enim matura Sanctorum eſt. Unde & Dominus ait per Ezechielem ad Angelos &c.* a Sanctis meis incipite. *Non vult Dominus commune Sanctis cum Diaboli ſociis conſortium eſſe judicii*. Statimque ſubdit objecta verba. *Diabolus enim & miniſtri ejus cum hominibus non fla-*

gellabuntur. *Separata eſt pœna*, *ubi diſtat & culpa*. *Ideoque alio in loco ſcriptura ait*: tempus eſt incipere judicium a Domo Dei. *Quos miſeretur enim cito caſtigat*, *ut non diutius afficiantur futuri expectatione judicii*. Luce ipſa clarius eſt comparationem hic inſtitui ab Ambroſio inter Diabolum & homines juſtos, qui in hac miſera vita levioribus noxis inquinati ſunt, quoſque hic divina pietas caſtigat, ne diuturnioribus ſuppliciis afficiat. Unde mirum non eſt, quod affirmet, diverſam eſſe horum a Diabolo ſortem, & punitionem.

XXVIII. Equidem Ambroſius poſtea adnectit: *ideo Divitem illum in Evangelio*, *licet peccatorem*, *pœnalibus urgeri ærumnis*, *ut citius poſſit evadere*. Sed perperam creditur loqui S. Doctorem de Divite Epulone, quem S. Lucas cruciatum refert in Inferno *cap.* 16.: cum potius dicendum ſit loqui vel de Divite bonorum temporalium cupido, de quo ſermo eſt apud eumdem Lucam cap. 12., ut ibidem adnotatur in margine, vel de aliquo alio, quem non putaret ad Gehennam damnatum; neque enim illum circumſcribit, ut aliquo veri colore diſcernere poſſimus. Id conſtat in primis, quia S. Pater Divitem Epulonem ad æternum ſupplicium damnatum fuiſſe diſerte in expoſitione ejuſdem Pſalmi 118. (*a*) & alibi (*b*) profitetur. Ac præterea id aſſerere omnino compellunt verba ſubſequentia. Poſtquam enim locutus fuit de futuro judicio Diaboli, & ſociorum ejus, ſubjicit: *Immo ut verius dicam*, *Sanctus ad judicium venit*; *impius non venit*; *quoniam non reſurgunt impii in judicium*... *Qui autem non credit*, *non judicatur*, *ſed impietatis ſuæ judicio ipſe punitur*. *Apud Imperatores &c.*, *ita & Chriſtus ſuos caſtigat*, *quos diligit*, *alienos tamquam generali damnatione impietatis adſtrictos pœna damnat ÆTERNA*. Cæcus ſit, oportet, qui non videat Ambroſium tum ſuperioribus verbis non loqui de hominibus jam ad Inferna damnatis, tum in his evidenter adſtruere impiorum omnium punitionem æternam, ſive nunquam deſituram.

XXIX. Hęc tametſi ſatis ſuperque ſint ad Ambroſii mentem dignoſcendam, ad cumulum tamen adjicio alia S. Patris loca, in quibus catholicam teſtatur veritatem. 1. in fine ejuſdem Octonar. 2. hæc habet: *ſcientes igitur in ÆTERNUM manſura judicia omnia juſtitiæ Dei*, *caveamus ne opera noſtra diſpliceant*, *& in ÆTERNUM incipiamus ſubire judicium*. Ulterius *lib. de bono mortis cap.* 2. admonet: *qui hic non acceperit remiſſionem peccatorum*, *illic non erit*. *Non erit autem qui ad vitam æternam non potuerit pervenire*; *quia vita æterna*, *remiſſio peccatorum eſt*. Lib. quoque 2. *de fide cap.* 4. alloquens Manichæum ſic ait: *tu te a Diabolo creatum*, *Manichæe*, *arbitraris*. *Ad illius ergo feſtina ſedem*, *ubi non reſtinguitur ejus incendium*, *nec unquam pœna moritur*. Demum, ne loca omnia recenſeam, tract. in Symb. Apoſt. cap. 23., *reſurgent*, inquit, *corpora noſtra aut ad gloriam*, *aut ad pœnam in æternum manſura*. Et cap. 25.: *in illo die cum ætas fuerit una cunctorum*, *ſanctus & peccator erunt ſimili reſurrectione perfecti*, *nec inter ſe variabunt tempore*, *nec ætate*, *ſed alius ad præmia æterna*, *& in centuplum bona recipienda*; *alius ad perpetua ſupplicia pertrahetur*.

XXX. Ne omnino prætermittamus Ambroſiaſtrum, ſive Authorem Comment. in Epiſt. S. Pauli, quam pariter Pe-

(a) Octogen. 10. de Epulone agens ſcribit: *quia habuit conſolationem in Sæculo*, ÆTERNAM amiſit.

(b) Enarrat. in Pſal. 37. de eodem ait, quod *apud inferos remedium ſalutis invenire non potuit*, Et in cap. 16. Lucæ: *non otioſe hic Divitem Dominus perfunctum deliciis ſæcularibus in PERPETUÆ famis apud inferos conſtitutum ſignificavit ærumna*. Et poſtea: *inter hunc igitur Divitem*, *& Pauperem chaos magnum eſt*; *quia poſt mortem nequeunt merita mutari*.

Petavius opponit: quia in Epiſt. ad Epheſ. cap. 3. affirmat, *Dæmones, qui Diaboli Tyrannidi aſſenſi fuerant, Apoſtolorum prædicatione ab errore fuiſſe liberatos &c.*: Dico ex verbis hujus Authoris nihil aliud extundi poſſe, niſi ipſum in ea ſententia fuiſſe, quod mali Angeli errorem, quo Lucifero conſenſerant, prædicatione Apoſtolorum depoſuerint, ſiquidem putavit illos ex errore, aut ignorantia peccaſſe. Quod autem etiam depoſuerint, aut depoſituri aliquando ſint pravum affectum, nec ibi aſſerit, nec ex ejus verbis colligi poteſt. Quin immo æternas eſſe impiorum pęnas, nullumque eſſe poſt hanc vitam ſalutari pęnitentiæ locum diſertiſſime ſtatuit in *cap. 2. Epiſt. ad Rom.*

CAPUT XVIII.

Præter Chriſtianos nationes aliæ dogma de æterno impiorum cruciatu crediderunt, & credunt: Judæi in primis ac Mahummedani. Ejus notitia, & fide non caruerunt tum Græci & Romani, tum veteres Chaldæi, aliique ſeptemtrionales populi. Eadem conſtanter perſeverat inter plures gentes Aſiæ & Americæ. Unde hujuſmodi traditio primum profecta ſit, inquiritur.

I. SEntentia, quam propugnamus, de æterna impiorum miſeria non inter Chriſtianæ Religionis fines concluditur, ſed extra ipſam ubique ferme terrarum pervagata eſt, & exoticas nationes plures adeo luce ſua illuſtravit, ut aſſerere liceat cum S. Joanne Chryſoſtomo Homil. de perſ. Charit. quod *nedum Hebræi, verum etiam Gentiles, Poetæ, Philoſophi, & Scriptores improbos in æternum cruciari* prædicaverint. De hac, ſin omnium, plurimarum ſaltem gentium in tanti momenti veritate conſenſione, delibare aliqua haud prorſus inutile cenſui, ad obſtruenda (ſi fieri quidem poteſt) quorumdam Atheorum ora, qui hoc etiam inter alios titulo Religionem Chriſtianam criminantur, atque impie traducunt, quod æterna futura doceat improborum ſupplicia (*a*): quam doctrinam omnium aures horrere, omnium ſenſum repudiare dictitant.

II. Ut igitur a Judæis incipiamus, Judæos veteres tenuiſſe futurarum pœnarum æternitatem ambigi nulla ratione poteſt; idque conſtat ex teſtimoniis Judith, Danielis, aliorumque, quæ alibi dedimus. De Judæis, qui circa Chriſti & Apoſtolorum tempora vixerunt, æque certa res eſt, traditurque diſertiſſime a Joſepho *lib. 2. de bello Jud.*, *& lib. 8. Antiq. cap. 2.*, in quibus locis refert præcipuas duas Hebræorum ſectas *Phariſæorum*, & *Eſſenorum* aſſignaſſe malis *loca procelloſa & triſtia gemitibus, & æternis cruciatibus damnata, vel perpetuam in varias partes jactationem, aut vincula, & ſupplicia æterna*. Druſius quoque ex libro antiquiſſimo *Zoar* R. Simeonis filii Joachi duas memorat (b) juxta hunc Authorem apud inferos regiones, *quarum alteram Sceol appellat, alteram Abaddon*, atque *in illam, qui deſcendunt, puniri, donec perſoluta pœna noxis ſuis debita, inde in meliorem habitationem ſubducantur; in hac vero qui veniunt, nullo unquam tempore aut ævo liberari, aut educi*. Nec dubitare licet idem ſenſiſſe Thalmudiſtas, qui Phariſæis ſucceſſerunt. In tractatu *Roſana cap. 1.* hæc leguntur: *attamen hæreſi obtenti &c. in Gehennam delabuntur, & damnantur in ea in ſæcula ſæculorum*. Eadem habentur in tract. *Sanedrin cap. 11.*, quibus ſubſcribens R. Moyſes de Ægypto in tract. *Thalmud Tora cap. 3. ſect. 6.* ait: *Hi ſunt, quibus non eſt pars in mundo futuro, quin immo exciduntur, conteruntur, & cruciantur propter eorum magnitu-*

(a) Hos inter primas fortaſſe tenet Petrus Bellius, ut apparet ex lib. *reponſe aux queſtion &c.* Refert etiam D. Nicola in reſp. ad M. Jurieu Authorem libri cui titulus, *Proteſtant Pacificus* ſcripſiſſe neminem credidiſſe aut credere pœnarum æternitatem.

(b) ad *Caput 9. Apocalyp. in Criticis Sacris*.

gnitudinem ſcelerum, & facinorum in æternum. Aliorum plurium teſtimonia laudat Eruditiſſimus Bartoloccius *Tom. 2. Bibliotb. Rabin. in Diſſert. de Inferno*, ac tandem ita concludit: „ licet ex Thalmudicis doctrinis nullum ſtabile, ac „ fixum dogma Judaicum circa ea loca, „ pœnas & reos in ipſis puniendos, ha„ beri poſſit, cum nimis inconſtantes, „ varii, ac lubrici ſint in propoſitioni„ bus, & dictis ſuis; attamen in ſub„ ſtantia hoc colligitur, per eos Infer„ num dari damnatorum: ibi ignem „ inextinguibilem, gelu, & alia tormen„ ta reperiri: in eo animas tantum, „ & poſt judicium univerſale ſimul cum „ corporibus impiorum uſque in per„ petuas æternitates abſque ulla ſpe ſa„ lutis cruciandos fore: per eoſdem dari „ etiam purgatorium &c. „.

III. Quanquam vero non æque illimis fluxerit ſequioribus ſæculis traditio de pœnarum æternitate, eam tamen inter eos ſemper obtinuiſſe exploratum eſt. Habemus R. Eliezer ex ſententia gentis ſuæ ita loquentem in *Pirchè*: *qui deſcendit in arca* (quo nomine Gehennę profundum deſignat) *amplius non aſcendit, & cruciatur in æternum*. Idem docent R. Joſeph Albo in libro inſcripto *Icharim tract.* 4. *cap.* 36., & R. Manaſſe Ben Iſrael *tract.* 1. *cap.* 4. Leo de Mutina lib. alibi cit. ſic explicat Judęorum opinionem, *omnes nempe Iſraelitas partem habere ad ſæculum futurum, ideſt ad beatitudinem: ſive ſtatim a morte, ſive poſt expiata in Purgatorio delicta, ſoli e gente ſua rari quidem numero, atque ſceleſtiſſimi ita rejiciuntur a cælo, ut nulla maneat miſeros ſpes reliqua. Alii vero frequentius ad hujuſmodi pœnam æternam damnantur*.

IV. Atque hæc ferme eſt ſententia recentium Judæorum, qui licet in factiones plures diſtracti ſint, & communiter fabulentur Judæorum neminem, qui a Moſaica fide non defecerit, æternum ſubire ſupplicium; conveniunt tamen in admittenda Gehennæ æternitate pro iis ſaltem, qui extra Moſaicam legem nefarie vixerint, nec nequitiæ ſuæ aliquid probitatis adjunxerint: quem locum iis paratum *puteum perditionis* appellant. Conſonat huic Hebræorum ſententiæ etiam Mahummedanorum opinio, qui ſaltem infidelibus perpetuum ignem in punitionem aſſignant: de quibus legi poſſunt Claſſenius loco ſæpe citato, & Daniel Huetius *in concor. fid. & rat.*

V. Æterni ſupplicii veritate perfuſos fuiſſe Gentiles, ſatis ex libris ipſorum manifeſtum fit. De his Gutherius (*a*) ita ſcribit: „ tres potiſſimum locos conſti„ tuerunt, in quibus defunctorum ani„ mæ poſt mortem continerentur. Ely„ ſium, Infernum, Tartarum. Elyſii „ campi piorum ſedes, Inferni noxio„ rum, Tartara impiorum. Elyſios pu„ ris omnino animis deputarunt &c. At „ qui medium quoddam tenuerant &c. „ Acheruſiæ paludem per annos aliquot „ habitare cogebantur eas perpeſſi pœnas „ quæ illos peccatis priſtinis exuerent, „ ut purgati tandem abſolverentur, & „ Beatorum præmia aliquando reporta„ rent. Qui vero ob ſcelerum magni„ tudinem purgari nullo modo poſſent, „ nec ullis remediis ſanari potuerunt, „ perpetuis Tartari tenebris, & crucia„ tibus clauſi vexantur. Hinc duo loca „ ab Homero ſeparantur &c.. Infernum „ inter lunam terraſque quidam poſue„ runt, ubi animæ purgarentur: in ba„ rathro vero ſeu Tartari profundo im„ medicabilis ira divina eſt, quam ſce„ lerati perpetuo experiuntur „.

VI. Eadem de Græcis peculiariter loquens tradit Daniel Huetius (*b*). Neſa„ rios, inquit, detrudunt in horribile „ barathrum, in quo fluvius ingens Py„ riphlegeton ex rapido & igneo fluvio „ Danielis, ut videtur, confictus: alii „ item triſtes & inamœni omnes in loco „ immenſæ altitudinis. Cruciatus illic „ varii, cruciatuumque miniſtræ furię, „ ſæviſſimi præcipue ignes, & vaſtus „ horror tenebrarum expreſſus ad illas „ tenebras exteriores non ſemel a Chri„ ſto memoratus. Spes illic omnis ſce„ le-

a) apud Giæviuni Tom. 12. (b) lib. 2. cap. 24. de con. Fid. & Rat.

„ leſtis præciſa melioris ſortis. Hinc „ Belidum inexplebile dolium.... Hinc „ æterna illa Theſei ſeſſio. Hinc irremeabiles inferorum viæ. Hinc ferreæ portæ, & centum vectes ærei „ &c. „.

VII. Nec ſolum Poetæ, qui certe nonniſi juxta vulgares hominum ideas, ac perſuaſiones ſcripſere, ſed etiam nobiliſſimi Philoſophorum veritatem eamdem profeſſi ſunt: atque inter eos maxime divinus ille, ut vocabatur Plato. Quanquam enim alicubi piaculares tantum, aut purgatorias pœnas videatur adſtruere, reapſe tamen, ſaltem reſpectu aliquorum, futuras agnovit ſine fine, ſpeque remedii. Primum namque *in Gorgia* (*c*) notat,,, quoſdam, qui mi„ nus gravia, & ſanabilia delicta com„ miſerint, aliquanto temporis ſpatio „ dolores, cruciatuſque perpeti, quibus „ expiantur. Qui autem remediis ma„ jora omnibus, ac deſperata patrave„ rint, nullum pœnarum terminum ha„ bituros „. Latius de eadem re diſſerit *in Phædonis* Dialogo, qui totam pœne complectitur Gentilium Theologiam circa ſtatum animæ futurum. Poſtquam enim quamdam veluti Inferni topographiam delineavit, narrat „ ani„ mas, quę virtutem inter & vitium „ mediam viam tenuerunt, poſt ſenten„ tiam ab Inferni Judicibus latam, ad „ Acherontem profectas, conſcenſis ve„ hiculis ad Acheruſiadem paludem de„ portari, expiatiſque illic per ſuppli„ cia ſceleribus ſolvi, & præmia tan„ dem rerum bene geſtarum recipere, „ ac ad animalium etiam generationem „ nonnumquam remitti. Quæ vero in„ ſanabilibus ſe ſe facinoribus alliga„ runt, in Tartarum abſque ulla futu„ ri exitus ſpe præcipitari „.

VIII. Hanc Platonis de utroque reorum, & criminum genere doctrinam eleganter exponit Syneſius ex ejuſdem Platonis ſchola præſtantiſſimus Philoſophus *in Epiſt.*44. Ibi enim ſic eſſe docet peccatorum animas, uti pannos ac veſtes: Dæmones vero tortores animarum, uti fullones. Atque ut pannorum, ii, quibus ſordes, ac maculæ non tam penitus adhærent, ut ablui, abſtergique nequeant, lotione purgantur: quibus vero pertinacius infixę ſunt, neque carminando, neque lavando ad priſtinum nitorem revocari poſſunt. Sic anima, quæ ſe hærente prorſus, & illutibili noxa contaminavit, ut immortalis ipſa eſt, ita immortali pœna afficitur. Quæ vero non tam inſitas gerit criminum ſordes, iis abſterſis, ad ſalutem pervenit, & incolumitatem.

IX. Magiſtri Doctrinam fere retinuerunt vetuſtiores Platonici, ac nobiliores Philoſophi. Eam ſatis diſerte prodit Apollonius Juncus apud Stobęum ſerm. 120., dum de animarum futura ſorte ſcribit: *malas & improbas infelix* (poſt mortem) *mutatio ſuſcipit, nec amplius luce fruuntur*. Euſebius item Sophiſta ſic eam comprobat apud eumdem: *non decet falſæ, & futilis voluptatis gratia, magna & perpetua mala comparare, nec vita breviſſima vitam ſequentem longiorem corrumpere.* At Platonici recentiores, ut Plotinus, Jamblicus, Alcinous, aliique interpolarunt. Atque de his poſtremis locutum fuiſſe credere par eſt S. Auguſtinum, dum lib. 21. de Civit. cap. 13. refert, *Platonicos, quamvis impunita nulla velint eſſe peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel divinis, ſive in hac vita, ſive poſt mortem, ſive aut parcatur hic cuique, aut ita plectatur, ut hic non corrigatur*. Certe nullibi, quod ſciam, ſcripſit S. Doctor etiam Platonem in eadem fuiſſe ſententia.

X. Non abſimiliter ſenſiſſe Romanos ſaltem plures perhibet Montfauconius *Tom.* 5. *Antiq. illuſt. cap.* 137. ubi ait: *Erant qui dicerent iis, qui ſemel eſſent in Tartarum præcipitati, nullam ſupereſſe ſpem revertendi, nullum expiationis modum, ſed æternum ibi impios cruciandos eſſe*. Id innuiſſe videtur Virgilius, dum cecinit:

Fa-

(a) ſub finem.

Facilis deſcenſus Averni;
Sed revocare gradus, ſuperaſque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt; pauci &c.

Sed clarius dum pœnam Theſei deſcribens eam facit æternam,

Sedet, æternumque ſedebit
Infelix Theſeus, Phlegiaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras,
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Quare dum eodem libro aſſerit animas in inferno ſuppliciis purgari, ad mentem Platonis locutus eſt, qui licet aliquorum animas ad ſempiterna ſupplicia damnaverit, alias tamen, quarum noxas medicabiles cenſuit, temporariis pœnis expiari docuit.

XI. Virgilio ſuccinunt Seneca in *Herc. Fur.* v. 674., in Hippolyto v. 218., in Herc. Æteo v. 1523.: Propertius lib. 4. Elegiar.: Horatius lib. 4. ode 7., ubi reſpicit ad Theſeum, Pirothoumque, qui ad inferos deſcendentes victi, ac vincti perpetuis catenis ibidem remanere coacti ſunt; & Lucianus ipſe ſin minus ex ſuo, ex aliorum ſaltem ſenſu id affirmat *in Menip. & Chiron.*, & in Dialogo *mortuor*. ſcribit: *neque enim fas eſt redire quemquam, qui ſemel paludem tranſmiſerit, atque intra ſpecus hiatum deſcenderit.*

XII. A Græcis & Romanis ad gentes alias greſſum faciens, invenio in eadem perſuaſione extitiſſe Zoroaſtrum, atque adeo veteres Chaldæos & Magos, quorum doctrinam expreſſit, & illuſtravit, & Babylonios & Aſſyrios, quos ille edocuit. Ita namque de impiis, & facinoroſis Dæmonibus, ac hominibus ſenſit: *Tenebrarum Angelus cum ſuis aſſeclis in obſcurum locum ablegabuntur in æternum cruciandi; Angelus vero lucis, ejuſque fideles Diſcipuli in lucidiſſimum locum abibunt, ut digna retributione perpetuo perfruantur*. Quod dogma longe etiam poſt Zoroaſtri tempora in India, & Perſide intemerate retentum eſt. De Indis certe, eorumque Magiſtris Brachmanibus Strabo *lib.* 14. *Geograph.* memoriæ prodidit, eos de immortalitate animæ, & de judiciis apud inferos eadem ſenſiſſe, quæ Plato. Quare cum Plato, ut probavimus, ſaltem aliquorum pœnas æternas fecerit, idem quoque tenuiſſe Brachmanes & Indos colligere neceſſe eſt. Atque eodem argumento probatur etiam Ægyptios malorum æterna ſupplicia credidiſſe. Referunt quippe Tacitus *lib.* 5. *cap.* 5., & Diodorus *lib.* 1. *de inferis*, *eorumque pœnis eamdem fuiſſe ſententiam apud Ægyptios, & Hebræos*, qui indubitanter eas credebant ſine fine duraturas.

XIII. Sed nec populos ipſos Hyperboreos, ſive Septemtrionales latuiſſe ſempiterna impiorum tormenta dicendum eſt. Nam a Gobria Mago accepiſſe ſe teſtatur Socrates apud Platonem *in Axioco*, avum illius miſſum fuiſſe in Delum, ibique cognoviſſe ex æneis tabulis, quas Opis, & Hacaergus attuliſſent ex Hyperboreis, *animas* (malorum) *exemptas corporibus torreri ignibus æternis, & pœnis inexplicabilibus cruciari.*

XIV. Hæc eadem notitia ſive perſuaſio perſeverat immobilis inter plures hujuſce temporis barbaras, & infideles nationes. Brachmanes recentiores, quamquam communiter animarum Metempſychoſim ſuſtineant, nonnullos tamen, quorum opera nefaria admodum extiterint, ad ſempiterna ſupplicia damnari, & in loco quodam remoto perpetuo aſſervari ajunt, quem *puteum Abyſſi* vocare ſolent, ut nuperi Hebræi, *puteum perditionis*. Hac doctrina imbutos eſſe teſtantur Scriptores fide digni populos Malabares, ſive qui Indoſtanum, Bengalam, & Ceylanum inhabitant. Nam noxios quidem plures piacularibus duntaxat plecti ſuppliciis exiſtimant, graviorum tamen criminum ſontes æternum torqueri credunt. Aſſentiuntur ferme Siamenſes, qui putant animas poſt varias in alia, & alia corpora tranſmigrationes, ex hoc mundo exire tandem, atque pro meritis ſempiterno vel præmio affici, vel ſupplicio, ut ex Salmone habetur: quod & de Indis, qui circa Inſulam Goam diffunduntur prodit

dit Ugo Linthoſtanus, ac de populis Inſulæ Formoſæ D. Maigrot.

XV. Americanos quoque hujus veritatis luce expertes penitus non fuiſſe, compertum eſt ab iis, qui eorum mores, & doctrinas curioſius, & accuratius rimati ſunt. Hoc de populis, qui novam Aureliam incolunt, refert D. Petit S.I. Miſſionarius in litteris ex ea regione ſcriptis. De Virginienſibus idem tradit Thomas Avioth Anglus, & ex ipſo, ut arbitror, Huetius, qui dicit *eos credere homines poſt mortem pro meritis vel frui fælicitate cum Diis, vel in immane barathrum ad perpetuos ignes detrudi*. De reliquis obſcura quidem res eſt: cæterum qui pœnarum æternitatem expreſſe negent, vix invenias.

XVI. Ex tot exoticarum maxime nationum teſtimoniis validiſſimum emergit argumentum adverſum nuperos Origeniſtas. Perſuaſio ſiquidem æterni poſt mortem cruciatus, non eſt aliqua opinio, quæ humanis affectibus ſubſerviat, adeoque ex genio confingi, & in populos diffundi, eorumque animis inſeri facile queat: ſed quam potius valde refugiunt omnes, & perhorreſcunt. Igitur ſi tot illam gentes, atque nationes alte imbiberunt, firmiterque crediderunt; alterum ex his afferamus, oportet, aut homines nativo mentis lumine veritatem hanc pervidiſſe, aut ſaltem perenni traditione ad eos permanaſſe. Primum illud profecto abnuent Origeniſtę, qui perpetuo clamant pœnarum æternitatem inſitis a natura notionibus adverſam eſſe, & juſtitiæ legibus omnino repugnantem. Alterum itaque, opus eſt, fateantur, traditione nimirum hujuſcemodi doctrinam tot exteras gentes accepiſſe. Sed vel hoc ipſos jugulat, atque proſternit. Nam talis traditionis origo non aliunde repetenda eſt, quam ab ipſomet Deo, qui terribilem hanc veritatem vel in ſacris libris luculenter enunciaverit, vel primos hominum parentes docuerit, quam ipſi ſubinde ad poſteros tranſmiſere. Porro quamcumque eligat partem, peræque ſemper fluit hujus doctrinæ Magiſtrum, ac veraciſſimum teſtem Deum eſſe: atque adeo ſubmiſſo, & obſequenti animo ab omnibus ſuſcipiendam.

XVII. Quid vero probabilius definite cenſendum ſit de modo, quo pœnarum æternarum traditio in tot extraneas nationes propagata fuerit, non eadem eſt Scriptorum ſententia. Sancti plures Eccleſiæ Patres Juſtinus, Theophilus, Minucius Felix, Euſebius, Auguſtinus, Theodoretus, & alii priorem partem amplectuntur, contenduntque Ethnicorum Theologiam de pœnis inferni, & earum æternitate ex libris ſacris originem ducere, & ex convictu gentium cum Hebræa natione. Id inter alios ex laudatis Patribus exerte affirmat Theodoretus lib. 2. Therapeut., ubi relata ſententia Platonis in *Phædone* de æternitate pœnarum, ſubdit, dogma iſtud memoria & obſervatione dignum eſſe. Satis quippe oſtendit ex eo Plato ſe in Ægypto audiviſſe, quod ſcripſerat Iſaias: *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, & illud, juxta Vulgatam, *quis poterit habitare cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Et certe, quidquid dicant aliqui nimium audaces Moderni, negari nonniſi temere poteſt, multa Scriptores Ethnicos, & Philoſophos e Moſaicis litteris, atque Hebræorum ſcriptis & converſatione depromſiſſe, prout a viris eruditis demonſtratum eſt, Voſſio, Bocharto, ac Daniele Huetio, qui hoc præ cæteris argumentum uberius pertractavit: & vel ipſa fidem faciunt Ethnicorum ſcripta ea de Deo, de creatione mundi, de pluribus aliis tradentia, quæ non aliunde quam ex Hebræorum fonte derivari vix, ac ne vix quidem potuiſſent.

XVIII. Nihilominus quoad pœnarum æternitatem attinet, ut ut admittam Platonem, & Græcos ab Ægyptiis, & Hebræis ipſam hauſiſſe, altius exiſtimo illius originem arceſſendam eſſe, videlicet a primis humani generis Parentibus, qui Deo ipſo magiſtro inſtructi fuere circa ea, quæ æternam hominis ſalutem ſpectant: quorum notitia per eorum poſteros ad Noe, ejuſque filios propagata, perpetua deinde tradi-

tio-

tione plures gentes imbuit, & informavit. Ad hoc aſſerendum duplici præſertim adducor momento. Primo quia difficile admodum intelligi poteſt, quomodo ex Moyſis, Prophetarumque libris, aut Judæorum convictu, non Ægyptii tantum & Græci, aliique finitimi populi, verum etiam tot aliæ barbaræ & longiſſime ab his ſemotæ nationes, tum Aſiaticæ, tum etiam Americanæ inſtructæ fuerint hac fidei veritate. Secundo quia rationi maxime conſentaneum apparet ea præcipue, quæ ad futuram hominum ſortem pertinent, Deum primis Parentibus noſtris revelaſſe, & hos, filios ſuos ac nepotes docuiſſe: cum & futuri præmii, & futuræ æternæ pœnæ cognitio medium ſit validiſſimum ad peccata præcavenda, ad mores componendos, Deoque contumaces homines ſubjiciendos (*a*). Unde dubitari nequit ſupremum Proviſorem haud reliquiſſe homines hac ſalutari cognitione deſtitutos, nec Adamum, & Noemum filiis ac nepotibus utilem adeo occultaſſe veritatem: quæ quidem poſtea in pluribus nationibus conſtanter permanſit; at illam in pluribus aliis & Idololatria, quæ ſucceſſit, & fabulæ, & efferati mores hominum corruperunt, penituſque obliterarunt.

CAPUT XIX.

Generales quædam animadverſiones in argumenta, quæ adverſus pænarum æternitatem ab humana ratione depromunt Sociniani, & Origeniſtæ: Conſenſus plurium nationum in eo dogmate ſatis evincit ſpectrum eſſe ab illis confictum apertam, quam jactant, ejus repugnantiam cum Dei natura, ac perfectionibus. Adverſariorum methodus omnia peſſumdat Chriſtianæ Religionis fundamenta. Plurima ſunt in rebus naturalibus certiſſima, quæ tamen repugnantiam involvere videntur. Humana mens fide deſtituta decipi facile poteſt in iis præſertim, quæ divinam naturam, & operationes ſpectant. Deo æternam impiorum miſeriam perſpicue revelanti fides adhibenda, tametſi ideis noſtris ſpecietenus adverſetur.

I. CUm pœnarum æternitatis hoſtes undique ſe preſſos videant graviſſimis verbi Dei tum ſcripti, tum traditi momentis, cauſſam alio avocare ſatagunt, ad tribunal ſcilicet humanæ rationis, in quo ſe victoriam certiſſime conſecuturos confidunt. Ajunt nimirum: ut ut perſpicua in ſpeciem ſint Scripturarum teſtimonia, quæ improbis ſupplicia nunquam deſitura denunciant, nihil tamen reipſa continere queunt, quod claris ab ipſo Naturæ Auctore impreſſis notionibus adverſetur. Porro rationales creaturas pro temporario peccato in ęternum puniri, recta pugnat cum claris ideis, aut notionibus, quę nobis inſitę ſunt, de Deo, ejuſque peculiaribus dotibus, ſive, ut vocant, attributis, bonitate, ſapientia, providentia, miſericordia, clementia, ac demum ęquitate, atque juſtitia. Pugnat cum bonitate, ſapientia, & providentia divina, ad quas pertinet creaturas mentis compotes ad eum finem tendem perducere, propter quem conditę fuerunt, ęternam videlicet beatitudinem. Pugnat cum divina miſericordia, & clementia, quę dum pro peccatis pœnam infligit, emendationem nocentis reſpicere ac quęrere debet, non ipſam punitionem. Ac poſtremo pugnat etiam cum Dei ęquitate, & juſtitia, quę ęqualitatem inter ſupplicium & culpam ſervare tenetur, nec pœnas peccantis merito graviores irrogare poteſt: quod plane fieret, ſi noxis temporariis punitionem ſempiternam inferret.

II. Hęc modo compendio expoſita, quę

(a) *Quolibet tempore inſtructi ſunt homines divinitus de agendis, ſecundum quod erat expediens ad ſalutem electorum.* S. Thomas 2. 2. quæſt. 178. art. 6.

quę fuſius deinde proponentur, ſunt ea argumenta, quibus cauſſam ſuam maxime fidunt Adverſarii, quęque confidentia ſumma veluti penitus decretoria jactant contra pœnarum ęternitatem: hiſque adeo ſe tela eludere poſſe putant quęcumque ex ſacris libris, ac traditione in eorum ſyſtema intorquent Catholici dogmatis defenſores. Nos hujuſmodi argumenta accurato examine perpendemus, quantique momenti ſint, palam faciemus. At liceat mihi juxta methodum, quam ferme ſecutus eſt S. Auguſtinus (*a*) in hujuſce generis argumentis refellendis, quaſdam in anteceſſum generales animadverſiones pręmittere, quę ad jactantias ipſorum vaniſſimas retundendas, & argumenta omnia, quę ex humanę rationis penu producunt, exſufflanda, ſatis eſſe poſſunt, atque deberent.

III. Et primo quidem, ſi tam clara eſſet, prout illi obganniunt, ęternę malorum Angelorum, & hominum miſeriæ cum Dei dotibus aut perfectionibus repugnantia, fieri minime poſſet, quin aut omnibus, aut fere omnibus conſpicuam ſe proderet: quemadmodum compertum eſt in iis veritatibus, quarum claras habemus, & diſtinctas ideas, aut notiones, quæ luce ſua ita mentem percellunt, ut omnium, qui eas ſerio contemplantur, aſſenſum veluti extorqueant. Hoc autem experientia ipſa falſum eſſe deprehenditur in ea, qua de agimus, controverſia. Etenim nullam repugnantiam aut perſpexerunt, aut perſpiciunt in hoc, quod nefarios Deus in æternum puniat, tot nationes, quot jam recenſuimus, Chriſtiani, Judæi, Mahummedani, Ethnici, aliæque infideles ac barbaræ gentes, quæ dogma iſtud jampridem retinent, ac firmiter credunt.

IV. Ulterius ſi dogma de pœnarum æternitate rejicere licet, quia cum ideis noſtris conciliari nequit, jam eodem jure tanquam falſa rejicere licebit quæcumque ideis eiſdem non conſonant, & in quibus humana mens pugnantia ſibi deprehendere videtur, ut recte arguit ipſe Petrus Bellius (*b*). Porro hoc ſemel admiſſo, corruunt plane fundamenta omnia Chriſtianæ Religionis, & in Atheiſmum, aut ſaltem Theiſmum directe tendimus. Nam ſi myſteria fidei juxta ideas noſtras dimetiri volumus, eaque recipere, quæ illis conſentiunt, quæ vero diſſentiunt, repudiare; jam nec Trinitatis, nec Incarnationis, nec ſupremæ Reſurrectionis, nec cæteris aliis Myſteriis Fidem adjungemus. Quid enim magis in ſpeciem repugnans quam unius Dei ſimpliciſſima, ſingulariſque natura cum trium diſtinctione perſonarum? Quid indignius apparet imbecilli menti noſtræ, quam filium Dei unigenitum omnes ſuſcipere humanæ naturæ infirmitates, ſeque tot afflictationibus ſubjicere, ac morti tandem omnium probroſiſſimæ, quæ Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia viſa eſt? Quid humanis experimentis incredibilius, quam omnium corporum reſurrectio, quæ jam a tot ſæculis in cineres redacta ſunt, & in alia ſæpe corpora pluribus vicibus tranſmutata? Si hæc igitur fidei myſteria tenere ſe profitentur, quos nunc refellimus, abnuere conſequenter minime poſſunt dogma de æternitate pœnarum eo titulo, quod ipſorum ideis, aut notionibus non congruat, ſed diſſentaneum potius appareat: ac ſicut in aliis, ſic in hoc myſterio captivare debent intellectum in obſequium fidei.

V. Tertio inficias ire nequeunt Adverſarii plura in rebus ipſis naturalibus, de quibus rationem nullam reddere fas eſt, immo quæ cum ratione ipſa interdum pugnare videntur, ut jam modeſtiores quique Philoſophi conveniunt: & tamen veriſſima eſſe ac certiſſima nullus dubitat. Multo magis igitur in

Oo re-

(*a*) lib. 21., & 22. de Civit. Dei.
(*b*) in quaſt. ad Provinc.

rebus fidei, quæ creatæ rationis lumen longe excedunt, quædam eſſe poterunt, quæ apparentem quandam repugnantiam involvere videantur. Hoc eodem argumento uſus eſt Auguſtinus ad revincendos infideles, qui iiſdem armis adverſus hoc fidei dogma dimicabant. Adductis ſiquidem plurimis exemplis mirabilium operum naturæ, quæ ideis noſtris & experimentis contraria videntur, ſubdit: *hi tamen fidei reprehenſores, exactoreſque rationis quid ad iſta reſpondent, de quibus ratio reddi ab homine non poteſt: & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria. Quæ ſi futura eſſe diceremus, ſimiliter a nobis, ſicut eorum, quæ futura eſſe dicimus, ab infidelibus ratio poſceretur. Ac per hoc cum in talibus operibus Dei deficiat ratio cordis, & ſermonis humani, ſicut iſta non ideo non ſunt, ſic non ideo etiam illa non erunt, quoniam ratio de utriſque ab homine non poteſt reddi.*

VI. Præterea, cum Adverſarii dicunt pœnarum æternitatem pugnare cum Dei natura, & perfectionibus, de re judicant, de qua rectum nullum judicium nativo lumine efformare queunt ob anguſtiam & imbecillitatem humanæ mentis, & excellentiam objecti, de quo judicare præſumunt. Ut enim certi eſſe poſſent de hujuſmodi repugnantia, plane oporteret, ut Dei naturam, ejuſque operationes, conſilia, ſcopum, finem, quem ſibi præfigit, aliaque innumera non conjectura aliqua, ſed perfecta cognitione comprehenderent: quod tamen, quidquid de ſeipſis magnifice ſentiant, effutire nequaquam audebunt. *Forſitan*, inquit appoſite S. Job cap. XI., *veſtigia Dei comprehendes, & omnipotentem uſque ad perfectum reperies? Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram*. Hinc etiam Apoſtolus exclamat in Epiſt. ad Rom.: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Quis infirma ingenii ſui acie inacceſſibilem illam Dei lucem conſpexit? Quis theſauros immenſos divinarum perfectionum ingreſſus eſt, ut noſcere, ac definire valeat quid Deus juxta bonitatem, ſapientiam, Providentiam, ac juſtitiam ſuam de impiis hominibus diſponere debuit? Nonne temerarii, ac prorſus inſani dicendi ſunt, qui hoc ſibi arrogant, ſuoque judicio ſubjiciunt, quæ ſupra creatum rationis lumen poſita eſſe fateri neceſſum eſt?

VII. Proderit de hac re nuperum quemdam audire Theologum ſolida hac animadverſione Socinianos, & Origeniſtas omnes egregie revincentem (*a*). Hæc ſunt ejus verba ex Gallico in Latinum ſermonem converſa: „ Nos Judices competentes nequaquam ſumus „ divinarum perfectionum, ut eas digne æſtimemus, ut earum conſtituamus officia, ut reſpectus dirigamus, „ ut operationes apte invicem conjungamus. *Deus infinite bonus creaturas „ per infinitam durationem miſeras efficere nequit*. Hoc eſt principium illud potiſſimum, cui nititur mentis „ veſtræ ratiocinium: quod etiam prima facie æque mihi ac vobis arridet. Sed qui ſcimus nos rite ratiocinari? Quo pacto formamus ideam „ bonitatis infinitæ, ſicut & divinarum aliarum perfectionum termino, „ ac menſura carentium? Profecto nonniſi per Analogiam, aut comparationem cum dotibus, & virtutibus noſtris admodum imperfectis, & limitatis. Hæc porro via nonne aberrationi obnoxia eſt, facileque a recto „ tramite abducit? Fortaſſis in alia vita nimio ſtupore corripiemur, videntes evaneſcere permultas, ex ideis „ noſtris in ſpeciem evidentioribus, „ unaque a fundamentis corruere iis „ ſubnixa ſyſtemata, quæ adeo ſpecioſa ac certa nobis videbantur. Intelligi

(a) apud Franc. de Roches Epiſt. 37.

„ ligi plane nequit, quod humani ingenii vis anguſtis concluſa limitibus „ firmum quidpiam conſtruere valeat „ ſuper principia, quæ nullam obtinent „ inter ſe proportionem, & quod finitum eſt infinitum dimetiri poſſit, „ atque ad ſyſtema aliquod redigere. „ At hocce diſcurſu, forte reponetis, „ nos in Pyrrhoniſmum deducis, primaſque ſubruis notiones, & ideas „ virtutum ac perfectionum. Minime „ gentium. Lubens convenio in certiſſimis hiſce principiis: *Deus eſt bonus: Deus eſt juſtus: Deus eſt ſapiens.* „ Abſit a me omnino tantæ inſaniæ „ periculum, ut magnis his veritatibus „ quidpiam firmitatis detraham: quin „ potius eas conſtantes, & immobiles „ eſſe volo. Verum modum hunc cogitandi, loquendique damno, atque redarguo: *Deus quia bonus, quia ſapiens, quia juſtus, hoc, illudve haudquaquam velle, vel permittere poteſt, aut debet.* Quanquam nobis ita videatur „ longum plane iter conficiendum ſupereſt, antequam eo perveniamus, „ ut pedem tuto figamus, poſſimuſque „ concludere nos minime decipi, ac „ reipſa verum eſſe, quod verum nobis „ apparet. Hic vel maxime illud meminiſſe par eſt, quod dictum eſt a „ Propheta, immo ab ipſomet Deo: „ *non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cæli a terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ a viis veſtris, & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris* „. Hactenus ille.

VIII. Legitimum hujuſce Theologi diſcurſum confirmare lubet doctrina, qua celebris quidam Origeniſta (a) de alio argumento differens utitur adverſum illos Theologos, qui penetralia divinitatis curioſius perſcrutantur, omniumque rationem noſcere volunt. Hos Author iſte ſugillat, ac deridet tamquam fruſtraneo labore deſudantes in arduis pluribus quæſtionibus reſolvendis, ad quas imbecillo humano lumine pertingere non licet. „ Penetrare, inquit, conati ſunt, quod penetrari nequit, & cujus notitia in tempus aliud hominibus reſervata eſt: „ in illud videlicet tempus, in quo nihil erit amplius, quod eos ad continenter laborandum, & operandum „ ſollicitet, ac urgeat: in illud tempus, quod *tempus cognitionis, & lucis* merito vocari poteſt, atque *Epocha magni diei*, quæ nos in pleno lumine collocabit. „ Porro inter has arduas, perdifficileſque quæſtiones, quibus inutili conatu vexantur humana ingenia, eam quoque recenſet Author, quæ permiſſionem peccati ſpectat. Conſentit ipſe peccati permiſſionem nullum divinæ ſanctitati præjudicium inferre. *Quamquam enim*, ſcribit, *concipi nequeat ab homine quo pacto, qui malum alterius permittit, quod impedire utique valet, tacito ſaltem conſenſu illud non approbet; abſit nihilominus ut de Deo malum permittente conqueramur: acquieſcere immo debemus in clara, quæ nobis affulget, idea, quod Deus ſanctus ſit, adeoque iniquitatem approbare non poſſit: ac interim ea fideliter impleamus, quæ nobis præcipiuntur, præſtolantes Epocham magnæ diei, ut de hac veritate plenius inſtruamur, quam modo fruſtra inveſtigare nitimur.*

IX. Tota hæc doctrina in ejus Authorem, cæteroſque Origeniſtas retorqueri jure poteſt relate ad repugnantiam, quam ſe deprehendiſſe putant inter pœnas æternas, & Dei bonitatem, ſapientiam, atque juſtitiam. Si enim, cum de permiſſione peccati agitur, credendum eſſe decernit nullum ex ea inferri divinæ ſanctitati præjudicium, *tametſi intelligi nequeat, quod in peccatum tacite non conſentiat, qui illud permittit, dum alias impedire poteſt*, cur non eademque ſentit de præſenti quæſtione pœnarum æternitatem ſpectante? „ An forte (ſic „ merito ipſum redarguit D. de Roches (b) non eodem in pretio eſſe de- „ bent

(a) Author Relig. Eſſent. (b) Epiſt. 37.

„ bent quæcumque divinæ perfectiones? „ Cur ardentiore ſtudio *ſanctitatem*, „ quam *bonitatem* ſupremi Numinis „ vindicare ſatagit? Num quæſtio de „ pœnarum æternitate minus *ad agendum* nos urget, quam quæſtio alia „ de permiſſione peccati, aut levius periculum nobis impendet, dum bonas „ horas inutiliter inſumimus in inveſtiganda priore, quam poſteriore? „ Quare utraque non æque a nobis „ exigit, ut expectemus *tempus cognitionum*, *& lucis*, *& Epocham magni* „ *diei*, ut iis difficultatibus expediamur, „ quæ ſe nobis ingerunt in hac vita „ mortali tenebris undequaque circumſepta? Nonne ſummo jure metuere „ debet, ne illud ſibi quoque obveniat, „ quod aliis obveniſſe refert nimium „ curioſis Theologis, *qui exiguum lumen mortalibus a Deo conceſſum negligentes, dum lumen majus huc atque illuc anxie perquirunt, fallacibus quibuſdam fulgoribus, & inanibus ſpectris decepti ſunt, totaque vita aberrantes fateri tandem compulſi ſunt: expectavimus lucem, & ecce tenebræ: claritatem, & ecce obſcuritas perquam caliginoſa*.

X. Hiſce animadverſionibus aliam poſtremo loco adjicio, quæ ſola ad omnes Adverſariorum offucias ex humana ratione petitas diſſlandas ſufficere poteſt. Quamquam in rebus iis, in quibus vel ſilet prorſus divina revelatio, vel obſcura eſt & ambigua, magna ſit humanis ingeniis relicta libertas, ut ea, quæ veritati propiora ſibi videantur, ſuſcipiant, ac teneant; in iis tamen, in quibus ſuprema veritas clare locuta eſt, non eadem patet ingeniis libertas: ſed ea ſubmiſſo animo recipere tenemur, licet peculiaribus ideis noſtris non reſpondeant, & juxta Apoſtoli dictum in captivitatem redigere intellectum aliter opinantem in obſequium Dei. Idque ſane recta ipſa ratio depoſcit omnino. Humana quippe mens errori obnoxia eſt, fallique poteſt, ac ſæpe fallitur in iis etiam, quæ ſibi clariora videntur. At falli nequit divina ſapientia, nec quemquam fallere divina veracitas: atque adeo dum aliqua nobis credenda proponit, ambitioſi nimium, temerarii, atque inſipientis ingenii fuerit ea reſpuere quæ demiſſis oculis ſuſcipienda ſunt, Deoque loquenti præferre imbecillimum mentis noſtræ lumen contra ac divina revelatio teſtatur, aliquid repræſentans. Neque profecto mirum nobis eſſe debet plura eſſe in myſteriis a Deo revelatis, quæ perſpici a nobis nullatenus poſſint. Ut enim ſcitiſſime docet S. Thomas lib. 1. Cont. Gent. cap. 2. *quanto intellectus eſt ſuperior, & magis elevatus, tanto plura poteſt intelligere, quæ inferior intellectus capere non poteſt. Sed intellectus divinus maxime excedit humanum: ergo aliqua in ſeipſo Deus cognoſcere poteſt, quę humanus intellectus omnino capere non poteſt*. Ex quo infert: *Sicut igitur maximæ amentiæ eſſet idiota, qui ea, quæ a Philoſopho proponuntur, falſa eſſe aſſereret propter hoc, quod ea capere non poteſt; ita & multo amplius nimiæ ſtultitiæ eſſet homo, ſi ea, quæ divinitus revelantur, falſa eſſe ſuſpicatur ex hoc, quod ratione inveſtigari non poſſunt*.

XI. At reponunt Adverſarii neutiquam ſe ambigere de Dei revelantis veracitate, ſed duntaxat de exiſtentia divinæ revelationis quoad pœnarum æternitatem, quæ nativis hominum ideis ac notionibus adeo adverſatur: non inficiari ſe humanam rationem divinæ authoritati faſces debere ſubmittere, eaque certo credere, quæ atteſtatur in ſacris libris tametſi lumini ſuo impervia: ſolum adduci non poſſe ut credant divinam extare authoritatem, quæ dogma tam abſurdum, quodque cum Dei natura ac dotibus directa acie pugnat, teſtificetur.

XII. Si hæc ipſi bona fide, & animo ingenuo proferunt, igitur prius oſtendant, oportet, dogma de æternis impiorum pœnis non eſſe in ſacris litteris revelatum, aut obſcuram admodum & ambiguam eſſe divinam revelationem: quo peracto, licebit ipſis in ſuæ hypotheſis ſubſidium vocare argumenta a promptua-

ptuariis humanæ rationis educta. Quid e contra, Scriptura aut penitus prætermiſſa, aut leviter & in ſpeciem tantum explorata, ad tribunal humanæ mentis cauſſam appellant, uniceque, aut ſaltem inprimis in iis argumentis promovendis inſiſtunt, quæ mens eadem humana ſuppeditat? Præpoſtera hæc eſt diſputandi ratio, atque indigna prorſus Chriſtiano Theologo, qui in fidei veritatum examine a ſacris litteris iter inſtituere debet, & ab Eccleſiæ traditione, quæ legitima ſenſus earumdem regula ac interpres eſt: illudque humillime prompteque ſuſcipere, quod ex iis revelatum eſſe conſtiterit, quamquam vulgaribus ideis adverſum appareat. Verum non hanc ipſi viam arripiunt, ſed ab humana potius incipiunt ratione, ac ſyſtema illud conſtituunt, quod placitis & ingenio ejuſdem arrideat: tum vero ipſum ſacris ſubinde textibus aptare ſtudent, divinaſque ſententias detorquent, eludunt, invertunt, ſubvertunt, ut iis quadantenus accommodent, fruſtra reclamante verborum proprietate, & perſpicuitate, ac tot ſæculorum conſenſu, & tot Chriſtianorum firma perſuaſione. Qui ita ſe gerunt, non humanam rationem divinæ authoritati, ſed divinam authoritatem humanæ rationi ſubjiciunt, atque poſtponunt.

CAPUT XX.

Primum expenditur Origeniſtarum argumentum ex Dei Bonitate, & Providentia arceſſitum. Illud ſibi jam propoſuerat, dilueratque Angelicus Doctor S. Thomas. Illuſtratur ſolutio ab ipſo tradita. Inane foret naturale homini deſiderium erga beatitudinem, ſi eam conſequi non poſſet, non autem ſi actu non conſequatur. Neque optimi Proviſoris munus id a Deo exigit, ut neminem ab eadem excludat, & in æternum perire ſinat. Futile argumentum Anonymi Scriptoris depellitur. Alia ejuſdem hallucinatio notatur. Quod primo & principaliter in rebus creatis extra ſe reſpicit Deus, eſt bonum totius univerſi: in quod etiam plurium perpetua damnatio conſpirat.

I. QUas capite ſuperiore præmiſimus, animadverſiones ſufficere plane debent homini Chriſtiano omnibus, quæ Sociniani & Origeniſtæ adverſus pœnarum æternitatem contorquent, humanæ rationis argumentis depellendis, contemnendiſque. Nihilominus, ne vim eorumdem pertimeſcere videamur, præſtat ea in aciem efferre, quantique roboris ſint, peculiariter expendere. Primum itaque argumentum, quod veluti Gorgonis caput, objiciunt, ſumitur ex idea, quæ nobis affulget, Dei Supremi, optimi, ſapientiſſimique Proviſoris creaturarum omnium, maximeque rationalium, cum qua pugnare aperte dicunt æternam reproborum miſeriam. Illud ita proponit celebris inter nuperos Origeniſtas Anonymus Author: „ impoſſibile eſt quod ſupremus rerum „ omnium artifex, ac moderator Deus „ eum finem non conſequatur, quem „ ſibi in earum conditione præſtituit. „ Finis autem, quem ſibi præſtituit, „ & ad quem rationales creaturas or- „ dinavit, eſt ipſarum beatitudo, ſive „ perfecta & ſempiterna felicitas, ut „ evidenter apparet ex naturali pro- „ penſione, aut innato appetitu, quo „ in ipſam omnes volentes, nolenteſ- „ que feruntur. Igitur, ſi ad hanc „ nullo unquam tempore pervenirent, „ finem Deus ſibi præſtitutum non „ aſſequeretur, ac vehemens illud, „ quod in nobis eſt, beatitudinis ap- „ petitus fruſtraneus & inanis eſ- „ ſet, immo ad hoc tantum indi- „ tus fuiſſet, ut homines amplius „ torqueret, ac miſeriores efficeret:

„ quod

„ quod de divina bonitate cogitare neſas „ (*a*).

II. Hoc argumentum, quo inaniter triumphat, & ovat Anonymus, jam ſibi propoſuerat, ac ſolverat Angelicus Doctor S. Thomas *in* 4. *diſt.* 46. *quæſt.* 2. *art.* 3. his verbis: „ ſicut dicit Anſelmus in lib. 2. cur Deus Homo, „ *non eſt juſtum ut Deus creaturam, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire ſinat*. Ergo videtur, cum quælibet creatura rationalis creata fuerit ad beatitudinem, non eſſe juſtum, ut omnino perire permittatur „. Quid porro huic argumento reſpondet ſanctus Præceptor? „ Ad tertium, inquit, dicendum, quod Anſelmus intelligit non eſſe juſtum quantum ad decentiam divinæ Bonitatis: & loquitur de creatura ſecundum genus ſuum. „ Non enim eſt conveniens divinæ bonitati, ut totum unum genus creaturæ deficiat a fine, propter quem eſt factum. Unde nec omnes homines, nec omnes Angelos damnari convenit. Sed nihil prohibet, quin aliqui ex hominibus, vel ex Angelis in æternum pereant, quia divinæ voluntatis intentio impletur in aliis, qui ſalvantur. „ Hoc eſt divinam bonitatem non decet, quod & facto ipſo comprobatur, ut vel omnes Angelos, vel omnes homines excidere ſinat ab æterna beatitudine, ad quam creati ſunt: unde nec in cæteris rebus invenimus omnes ab eo fine deflectere, propter quem ſunt inſtitutæ. Verum ſicut divinæ Bonitati, & Providentiæ non adverſatur, quod aliqua ſint in quolibet genere, vel ſpecie, quæ finem generis, vel ſpeciei proprium non conſequantur; ita nec adverſabitur, quod aliqui & ex Angelis, & ex hominibus ab ea felicitate deficiant, ad quam genus humanum & Angelicum conditum eſt: neque ex hoc finem, quem ſibi propoſuit, non obtinet Deus. Nam ſi ſermo ſit de fine ultimo, qui eſt Deus ipſe, ejus gloria, ſuarumque perfectionum manifeſtatio, hunc ſemper conſequitur, quemadmodum & finem huic proximiorem, qui in bono totius univerſi conſiſtit. Quoad finem vero peculiarem attinet æternæ felicitatis hominum, & Angelorum, hunc conſequitur in iis omnibus, quos abſoluta & efficaci voluntate ad ſalutem pervenire decrevit. At neceſſe non eſt, ut eumdem etiam conſequatur in cæteris aliis, quos in ipſum efficaciter non ordinavit, quamvis omnibus naturalem appetitum indiderit erga beatitudinem.

III. Verum clarior apparebit argumenti ſolutio, quod ex hac innata omnium erga beatitudinem propenſione derivat nuperus Origeniſta, propoſita alia ejuſdem Sancti Thomæ doctrina, quam tradit *lib.* 3. *Cont. Gent. cap.* 51. Docet ille in iis, quæ ad aliquem finem ordinata ſunt, diſtinguendam eſſe potentiam conſequendi finem, & actualem finis conſecutionem. Hæc rebus omnibus in finem ordinatis neceſſum non eſt ut conveniat: prior autem omnino convenire debet, alioquin inutile foret ac fruſtraneum naturale erga finem deſiderium. Unde infert, quod cum *impoſſibile ſit naturale deſiderium eſſe inane, quod quidem eſſet, ſi non eſſet poſſibile pervenire ad divinam ſubſtantiam intelligendam*, in quo creaturæ intellectualis beatitudo poſita eſt, *neceſſe eſt dicere, quod poſſibile eſt ſubſtantiam Dei videri per intellectum & a ſubſtantiis intellectualibus ſeparatis, & animabus noſtris*. Ad quæ S. Thomæ verba hoc commentarium appingit eruditus Franciſcus Ferrarienſis: „ diligenter attendendum, quod non infert Sanctus Thomas, quod naturale deſiderium eſſet inane, ſi intellectus non videret ſubſtantiam divinam, ſed ſi non eſſet poſſibile ipſum pervenire ad divinam ſubſtantiam intelli-

(a) Le bonheur étant la fin de leur deſtinée, & les Hommes n' y pervenant point ſur la terre, le Grand Ouvrier auroit manqué ſon but, s'il etoit poſſible qu' ils n' y parvinſſent jamais, & que ce deſir invincible du bonheur n'auroit ſervi qu' à les tourmenter, & à les rendre plus miſerables. Author Relig. eſſent. pag 25.

„ telligendam: quia non dicitur deſiderium naturæ eſſe inane, ſi in aliquo individuo non adimpleatur, ſed ſi non ſit in individuis natura non orbatis potentia, & capacitas ad impletionem talis deſiderii. Si enim in individuis non eſſet talis potentia, nunquam naturæ deſiderium adimpleretur: ſed ſi in illis ſit capacitas rei deſideratæ, naturæ deſiderium quandoque in aliquo impletur: & hoc ſufficit ad hoc, ut non ſit inane & fruſtra „.

IV. Argumentum igitur ab Anonymo Scriptore tantopere jactatum id unum probat, quod inane eſſet deſiderium rationalis naturæ, & contra ordinem Providentiæ divinæ, ſi potentia careret conſequendi beatitudinem, neque vel homines, vel Angeli ad eamdem reipſa pervenirent poſtquam etiam id omne præſtitiſſent, quod præſtare utique poterant, ac debuerant. At vero inde non ſequitur, quod rationales omnes creaturę ad beatitudinem pertingere debeant, multoque minus quod ſupremus Rector, ac Proviſor Deus a propoſito ſibi fine defeciſſet, ſi eam omnes haud conſequerentur. Neque enim Deus conſtituit, ut abſolute, & quacumque facta ſuppoſitione felicitatem obtineant; ſed ſolum, ſi propriis actionibus in illam ſe ſe dirigant, eaque via inſiſtant, quam ipſis præmonſtravit. „ Quædam etenim (inquit idem S. Thomas *lib.* 3. *Cont. Gent. cap.* 1.) ſic a Deo producta ſunt, ut intellectum habentia ejus ſimilitudinem gerant, & imaginem repræſentent. Unde & ipſa non ſolum ſunt directa, ſed & ſeipſa dirigentia ſecundum proprias actiones in debitum finem: quæ ſi in ſua directione regimini divino ſubdantur, ad ultimum finem conſequendum ex divino regimine admittuntur: repelluntur autem ſi ſecus in ſua directione proceſſerint „. Quam doctrinam uberius exponit *Opuſc.* 3. *cap.* 172. his verbis: „ conſiderandum eſt, quod ſi eſt determinata via perveniendi ad aliquem finem, illum finem conſequi non poſſunt, qui per contrariam viam incedunt, aut a via recta deficiunt. Non enim ſanatur æger, ſi contrariis utatur, quæ medicus prohibet, niſi forte per accidens. Eſt autem determinata via perveniendi ad felicitatem per virtutem. Nec enim conſequitur aliquid finem ſuum, niſi quod proprium eſt, bene operando: neque enim planta fructum faceret, ſi naturalis operationis modus non ſervaretur in ipſa: neque curſor perveniret ad bravium, aut miles ad palmam, niſi uterque ſecundum proprium officium operaretur. Recte autem operari hominem propriam operationem, eſt operari ipſum ſecundum virtutem. Cum igitur ultimus finis hominis ſit vita æterna, non omnes ad eam perveniunt, ſed ſoli qui ſecundum virtutem operantur „.

V. Verum inſurgit Nuperus Author, atque ait: „ Nec ego inficias eo finem beatitudinis aliter conſequi poſſe rationales creaturas, quam per ſubjectionem ad regulas morum, cultumque virtutum: quin libentiſſime largior juſte a poſſeſſione finis excludi, ac plecti ſuppliciis, dum a via recta deflectunt, neque rectum ordinem cuſtodiunt, quem Deus ipſis ſervandum præfinivit. At ſapientis, optimique Proviſoris eſt, ut eaſdem per iſtiuſmodi pœnas ad tempus inflictas in viam rectam reducat, atque in ordinem reſtituat, quo dignæ reddantur æterna ſelicitate „ (*a*).

VI. Quod Author ita reſpondens tanquam

(a) Il pourroit être, que les mojens, que la Sageſſe divine pourroit mettre en ouvre pour radreſſer le renverſement, qui s' eſt introduit dans les Hommes, occaſionneroient en eux des douleurs plus violentes. Mais toutes ces peines ne peuvent aboutir, qu' à remettre l' homme dans le bonheur en le rehabilitant dans l' ordre; parce que ſi cela n' étoit pas, il faudroit dire, que Dieu peut ſe deſiſter de la volonté conſtante qu' il a de faire revenir l' homme à ſa premiere deſtination &c. pag. 48. &c.

quam exploratum ſupponat id, quod eſt in quæſtione, clarum eſt quamquod maxime. Unde enim probat ſapientis, & optimi Proviſoris munus a Deo hoc exigere, ut dum pro meritis creaturas aliquas a conſortio ſuæ felicitatis ejicit, eas in perpetua damnatione non deſerat, ſed a miſerrimo illo ſtatu in meliorem reſtituat? Profecto nec ipſe Deus in ſacris Oraculis, nec etiam naturalis ipſa hominis ratio, hanc divinæ Providentiæ ideam nobis ingerunt. Quin immo Deus hac de re ita locutus eſt, ut aliam prorſus conſtanter inſinuet. Cum enim (ut alia prætercam) ſupremam omnium ſortem ediſſerit, *ibunt*, inquit, *impii in ignem æternum*: *juſti autem in vitam æternam*. En ultimus finis totius Œconomiæ ſalutis hominum, & cacodæmonum, poſt quem revelatio divina ulterius non progreditur, ſed juſtos, injuſtoſque eo in ſtatu relinquit, qui ipſis juxta meritorum conditionem fuerit aſſignatus. Hic interpellare juvat Adverſarium noſtrum: ſi idea reſtitutionis hominum in gradum priſtinum, unica foret, ut ipſe contendit, via divinam Providentiam vindicandi ab improborum dicteriis, & calumniis: ſi ea ſublata, nec ſapientia, nec bonitas, nec juſtitia ſupremi Artificis ſartatecta maneret, adeoque *rueret a fundamentis anima*, *baſis*, *centrum totius Religionis*, aliquam plane de ipſa mentionem facere Deus debuiſſet in ſacris codicibus, in quibus, quæ firmandæ Religioni inſerviunt, nitide manifeſtat. Si ergo nedum talem reſtitutionem minime proponit, aut indicat, ſed potius ita conſtantiſſime loquitur, ut aliud nihil ex ejus verbis colligere liceat, niſi nunquam eam eſſe futuram, nonne fabulas & ſomnia ſua venditat Anonymus, dum ſine illa reſtitutione nec Dei Bonitatem & Providentiam, nec adeo Religionem ipſam conſiſtere poſſe deblaterat?

VII. Quod ſi etiam prætermiſſa Scriptura, ſolas ideas noſtras naturales conſulamus, nihil in iis elucere conſpicimus, quod ordini rerum a Deo conſtituto juxta dogma Catholicum reluctetur. Non enim repugnare cernimus condidiſſe Deum rationales creaturas libero voluntatis arbitrio præditas, atque ita ad æternam beatitudinem ordinatas, ut eam quidem obtinerent, ſi legem ſibi præfixam ſervando, ad ipſam obtinendam ſe ſe diſponerent, ab ea vero excluderentur, ſi divina præcepta violando, eadem ſe indignas efficerent. Equidem ordinem hunc Providentiæ calumniari auſus eſt Petrus Bellius, omneſque ingenii ſui nervos intendit, ut probaret quod creaturis rationalibus melius conſultum fuiſſet, ſi non relictæ in manu conſilii ſui, ſed ad juſtum ac rectum determinatæ forent. Sed Athei hujus fallacias, atque ſophiſmata ita jam diluerunt viri vel inter Proteſtantes præclari Leibnitius, Clericus, D. Bernarde, Jacquelotus, & alii, ut quemvis pudere deberet ea rurſus recoquere. Ipſe S. Thomas totam Bellianam molem longe ante confregerat *lib. 3. cont. Gent. cap. 71.* pluribus momentis, ex quibus en unum duntaxat: „ Optimum, inquit, „ in gubernatione qualibet eſt, ut re„ bus gubernatis ſecundum modum „ ſuum provideatur. In hoc enim re„ giminis juſtitia conſiſtit. Sicut igi„ tur eſſet contra rationem humani „ regiminis, ſi impedirentur a Gu„ bernatore Civitatis homines agere „ ſecundum ſua officia, niſi forte quan„ doque ad horam propter aliquam ne„ ceſſitatem; ita eſſet contra rationem „ divini regiminis, ſi non ſineret res „ creatas agere ſecundum modum pro„ priæ naturæ. Ex hoc autem quod „ creaturæ ſic agunt, ſequitur corruptio „ & malum in rebus, cum propter con„ trarietatem, & repugnantiam, quæ „ eſt in rebus, una res ſit alterius cor„ ruptiva. Non eſt igitur ad divinam „ Providentiam pertinens malum omni„ no a rebus gubernatis excludere „. Porro hoc rerum ordine citra ullum divinæ Providentiæ præjudicium conſtituto, conſequens eſt, ut ſi creaturę aliquę ad beatitudinem non perveniant, id culpæ ipſarum unice tribuendum ſit, ſolum-

ſolumque de ſemetipſis conqueri jure poſſint, quod illa via inſiſtere noluerint, quam Deus ipſis oſtenderat, quæque ad eam felicitatem tuto perduxiſſet, cujus naturali appetitu urgebantur.

VIII. Peculiarem tamen rationem deprehendiſſe ſe putat Anonymus, cur Deus permittere nequeat, ut creaturæ rationales beatitudine perpetuo careant, ad quam creatę ſunt: *quia*, inquit, *cum jam in rerum conditione approbaverit opera ſua, ut valde bona, abnegaret plane ſe ipſum, ſi ea tandem ad priſtinum illum ſtatum non revocaret, unde per culpam ceciderunt* (a).

IX. Quis huic Origeniſtę magnopere non ſuccenſeat, qui tam futili argumento certiſſimam fidei veritatem labefactare conatur? In primis Geneſis verba, quibus abutitur, *& erant valde bona*, de homine ſpecialiter prolata non ſunt. Immo cum de ſingulis operibus priorum quinque dierum referatur: *vidit Deus, quod eſſet bonum*: quod etiam de animalibus ſexta die creatis perhibetur, in hominis creatione id expreſſum haudquaquam legitur, ſolumque generali illa approbatione comprehenditur, quę extat in fine capitis primi: *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: quę proinde verba, ſi quidquam probarent juxta Adverſarii diſcurſum, probarent univerſum, reſque omnes, quę in eo ſunt, reſtituendas eſſe in eum prorſus ſtatum, in quo fuerant, cum Deus illas approbavit. Ulterius ex hoc quod aliquid tanquam bonum approbetur eo tempore, quo reipſa bonum eſt, non ſequitur, quod ſi forte a ſtatu bonitatis exciderit, teneamur illud in priſtinam conditionem reducere, ne mendacii jure arguamur. Cum enim approbatio alicujus operis ad eum ſtatum referatur, in quo opus invenitur, ceſſat approbatio dum opus inficitur, atque corrumpitur, neque opere jam infecto, vel corrupto fallax dicitur prior approbatio ab Artifice facta, dum perfectionem ipſi communicavit. Immo cum ſapientis ſit unicuique rei juſtum pretium, & æſtimationem tribuere, neceſſe eſt ut ſapiens Artifex opus illud pro conditione & qualitate ipſius approbet, vel improbet: approbet, ſi perfectum fuerit: improbet vero, ſi jam a perfectione defciverit. Ut ex approbatione, quam Deus operibus a ſe productis tribuit, aliquid in favorem cauſſæ ſuæ colligere poſſet Adverſarius, neceſſe foret ut ſupremus omnium effector ea approbando, debitam ſibi feciſſet eorumdem reparationem, ſi forte a ſtatu, in quo condita ſunt, excidiſſent. Sed unde id ſuadere poterit? Moſes quidem refert Deum vidiſſe omnia, quę fecerat, *eſſe valde bona*; ſed non adjecit, ſi bona eſſe deſinerent, Deum aliquando bonitatem, quam amiſerant, redditurum.

X. Quod non expreſſit, inſtat Anonymus, a ſumma Dei bonitate expectare neceſſe eſt. Cum enim peculiarem curam gerat de rationalibus creaturis, earumque felicitatem tanquam finem ſibi pręſtituerit, eo modo de iiſdem diſponere debet, qui magis congruat ipſarum bono. Nemo autem ambigere poteſt, quin ipſarum bono magis congruat, quod defectus, ſiquos incurrerint, vel per gratiam, vel per vindictam reparentur, atque adeo in eum ſtatum reſtituantur, quo ſuprema felicitate perfrui valeant.

XI. En integrum hujus Authoris argumentum, quod ſępe in opere ſuo refricat, quodque maxime urgent cęteri etiam Origeniſtæ: ſed, quidquid ipſi de ejuſdem vi ſentiant, nullius plane momenti æſtimandum: quoniam falſa nititur ſuppoſitione. Supponit nimirum finem unicum, aut principalem, cur Deus rationales creaturas produxerit, eſſe peculiare ipſarum bonum, uniceque, aut in primis in iis creandis ad earum felicitatem reſpexiſſe,

(a) Il faudroit dire, que Dieu peut ſe deſiſter de la volonté conſtante, qu' il a ... de remettre tous ſes Ouvrages dans l' état ou'ils furent jadis, lors qu'il les approuva comme bons; c' eſt à dire, que Dieu peut ſe dementir lui meme, & deſavcüer l' approbation, qu' il leur a donnée. Idem pag 49.

ita ut ad hanc, tanquam ad ultimum finem cætera ordinare decreverit. At plurimum hallucinantur, qui rem ita concipiunt. Nam, ut ſupra etiam innuimus, quod primo reſpicit Deus in omnibus operibus tanquam ultimum finem, eſt ipſemet, gloria ſua, ſuarumque perfectionum manifeſtatio: cui fini id quod proximius eſt, & immediatum, eſt *bonum totius univerſi*, ad quod cætera queque refert peculiaria bona, vel mala, ſicut & perditionem ipſam plurium hominum, & Angelorum: quod plane exigit munus Rectoris, & Proviſoris univerſalis. Qua de re pulcherrime diſſerit Angelicus Doctor, cujus unam, aut alteram ſententiam placet exſcribere, ut Adverſariorum deceptio radicitus amputetur. Sic igitur docet ille *lib.* 3. *Cont. Gent. cap.* 64.: „ unumquodque intendens aliquem finem „ magis curat de eo, quod eſt propinquius fini ultimo: quia hoc eſt etiam „ finis aliorum. Ultimus autem finis „ divinę voluntatis eſt bonitas ipſius, „ cui propinquiſſimum in rebus creatis „ eſt bonum ordinis totius univerſi, „ cum ordinetur ad ipſum ſicut ad finem omne particulare bonum hujus, „ vel illius rei: ſicut minus perfectum „ ordinatur ad id, quod eſt perfectius. „ Unde & quęlibet pars invenitur eſſe „ propter ſuum totum. Id igitur quod „ maxime curat Deus in rebus creatis „ eſt ordo Univerſi.„ Et *lib.* 1. *cap.* 86. „ Bonum, inquit, particulare ordinatur ad bonum totius, ſicut ad finem, ut imperfectum ad perfectum. „ Sic autem cadunt aliqua ſub divina „ voluntate, ſecundum quod ſe habent „ in ordine boni. Relinquitur igitur, „ quod bonum Univerſi ſit ratio, quare Deus vult unumquodque bonum „ particulare in Univerſo„. Et ad hoc comprobandum idem adhibet Geneſeos teſtimonium, quo abuſus eſt Author Anonymus. Sic enim concludit caput 45. lib. 3. ubi rerum diverſitatis cauſſam aſſignat: „ hinc eſt, quod dicitur „ Geneſ. 1. *vidit Deus cuncta*, *quæ fecerat*, *& erant valde bona*: cum de „ ſingulis dixiſſet, quod *ſunt bona*: „ quia ſingula quidem ſunt in ſuis naturis *bona*: ſimul autem omnia *valde* „ *bona ſunt* propter ordinem Univerſi, „ quæ eſt ultima & nobiliſſima perfectio in rebus „.

XII. Hanc doctrinam noviſſime fuſius expoſuit, ac illuſtravit adverſus Bellium Leibnitius in Theodicea relate ad permiſſionem mali ſive peccati. Ex qua proclive omnibus eſt colligere perperam Origeniſtas repræſentare divinam bonitatem, & Providentiam ita hominum æternæ ſaluti addictam, ac veluti obligatam, ut hanc unice, aut in primis reſpiciat, aliaque omnia huic ſubjiciat, adeoque, quamquam aliquandiu nocentes punire poſſit, non tamen perpetuo a poſſeſſione æternæ felicitatis excludere. Hæc idea divinæ bonitatis ac Providentiæ a vero longiſſime diſtat. Quare argumentum, quod ex hiſce Dei dotibus conficiunt, nullius roboris eſt, ſuaque ſponte cadit. Si enim finis ultimus, quem in cunctis operibus Deus reſpicit, eſt ſua gloria, bonumque Univerſi bonis omnibus particularibus excellentius, cui etiam æterna hominum ſalus ſubordinatur, nihil unquam evincent ex Dei Providentia, niſi prius oſtenderint conducibilius eſſe ad Dei gloriam, & Univerſi bonum, quod creaturæ omnes rationales æterna felicitate donentur, quam quod deferantur in ſtatu ſempiternæ miſeriæ, in quem ipſæ propria voluntate præcipites ſe dedere. Sed hoc unde, aut quomodo reſcire poteſt miſer homuncio? Non ſane ab ipſo naturali lumine, quod a terra vix altius aſſurgit, neque particularia rerum bona ſæpe cognoſcit. Illud unum itaque ſupereſt, ut hoc ex divina revelatione nobis innoteſcat. Verum ſi hanc audimus, nedum æternam plurium damnationem Univerſi totius bono, divinæque gloriæ non adverſari, quin potius in eum finem optime conſpirare dicendum eſt.

CA-

CAPUT XXI.

Solvitur alterum argumentum, quod ex Divina pietate, & clementia promunt. Falſa imaginatio Petri Bellii de Deo puniente diſcutitur. Præcipua vis objectionis, quam urgent Adverſarii jam a Divo Thoma disjecta. Ejus reſponſio magis explicatur, ac roboratur aliis Sancti Doctoris documentis. Deus non delectatur in punitione impiorum, nec illam per ſe quærit, ſed debitum rerum ordinem, qui inde conſurgit, & conſervationem juſtitiæ, quæ illi accepta eſt propter ſe ipſam. Damnati immobiliter hærent in pravo erga culpam affectu. De cauſis diſſeritur hujuſce immobilitatis in malo.

I. ALterum argumentum contra pœnarum æternitatem arceſſunt Origeniſtæ ex Dei pietate, atque clementia, quas dotes eximias neutiquam ipſi conſtare autumant, ſi ponatur ſempiternas pœnas infligere. Pietas enim, inquiunt, ſive miſericordia eſt compaſſio alienæ miſeriæ, & ad eam relevandam impellit: Clementia autem lenitas quædam animi eſt in pœnis irrogandis, movetque ad eas minuendas, aut alleviandas. Quis vero utramque hanc virtutem in illo concipiat, qui creaturas rationales in æterna miſeria derelinquit, cum alias a calamitoſo ſtatu relevare eas facile poſſit, nec ſupplicia mitigat, aut eorum diminuit durationem?

II. Hoc argumentum ita propoſitum facillime eliditur. Aliud namque eſt, quod in Deo ſint præclaræ hujuſmodi dotes miſericordia, & clementia: aliud quod illas cum omnibus, ac ſemper exercere teneatur. Primum illud verum eſt: alterum omnino falſum. Nam ut egregie animadvertit S. Thomas 2. 2. quæſt. 157., tum ſeveritas, quæ reddit animum inflexibilem in inflictione pœnarum, tum clementia, quæ ipſi videtur oppoſita, *ſecundum rectam rationem eſſe debet*, ut utraque virtus ſit: adeoque Deus juxta conſilium ſapientiæ ſuæ utramque exercet, nec aliter exercere valet. Quapropter abſque ullo miſericordiæ & clementiæ ſuæ detrimento, poterit juxta rectiſſimam rationem ſuam impios in ea miſeria perpetuo deſerere, in quam ipſimet ſe conjecere, eorumque haud delinire cruciatus. Cæterum jam Deus abunde & miſericordiam, & clementiam ſuam cum omnibus in hoc mundo patefecit, ſemperque patefaciet cum electis ſuis in æterna gloria: neque neceſſe eſt ut etiam cæteris aliis juſto judicio ſuo damnatis eas æternum oſtendat (*a*). Sic enim Moſem alloquens proteſtatus eſt: *miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*.

III. Ut vim aliquam argumento ſponte ſua corruenti Adverſarii adjiciant, illud hoc pacto inſtaurant. Ut ut concedamus minime obſtringi Deum, ut miſericordem & clementem ſemet omnibus ac ſemper exhibeat, certum tamen eſſe debet nemini poſſe ſe exhibere ſævum, atque crudelem, cum hæc vitia ſint, ejuſque naturæ maxime repugnent. Porro turpiſſimam hanc notam Deus effugere nequit, ſi miſeros homines in omnem æternitatem puniat: quod duplici modo probare adnituntur. Primum magna ingenii ſui oſtentatione exaggerat, atque declarat loco ſæpe citato Petrus Bellius exemplo humanæ juſtitiæ his verbis: „ Tanquam crudelem, „ inquit, ex innata quadam pietate æ„ ſtimamus, exhorremuſque Judicem, „ aut Principem reum lento igne pu„ nientem, ut diutius maneat in hor„ rendo illo cruciatu. Supremum, quod „ fontibus per Judicum ſententiam in-

 „ fer-

(*a*) Plures Theologi contendunt, quod etiam Deus miſericordem ſe præbeat in ipſos Damnatos, quatenus eos punit citra condignum. Sed quia non omnes hanc amplectuntur ſententiam, ideo huic non inſiſto.

„ ferri ſolet, ſupplicium, nempe *mortis*, breviſſimo plerumque dolore conſummatur: nec ulla publica poteſtas approbat, quod diutino tempore torqueantur, quos nece condemnat: nullusque eſt, qui non commoveatur, & excandeſcat in carnificem, qui non ſtatim primo ictu, ſed altero duntaxat, aut tertio, vel quarto caput delinquentis abſcindat. Quanto magis igitur ſævitiem præferet & crudelitatem, quod infelices Damnati ſic a Deo plectantur, ut non unius, aut alterius diei, ſed æterno igne crementur „.

IV. Ficulneum hoc eſſe argumentum, & ſola imaginationis noſtræ ludificatione nixum, vel hac unica animadverſione ſatis evincitur, quod ſcilicet nimium illud probaret, & nedum Catholicorum, ſed etiam Origeniſtarum ſententiam everteret. Nonne Origeniſtę uno ore docent, quod reproborum tormenta ſin perpetuo, diu admodum ſaltem duratura ſint, adeo ut per plura ac plura ſęcula terribili inferni igne torreri debeant miſeri damnati, antequam ex illo ſupplicio, per divinam miſericordiam eruantur? Ita plane affirmant omnes, atque ita exponenda putant Scripturarum verba, quibus inferni ignis, ac tormenta vocantur *æterna*, ut ſcilicet vox *æterni* exprimat tempus valde diuturnum, ac ſęcula propemodum innumerabilia, quorum finis deſignari nequeat. Ecce ergo idem Argumentum, quod in Catholicos intorquent, ipſos quoque feriens, atque proſternens. Si juxta Bellii exemplum crudelitatis merito argueretur Princeps, qui reum lento igne torrendum pręciperet, ut plures dies, aut menſes inter flammarum cruciatus vitam protraheret; potiore ſane titulo crudelitatis arguendus eſſet Deus, qui juxta ipſorum doctrinam non aliquot dies, menſes, aut annos, ſed plura, ac plura ſęcula damnatos in igne plectit, noſtro hoc longe horribiliore. Quam ergo ipſi reſponſionem afferent argumento, ut Deum tandiu punientem vindicent a crudelitatis nota; nos quoque afferemus pro ęterna impiorum punitione defendenda. At vero aliam, ut arbitror, afferre non poterunt, niſi Deum improbos punire pro meritorum ratione, eumque duntaxat jure vocari poſſe crudelem, qui in delinquentibus puniendis delicti menſuram excedit: quod de ſupremo Judice dici nequit, qui vel potius punit citra condignum, vel ſaltem non punit ultra condignum. Atque de hac fallaci imaginatione ſatis. Ad modum alterum accedo, qui graviorem ſpecie tenus continet difficultatem.

V. Alter igitur modus ita ferme proponitur. Sęvus & crudelis ille merito judicatur, qui in reis puniendis non eorum emendationem, aut correctionem, ſed punitionem ipſam propter ſe quęrit. Poſito autem, quod pœna, quę reis infligitur, non temporaria, ſed ęterna ſit, jam non eorum emendatio, aut correctio quęritur, ſed ſola punitio propter ſe. Igitur nedum ſententia pœnam ęternam adſtruens omnem a Deo miſericordiam, & clementiam tollit, ſed & ſęvitiam affingit, atque crudelitatem: quod cogitare nefas.

VI. Hoc eodem argumento permoti fuiſſe videntur ad inficiandam futuri ſupplicii ęternitatem Platonici, quos refert S. Auguſtinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 13. *Platonici*, inquit S. Pater, *quamvis impunita nulla velint eſſe peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel divinis, ſive in hac vita, ſive poſt mortem, ſi aut parcatur hic cuique, aut ita plectatur, ut hic non corrigatur.... Qui hoc opinantur nullas pœnas niſi purgatorias volunt eſſe poſt mortem, ut quoniam terris ſuperiora ſunt elementa, aqua, aer, ignis, ex aliquo iſtorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione contractum eſt*. Hęc ille.

VII. Idem argumentum ſibi objecit S. Thomas 1. 2. q. 87. art. 3. his verbis: „ pœnę, medicinę quędam ſunt, ut dicitur *in* 2. *Ethic.*. Sed nulla medicina debet eſſe infinita: quia ordinatur ad finem: quod autem ordinatur ad finem, non eſt infinitum, ut Philoſoph. dicit in 1. Polit.: Ergo nulla pœna debet eſſe infinita „. Et in ſupplem.

plem. *q.* 99. *art.* 1. eamdem objectionem ita proponit: „ a juſto Judice „ non infertur pœna niſi ad correctionem.... Sed quod impii in æternum „ puniantur, hoc non eſt ad correctionem eorum, nec aliquorum aliorum, „ cum tunc non ſint aliqui futuri, qui „ per has corrigi poſſint; ergo ſecundum divinam juſtitiam non infertur „ pro peccatis æterna pœna „.

VIII. Porro reſponſio, quam huic Argumento adhibet Sanctus Doctor, hæc eſt. Primo loco ait: „ Ad ſecundum dicendum, quod pœna, quæ „ etiam ſecundum leges humanas infligitur, non ſemper eſt medicinalis ei, „ qui punitur, ſed ſolum aliis: ſicut „ cum latro ſuſpenditur, non ut ipſe „ emendetur, ſed propter alios, ut ſaltem metu pœnæ peccare deſiſtant, „ ſecundum illud Proverb. 19. *peſtilente „ flagellato ſtultus ſapientior erit.* Sic igitur & æternæ pœnæ reproborum a „ Deo inflictæ ſunt medicinales his, qui „ conſideratione pœnarum abſtinent a „ peccatis, ſecundum illud Pſal. 59. *dediſti „ metuentibus te ſignificationem, ut fugiant „ a facie arcus.* „ Altero autem loco eodem exemplo humanæ juſtitiæ duplex pœnarum genus diſtinguit, inquiens: „ pœnæ, quæ infliguntur his, qui a „ Civitatis ſocietate non penitus ejiciuntur, ſunt ad emendationem eorum ordinatæ. Sed illæ pœnæ, per „ quas aliqui totaliter a Civitatis ſocietate exterminantur, non ſunt ad „ correctionem eorum. Poſſunt tamen „ eſſe ad correctionem, & tranquillitatem aliorum, qui in Civitate remanent. Et ita damnatio æterna impiorum „ eſt ad correctionem eorum, qui nunc „ ſunt in Eccleſia. Non enim pęnæ „ ſunt ad correctionem ſolum quando „ infliguntur, ſed etiam quando determinantur „. Paucis igitur hæc eſt propoſiti Argumenti ſolutio, non eſſe ſcilicet de conceptu pęnæ, ut ad delinquentis correctionem inferatur, ut patet in pęnis ab humano Judice inflictis mortis, exilii perpetui, aliarumque, quibus non correctio illius quæritur, ſed punitio, quin tamen punienti labes ulla crudelitatis inuratur.

IX. Verum ut nihil contra mutire valeant Adverſarii, quædam addenda ſunt ad pleniorem hujuſce argumenti ſolutionem ex doctrina ejuſdem S. Pręceptoris. Si qua ineſt propoſitæ objectioni difficultas, in hoc ſita eſt, quod nempe, ſi pęnæ, quæ a Deo peccatoribus infliguntur, æternæ ſunt, videatur Deus in illis propter ſe delectari, atque in ipſa ſiſtere delinquentium punitione. Non enim æternæ pęnæ ad utilitatem aliquam referri poſſunt, vel eorum, qui puniuntur, ut liquet, vel aliorum quorumcumque; nulli ſiquidem erunt in ſtatu æternitatis, qui ex reproborum pęnis proficere queant. Porro delectari in pęnis propter ſe, & in ipſa delinquentium punitione ſiſtere, proprium eſt animi ſævi atque crudelis, qui Deo convenire nequit. Nam ex Philoſophorum conſenſu æquus Judex in inferendis pęnis communem utilitatem ſibi tanquam finem præſtituere debet. Atque hinc celebre illud proloquium, quod laudat Seneca *de Clementia* lib. 1.. *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt; ſed ne peccetur*: ſeu, ut homines, dum puniri delicta cernunt, ab iis perpetrandis abſterreantur.

X. Ugo Grotius, qui hoc axioma a Seneca laudatum ex Platone refert *de Jur. Bel. & Pac. cap.* 20., cenſet illud in hominibus punientibus verum eſſe, non autem in Deo. „ Nam homo, inquit, ita homini alteri ipſa „ conſanguinitate alligatur, ut nocere „ ei non debeat, niſi alterius boni conſequendi cauſſa. In Deo alia res eſt, „ ad quam Plato dictam ſententiam male extendit. Dei enim actiones niti „ poſſunt ipſo ſummi dominii jure, „ præſertim ubi meritum hominis ſpeciale accedit, etiamſi finem nullum „ ſibi proponat extra ipſas, ita ut cum „ impium punit, non alio fine hoc faciat, quam ut puniat, ſeu puniendo juſtitiam demonſtret, etiamſi ad „ neminem exemplum pertineat „.

XI. Huic obſervationi, quam veram exiſtimo, lux clarior, ac robur accedet

ex

ex aurea S. Thomæ doctrina, quam tradit p. 2. q. 87. art. 1., ubi tres ordines diſtinguit, quibus ſubditur humana voluntas, & contra quos peccando inſurgit: Primo nempe *ordinem propriæ rationis*: ſecundo *ordinem exterioris hominis gubernantis vel ſpiritualiter, vel temporaliter, politice, ſeu œconomice*: Tertio *ordinem univerſalem divini regiminis*. Hi omnes ordines per peccatum pervertuntur; & conſequenter neceſſe eſt ut peccator in illos inſurgens, eoſque pervertens, *ab eo ordine, & Principe ordinis deprimatur*, ſive puniatur. At vero in hoc a ſupremo & divino differt Rector humanus, ſeu humanæ Reipublicæ, quod cum ipſius regimen limitetur ad ſolos homines, nec aliud bonum reſpiciat, niſi civium ad ſocietatem ſuam pertinentium, ſive eorum pacem & concordiam; hoc bonum maxime quærere debet in ſuo regimine, & ad illud ſuas actiones omnes referre, atque adeo ipſam quoque nocentum punitionem. Unde bonus ac ſapiens Judex reis pœnas hoc fine præſertim infligit, ut dum cives non impune committi delicta cernunt, ab eis deterreantur, ſeque in officio contineant, ac leges cuſtodiant: quo bonum exterius Reipublicæ regitur, & conſervatur. Sed Deus, qui eſt Rector totius Univerſi, bonum omnium in primis reſpicit, & curat, adeoque nedum hominum, ſed & cæterarum quarumcumque rerum, quatenus conſpirat in bonum totius. Cum ergo inter cætera bona, quæ in bonum univerſale conſpirant, extet etiam punitio reorum, & *conſervatio juſtitiæ, quæ eſt Deo accepta propter ſe ipſam*, ſequitur ut Deus etiam in ſtatu æternitatis, in quo nemo ex impiorum punitione proficere poterit, aut abſterreri a peccando, pœnas impiis infligere queat, abſque eo quod Damnatorum pœnas propter ſe ipſas velit, ſed propter ordinem, bonumque juſtitiæ, ac proinde abſque ulla penitus crudelitatis, aut ſævitiæ labe. En verba D. Thomæ præclare admodum de hac re differentis *lib. 3. Cont. Gent. Cap.* 54.: „ Eſt autem, inquit, concedendum, „ quod pœnæ inferuntur a Deo non propter ſe (ideſt propter ipſas pœnas), „ quaſi Deus in ipſis delectetur, ſed „ propter aliud, ſcilicet propter ordinem imponendum creaturis, in quo „ bonum univerſi conſiſtit. Exigit autem hoc ordo rerum, ut proportionabiliter omnia divinitus diſpenſentur: propter quod dicitur in *lib. ſapientiæ*, quod Deus fecit *omnia in numero, pondere & menſura*. Sicut autem præmia proportionaliter reſpondent actibus virtuoſis, ita pœna peccatis; & quibuſdam peccatis proportionantur pœnę ſempiternę, ut oſtenſum eſt. Infligit igitur Deus pro quibuſdam peccatis pœnas æternas, ut „ debitus ordo ſervetur in rebus, qui „ ejus ſapientiam demonſtrant. „

XII. Quamvis autem hujuſmodi bonum, quod maxime inſpicit Univerſi Rector in pœnis infligendis, ſatis ſit vindicandæ divinę ſeveritati ab impiorum calumniis; aliud pręterea aſſignat idem Sanctus Thomas (*a*), ad quod utiles ſunt ęternę pœnę quibus reprobi puniuntur dicens, „ impiorum pœnę „ in perpetuum duraturę non erunt omnino inutiles. Sunt enim utiles ad „ duo. Primo ad hoc quod in eis divina juſtitia conſervetur, quę eſt Deo „ accepta propter ſe ipſam. Unde Greg. 4. Dialog.: *omnipotens Deus, quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur: quia autem juſtus eſt, ab iniquorum ultione in perpetuum non ſedatur.* „ Secundo ad hoc ſunt utiles, ut de his „ electi gaudeant, dum in his Dei juſtitiam contemplantur, & dum ſe evaſiſſe eas cognoſcunt. Unde in Pſal. 57. „ *lætabitur juſtus, cum viderit vindictam &c.* Et Iſaię 66. *erunt*, ſcilicet impii, „ *uſque ad ſatietatem viſionis*, ſcilicet „ *ſanctis*, ut Gloſſa dicit. Et hoc eſt, „ quod Gregor. dicit 4. Dialog.: *iniqui* „ *omnes æterno ſupplicio deputati ſua quidem*

(a) in ſupplem. quæſt. 99. art. 1. ad 4.

„ *dem iniquitate puniuntur, & tamen ad*
„ *aliquid ardebunt, ſcilicet ut juſti omnes*
„ *& in Deo videant gaudia, quæ perce-*
„ *perunt, & in illis perſpiciant ſuppli-*
„ *cia, quæ evaſerunt: quatenus tanto*
„ *magis in æternum divinæ gratiæ debi-*
„ *tores ſe eſſe cognoſcant, quanto in æter-*
„ *num mala puniri conſpiciunt, quæ ejus*
„ *adjutorio vicerunt.*

XIII. Adhuc tamen ſe victos fateri renuunt Adverſarii, aliaque ex parte prælium inſtituunt, ut evincant pugnare cum divina pietate & clementia ęternas improborum pœnas. Inquiunt ergo, hoc vi ſuapte pœnam habere, pręſertim ſi aliquandiu duret, ut nocentem ad correctionem tandem adducat, & ad pœnitentiam ſcelerum, quibus eam promeritus. eſt, veluti compellat. Quis enim eſt adeo ſui oblitus & hoſtis, tam pervicax & obſtinatus in ſcelere, qui atroci ſupplicio continenter attritus tandem non reſipiſcat, ac Judicis pietatem lacrimis & gemitibus non exoret? Hoc itaque ſpectato rerum curſu, & hominis conditione, ac natura, eveniat, oportet, in omnibus damnatis. Cum enim tot undequaque acerrimis tormentis opprimantur, tamque vehementi ardoris ſenſu crucientur ob divinæ legis tranſgreſſiones, incredibile plane eſt, ut errores ſuos tandem non agnoſcant illoſque execrentur, atque adeo ſincerum de commiſſis delictis animi dolorem concipientes, aſſiduis fletibus & clamoribus divinam non interpellent clementiam, ut ſibi ignoſcat, finemque iræ ſuæ demum imponat. Porro hac in damnatis poſita diſpoſitione, quis ſibi perſuadeat, Deum adeo miſericordem & clementem nullo pietatis ſenſu erga miſeros permotum iri, nec eorum auditurum gemitus & clamores, ut veniam ſcelerum concedat, eoſque ab horrendo inferni carcere in meliorem ſtatum reducat? Hæc ferme illi.

XIV. Verum inani ſpe ſe, alioſque lactant, miſereque decipiunt, qui rem ita futuram opinantur. Ea quippe confundunt omnino, quæ diſtinguere deberent juxta diſpoſitionem a Divina Providentia ſapientiſſime conſtitutam, nempe *ſtatum viæ*, & *ſtatum termini*. Equidem pœna præſertim diuturna vim de ſe habet avocandi animum a delicto, & delinquentem ad pęnitentiam perducendi, ſi hujuſce mutationis capax ſit. At vero ſi eo in ſtatu ponatur, ubi nulli voluntatis mutationi ſit locus, ſed affectu ſuo immobiliter adhæreat rei, quam nefarie complexus eſt; ob ſubjecti incapacitatem iſtiuſmodi effectum pęna nequaquam parit. Porro ex ſexcentis Scripturarum locis conſtat, hoc a divina Providentia ſtatutum fuiſſe, ut & præſens vita eſſet *ſtatus viæ*, qua per bona opera ad terminum deveniremus felicitatis æternæ, & futura *ſtatus termini*, in quo præcluſo omni aditu ad merendum amplius, vel demerendum, aut præmium reciperemus, aut ſupplicium eorum, quę hic bene, vel male geſſimus. Quę divinę Providentię diſpoſitio in Scripturis luculentiſſime declarata, a primis Eccleſię naſcentis exordiis ad nos uſque perpetua ſucceſſione, nulloque, ſi Origenem excipias, diſcrepante pervenit (*a*), ipſoque ſpectato rerum ordine, creaturis rationalibus admodum conſentanea eſt. Condecens quippe erat, ut ſupremus rerum omnium Proviſor creaturis libero arbitrio pollentibus tempus aliquod conſtitueret, in quo & bene utentes arbitrii libertate pręmium, & male utentes ſupplicium promererentur: aliud vero, in quo alterutrum pro meritorum conditione reciperent. Unde ſicut nulla eſt viciſſitudo, fatentibus Adverſariis, a bonitate ad malitiam, a virtute ad vitium iis, qui ſibi in hoc ſtatu *viæ* per opera bona ęternam beatitudinem compararunt; ita nulla viciſſitudo eſſe debuit in iis, qui ſibi in hoc eodem ſtatu per ſcelera ęternam miſeriam promeriti ſunt: adeoque nunquam damnati veram, & ſalutarem pęnitentiam agent, nunquam ſincerum con-

(a) Omnes communiter confitentur, quod poſt diem judicii non erit aliquod meritum, vel demeritum &c. Poſt diem autem judicii erit ultima conſummatio bonorum, & malorum, ita quod nihil erit ulterius addendum de bono vel de malo. S. Thom. in ſupplem. quæſt. 98. art. 6.

concipient de ſuis flagitiis dolorem, aut triſtitiam: ſed ſemper in peccato, peccatique affectu obſirmati citra ullam mutationem perſiſterent.

XV. Quod ſiquis proximiorem hujuſce obſtinationis in malo cauſſam ſciſcitetur, duplici ex capite eam derivat S. Thomas in diſput. *quæſt.* 24. *de verit. art.* 10., quemadmodum & ex duplici capite provenit liberatio a peccato. Duo namque ad juſtificationem concurrant, oportet, *divina ſcilicet gratia principaliter operans, & humanæ voluntatis arbitrium gratiæ cooperans*. Cauſſa igitur confirmationis in malo, *partim quidem accipienda eſt ex Deo, partim ex libero arbitrio. Ex Deo quidem, non ſicut faciente vel conſervante malitiam, ſed ſicut non largiente gratiam*: quod quidem ejus juſtitia depoſcit. *Juſtum eſt enim, ut qui bene velle, dum poſſent, noluerunt, ad hanc miſeriam deducantur, ut bene velle omnino non poſſint*, ſive gratiæ ſubſidio perpetuo careant, unde poſſe velle aliquid ad piam, & utilem pœnitentiam neceſſario pendet. Hoc immobile divinę voluntatis decretum ſubtrahendi damnatis auxilia gratiæ, quibus a peccato reſurgant, innumera probant Sacrorum librorum oracula, quę jam protulimus. Hinc reprobis apud Apoſtolum ad Rom. ſolum *ira & indignatio* Omnipotentis denunciatur. Hinc ipſorum ſtatus comparatur nocti tenebroſæ, in qua nullus divinæ clementiæ ſublucet radius. Hinc affines aliæ plures locutiones, quæ ſupernæ pietatis ſalutares influxus ab illo calamitoſo loco penitus excludunt. Quare ut ſapienter obſervat idem S. Doctor par. 2. quæſt. 85. art. 2. ad 3., *quamvis in damnatis maneat naturalis quædam inclinatio ad virtutem, non tamen contingit, quod unquam reducatur in actum: quia nempe deeſt gratia ſecundum divinam juſtitiam*. Et affert congruum exemplum de cæco, *in quo remanet aptitudo ad videndum in ipſa radice naturæ in quantum eſt animal naturaliter habens viſum. Sed non reducitur in actum, quia deeſt cauſſa, quæ poſſit reducere eum in actum formando organum*.

XIV. Hæc itaque prima ac principalis origo eſt, cur damnati de ſceleribus ſuis ſalutarem pęnitentiam nunquam concipiant. Altera eſt humana ipſa voluntas obſirmata in pravo erga objectum peccati ſui affectu, *quo* (verba ſunt ejuſdem Sancti Præceptoris quæſt. 1. de malo) *damnati voluntas omnia, quę vult, in ordine ad perverſum finem, cui adhæret: quia ſemper eſt aut in actuali, aut in virtuali deſiderio illius finis, utpote facto ſibi connaturali*. Quod amplius declarat loco citato de verit. ad 14. inquiens: *peccatum libero arbitrio adveniens non adimit aliquid eſſentialium: quia ſic ſpecies liberi arbitrii non remaneret. Sed per peccatum aliquid additur, ſcilicet unitio quædam liberi arbitrii cum fine perverſo, quæ ei quodammodo naturalis efficitur. Et ex hoc neceſſitatem habet, ſicut & alia, quæ ſunt libero arbitrio connaturalia*. Id exemplo ſatis, ut mihi videtur, idoneo explicari poteſt, eorum videlicet, qui impotenti aliqua cupiditate vel odii, vel vindictæ, vel libidinis aguntur, maximeque ſi ob vehementem ejuſdem impetum in inſaniam, aut amentiam incidant. Eos ſæpe videas adeo defixos in objecto inordinatæ affectionis, ut continenter de eo cogitent, ac loquantur, nec ab ejuſdem deſiderio, & complacentia dimoveri queant, tametſi aut flagellis atterantur, aut ex ejus proſecutione plurima ſibi mala obvenire cognoſcant. Non abſimili modo (ſi, quæ hic contingunt, exemplo eſſe poſſunt illorum, quæ in alio vitæ ſtatu futura ſunt) obſtinationem Damnatorum in malo intelligere licet. Adeo infelices pertinaciter adhæreſcent rebus iis, quas perverſe dilexerunt, ut inordinatæ cupiditatis vi obruta ratione, & amiſſo conſilio, quamquam terribiles divinæ ultionis ictus jugiter experiantur, nunquam tamen pravum deponant affectum, malintque potius diriſſime cruciari, quam de peccatis, quorum cauſſa cruciantur, ſinceram pęnitentiam agere. Corrupta igitur erit Damnatorum mens, & incapax ſanum aliquod capiendi conſilium: ipſique adeo ſemper in erronea judicia prodeuntes melius ſibi eſſe judicabunt vitam in tormentis traducere, quam ex animo odio illud habere, quod maximam ipſis miſeriam

ſeriam infert: quo manente judicio fieri minime poteſt, ut voluntas a pravo objecto avertatur, veramque de peccato ſuo pœnitentiam agat. Sed adhuc audire proderit S. Thomam de hac re ita loquentem *Opuſc.* 3. *cap.* 175. „ Ex hoc, quod „ voluntas malorum obſtinate firmetur „ in malo, ſemper appetent ut optimum, quod prius appetierunt. Non „ ergo dolebunt ſe peccaſſe. Nullus enim dolet ſe proſecutum eſſe, quod „ æſtimat eſſe optimum ...... Dolent „ ergo mali, quia peccata commiſerunt, „ non propter hoc, quia peccata eis diſpliceant: quia etiam tunc malent peccata illa committere, ſi facultas daretur, quam Deum habere: ſed propter „ hoc, quod illud, quod elegerunt, habere non poſſunt, & illud quod reſpuerunt, poſſent habere. Sic igitur & voluntas eorum perpetuo manebit obſtinata in malo, & tamen dolebunt de „ culpa commiſſa, & de gloria amiſſa „. Hinc etiam in ſuppl. quæſt. 98. art. 2. admittit in eiſdem damnatis aliquam de peccato pœnitentiam, non qua peccatum ipſum propter ſe abominentur, ſed ratione pœnæ quam pro peccato ſubire coguntur, affectu ad peccatum ſemper retento. *Sine aliqua averſione*, inquit, *voluntatis continget, quod damnati de peccatis pœniteant: quia hoc non refugient in peccatis, quod prius appetiverunt, ſed aliquid aliud, ſcilicet pœnam*. Atque ex his in auras abit Adverſariorum argumentum, quin opus ſit quidpiam aliud adjungere.

CAPUT XXII.

Tertium, omniumque præcipuum contra æterna ſupplicia argumentum proponitur, quod videlicet cum Juſtitia divina pugnare videantur. Quorumdam ſententia rejicitur, qui putant haud oportere ut pœnam inter & culpam æqualitas inveniatur, adeoque Deum punire poſſe ſupra peccantis meritum. Aliam prorſus ideam nobis ingenerant de ſupremo Judice Deo ſacræ litteræ & recta ratio. Afferuntur reſponſa, quæ Origeniſtarum argumento adhibent S. Auguſtinus, aliique Patres, ac Theologi.

I. TErtium, ac poſtremum argumentum, quo tum Sociniani, tum Origeniſtæ æternas impiorum pœnas maxime oppugnant, ſumitur ex ipſa divina Juſtitia, cui tale ſupplicium aperte adverſari confidentiſſime affirmant. Ajunt ſcilicet: ſecundum immutabilem juſtitiæ legem ſua debet eſſe inter culpam, & pœnam proportio, aut æqualitas, ut nempe nemo amplius puniatur, quam meritum ejus expoſcat. Nulla porro eſt, neque intelligi poteſt proportio, aut æqualitas inter culpam momentaneam, aut temporariam, & pœnam ſempiternam. Igitur Deus ſumme juſtus, qui reos ſupra merita neque punit, neque punire valet, pro culpis temporariis non infert pœnas æternas, planeque Juſtitiæ Dei injurii ſunt, qui hujuſmodi pœnas ab illo inferendas exiſtimant, *omnemque deſtruunt divinæ æquitatis ideam*, ut ſcribit Author *Relig. Eſſent. &c.* Hoc idem argumentum erat, quo potiſſimum permovebantur & Infideles, & veteres Origeniſtę ad pœnarum ęternitatem negandam. *Quidam eorum* (inquit S. Auguſtinus lib. 21. de Civit. Dei cap. XI.) *contra quos defendimus Civitatem Dei, injuſtum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo ſcilicet tempore perpetratis, pœna quiſque damnetur æterna.* Et apud S. Joannem Chryſoſtomum Homil. 25. ad Roman. *cur*, ajebant Origeniſtę, *in æternum punimur, cum hic brevi tempore peccaverimus?* Quod & apud S. Gregorium Magnum tum *in Moralibus*, tum *in lib. Dialog.* legere eſt.

II. Nonnulli Authores (a) difficultatis pon-

(a) Vide Tillotſonum Ser. ſæpe cit., & Authorem libri, cui titulus, *de duplici ſtatu vitæ humanæ &c.* Apud Æltium in Appendice.

pondere preſſi negant priorem expoſiti a nobis argumenti propoſitionem, quod nempe neceſſe ſit, ut culpam inter & pœnam proportio aut æqualitas inveniatur, ſive quod nemo citra piaculum puniri queat ſupra commiſſi delicti meritum, & exigentiam. Hinc puniri peccata docent æterna pœna ob legem duntaxat a Deo latam, qua illa ita punire decrevit ad præceptorum ſuorum obſervantiam validius inducendam, & homines ab ipſorum tranſgreſſione deterrendos.

III. Sententiam hanc a vero prorſus alienam cenſeo, & ſacræ Scripturæ, ac divinæ Juſtitiæ notioni adverſam. Nam in primis ſacræ litteræ ſæpe teſtantur Deum in finali Judicio unicuique redditurum pro meritorum ſuorum conditione. Sic Matth. 16. com. 27. dicitur: *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua*. Paria leguntur in Epiſt. ad Rom. cap. 2., & Apocalyp. cap. 20., & cap. 22., & cap. 18. de Muliere Meretrice decernitur: *quantum glorificavit ſe, & in deliciis ſuis, tantum date illi tormentum & luctum*. His autem, aliiſque ſimilibus textibus ſua veritas minime conſtat, non admiſſa proportione inter culpam, & pœnam æternam. Tunc enim non redderet Deus unicuique juxta opera ſua, ſed ſupra ipſorum meritum, & qualitatem, nec *pro peccati menſura eſſet & plagarum modus*, ut verbis Scripturæ loquar, ſed longe illam ſupplicium excederet.

IV. Ulterius ſacra oracula perpetuo prædicant, *juſtum Deum eſſe in omnibus viis ſuis, judicaturum orbem terrarum in æquitate, veraque & juſta eſſe judicia ejus*, idque in executione ipſa ſupremæ ſententiæ, qua reprobos ad ſempiternas pœnas damnabit, ut patet ex Apocalypſi *cap. 19. com. 2.*. Hæc autem, aliaque ſimilia ſalvari neutiquam poſſunt, ſi reproborum merita pœnam æternam ex ſe non exigerent, cui a ſummo Judice addicentur. Nam, ut ex communi hominum ſenſu docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 56., *juſtitia unicuique tribuit, quod ipſi debetur, ejuſque medium, quod reſpicit, rei eſt, non rationis, ſeu conſiſtit in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad perſonam exteriorem*. Unde recte obſervat in 4. diſt. 46. quæſt. 1. art. 1., *non ex hoc tantum dici aliquid eſſe juſtum, quia eſt a Deo volitum, ſed quia eſt debitum alicui rei creatæ ſecundum ordinem creaturæ ad creaturam*. Hac de cauſſa ſæpe in ſacris libris juſtitia Dei *veritas* nominatur: *quia* (inquit ibidem S. Doctor) *cum veritatis ratio conſiſtat in adæquatione rerum ad intellectum, inde eſt, quod nomen veritatis transfertur ad ſignificandam adæquationem operum juſtitiæ ad rationes juſtitiæ: & hæc eſt veritas, quam dicimus Juſtitiæ veritatem Et ſecundum hoc ipſa Juſtitia eſt idem, quod veritas. Sed tamen Juſtitia dicitur ſecundum æqualitatem exterius conſtitutam: ſed veritas dicitur ſecundum commenſurationem exterioris æqualitatis ad rationes, quæ ſunt in mente*.

V. Roboratur hæc doctrina ex diſcrimine, quod verſatur inter bonitatem, & liberalitatem Dei, ejuſque Juſtitiam, & æquitatem: quod eleganter citato loco declarat idem S. Thomas dicens: *Deus donator omnium bonorum eſt, & in eum omnis peccator peccat. Unde ipſe poteſt plus conferre de bonis, quam ſit alicui debitum, & minus inferre de malis, vel etiam pœnam totaliter relaxare: nec in hoc contra juſtitiam, ſed præter juſtitiam faceret. Sed ſi alicui minus conferret de bonis, quam ei debetur, vel plus puniret, quam peccaſſet, hoc contra ordinem juſtitiæ eſſet, nec Deus hoc poſſet loquendo de potentia ordinaria*. Hinc vulgatum illud: *Deus de ſuo bonus eſt, de noſtro juſtus*.

VI. Demum, ut plura alia argumenta non attingam, id aperte colligitur ex illis Scripturæ teſtimoniis, quibus aſſeritur nullam impiis futuram conquerendi cauſſam de divino Judicio, & ſententia a ſummo Judice in eos lata. Sic amicis interrogantibus de Dei judicio reſpondit S. Job cap. 9.: *vere ſcio, quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille*: hoc eſt, ut explicat S. Thomas:

non

non poterit reſpondere. *Nam rogatus homo in judicio divino hæſitabit, obmuteſcet, reſpondere, aut contradicere, aut ſe tueri minime poterit*. In *Pſal.* pariter 50. & apud Apoſtolum *in Epiſt. ad Rom.* legimus de Deo, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris*. *In ſermonibus tuis, quibus pœnam comminaris, & vincas cum judicaris, ideſt cum aliis in judicio compararis: vinces tu nimirum, ac ſuperabis illorum accuſationes, qui te fortaſſe calumniantur quaſi injuſtum, aut nimium crudelem ſcelerum ultorem* (a). Hinc etiam Sapientiæ 5. dicitur: *accipiet armaturam zelus illius: induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem*. Quibus phraſibus deſcribitur Deus tanquam paratus ad retundenda impiorum calumniantium jacula, ſuamque juſtitiam ab injuſtis accuſationibus vindicandam. Profectò, ſi vera eſſet ſententia, quam impugnamus, contendere utique jure poſſet peccator cum Deo ad ſempiternum cruciatum ipſum damnante, eique reſpondere, quod amplius exigat in punitione, quam ipſe peccando promeritus ſit, nec eam in infligenda pœna proportionem, & æqualitatem ſervet, quam juſtitiæ lex omnino depoſcit, atque adeo nec Deus vinceret, cum judicaret, aut juſtitiam ſuam ab ipſorum poſſet accuſatione defendere.

VII. Cum igitur ratum, certumque eſſe debeat Deum non punire damnatos ſupra meritorum rationem, nec pœnam infligere, quam ſibi debitam ipſi non fecerint, neque in hoc ideæ noſtræ fallantur; ſequitur ut ad examen vocemus alteram adducti Syllogiſmi propoſitionem, *nullam ſcilicet proportionem eſſe inter peccatum temporarium, & pœnam æternam*. S. Auguſtinus, qui non ſemel hoc ſibi argumentum objecit, duplici illud reſponſione refellit. Reſpondet in primis, cognoſcere nos minime poſſe quænam pœna ſit proportionata peccato, ſed hoc ad Dei judicium pertinere, adeoque perperam homines hoc uti argumento ad impugnandam pœnarum æternitatem. *Quia cuique culpæ* (ſcribit lib. de Nat. boni cont. Manich. cap. 31.) *qualis, & quanta pœna debeatur, divini judicii eſt, non humani, ſic ſcriptum eſt*: o altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Subditque: *quia vero cum peccatoribus pœna debita redditur, non eſt iniquitas apud Deum, ſic dicit* (Apoſtolus): quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? *Uno autem loco & bonitatem & ſeveritatem ab illo eſſe breviter admonuit dicens:* vides ergo bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem, in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate.

VIII. Altera ejuſdem reſponſio eſt, non debere pœnam, ut juſta ſit, çquari quantitati durationis culpæ, ut in quolibet conſtat humano judicio, quod juſtum ab omnibus reputatur. Quam reſponſionem fuſe declarat *lib.* 21. *de Civ. Dei cap.* XI. his verbis: „ Injuſtum putant „ (Infideles) ut pro peccatis quamlibet „ magnis, parvo ſcilicet tempore perpe„ tratis, pœna quiſque damnetur çterna; „ quaſi ullius id unquam juſtitia legis at„ tendat, ut tanta mora temporis quiſ„ que puniatur, quanta mora temporis, „ unde puniretur, admiſit. Octo genera „ pœnarum in legibus eſſe ſcribit Tul„ lius, *damnum, vincula, verbera, ta*„ *lionem, ignominiam, exilium, mortem,* „ *ſervitutem*. Quid horum eſt, quod in „ breve tempus pro cujuſque peccati ce„ leritate coarctetur, ut tanta vindicetur „ morula, quanta deprehenditur perpe„ tratum, niſi forte *Talio*? Id enim agit „ ut hoc patiatur quiſque, quod fecit. „ Unde illud eſt legis: *oculum pro oculo,* „ *dentem pro dente*. Fieri enim poteſt, „ ut tam brevi tempore quiſque amit„ tat oculum ſeveritate vindictæ, quam „ tulit ipſe alteri improbitate peccati. „ Porro autem ſi alienç fçminç oſculum „ infixum rationis ſit *verbere* vindicare, „ nonne qui illud puncto temporis fece-

(a) S. Thomas, Titelmanus, & alii.

„ rit, incomparabili horarum ſpatio verberatur, & ſuavitas voluptatis exiguæ „ diuturno dolore punitur? Quid in „ *vinculis*, nunquid tandiu quiſque judicandus eſt eſſe debere, quandiu fecit unde meruit alligari, cum juſtiſſime annoſas pœnas ſervus in compedibus pendat, qui verbo, aut ictu celerrime tranſeunte vel laceſſivit Dominum, vel plagavit? Jam vero „ *damnum*, *ignominia*, *exilium*, *ſervitus*, „ cum plerumque ſic infliguntur, ut „ nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo ſimilia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna eſſe „ non poſſunt, quia nec ipſa vita, quę „ hic plectitur, porrigitur in æternum: „ & tamen peccata, quæ vindicantur „ longiſſimi temporis pœnis, breviſſimo „ tempore perpetrantur, nec quiſquam „ exiſtit, qui cenſeret tam cito nocentium finienda eſſe tormenta, quam „ cito factum eſt vel homicidium, vel „ adulterium, vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus non temporis longitudine, ſed iniquitatis, & impietatis „ magnitudine metiendum. Qui vero „ pro aliquo grandi crimine *morte* mulctatur, nunquid mora, qua occiditur, „ quæ perbrevis eſt, ejus ſupplicium leges æſtimant, & non quod eum in „ ſempiternum auferant de ſocietate „ viventium? Quod eſt autem de iſta „ Civitate mortali ſupplicio primę mortis, hoc eſt de Civitate illa immortali homines ſupplicio ſecundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt „ leges hujus Civitatis, ut in eam quiſque revocetur occiſus; ſic nec illius, „ ut in vitam revocetur æternam ſecunda morte damnatus „. Hæc ille.

IX. Par eſt reſponſio, quam ante S. Auguſtinum egregie perſecutus eſt Theodorus Epiſcopus Abucaræ Diſput. 14. cont. Origen. (*a*) inquiens: „ Omnem „ juſtitiam vel ex Dei lege, vel ex legibus, quas homines ſanxerint, vel „ ex rebus naturalibus cognoſcimus. Harum autem juſtitiæ ſpecierum nulla „ pœnam temporalem irrogat, prout „ fornicatur quiſpiam, vel furatur, vel „ occidit unius horæ ſpatio. At lex „ Dei, hominumque leges homicidam „ capitis damnantes, extremoque ſupplicio facinoroſum aliquem afficientes, „ non unius in eum horæ ſpatio animadvertunt. Sed ſi morte quidem plectant, „ æterno eum ſupplicio afficiunt: vel „ ſi verberent, diuturnum ei dolorem ex „ rebus inferunt. Quin tu quoque ſi adulterum quempiam cum uxore, filiave deprehenderes, non unius illum horę „ ſpatio puniendum, ſed trucidandum „ cenſeres: quod quidem æternum eſt „ hominibus ſupplicium. Sed ipſę quoque rerum naturæ perinde ſe habent. „ Cum enim nobis, ne frigidam v. g. „ bibamus aquam, neve quoque noxio „ cibi genere utamur, interdictum ſit, „ in vetitum tamen nitamur, diuturnas „ nimirum pœnas damus. Itaque ſæpenumero fit ex aquæ frigidæ potu, ignisve contactu, vel aceti uſu, continuum morbum incurramus. Atqui „ natura juſtiſſima eſt &c. „

X. Atque eadem quoque propoſito argumento reſponſio adhibetur a S. Joann. Chryſoſtomo *Homil.* 25. *ad Rom.*, & communiter a Theologis cum eorum Principe S. Thoma, qui 1. 2. *q.* 87. *art.* 3. hanc difficultatem verſans „ dicendum, ait, quod pœna peccato proportionatur ſecundum acerbitatem tam „ in judicio divino, quam in humano. „ Sed...... in nullo judicio requiritur, „ ut pœna adæquetur culpæ ſecundum „ durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento „ committitur, propter hoc momentanea pœna punitur: ſed quandoque „ quidem perpetuo carcere, vel exilio, „ quandoque etiam morte: in qua non „ conſideratur occiſionis mora, ſed potius quod in perpetuum auferatur a „ ſocietate viventium: & ſic repræſentat ſuo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus. „

XI.

(a) Tomo 4. Bibliot. V. Patrum.

XI. Falluntur itaque Adverſarii, dum a brevi temporis mora, qua peccatum committitur, arguunt contra juſtitiam æternæ pœnæ, qua a Deo punitur: idque exemplo humani judicii comperttiſſimum eſt in allatis exemplis: neque enim quiſpiam fuit, qui illud injuſtitiæ culpandum putaret, quod ſupplicii durationem non æquet cum duratione delicti. Sed & ipſi Adverſarii fateri coguntur proportionem aut æqualitatem inter pœnam & culpam ſumendam non eſſe ex mora temporis, quo culpa commiſſa eſt, ſed potius ex aliis principiis, niſi ſibimet ipſis refragari velint. Si enim juxta eorum placitum damnatorum pœna protrahenda eſt ad innumera ferme ſæcula, nemo non intelligit proportionem æqualitatis non eſſe inter breve ſpatium, quo peccatorum vita præſens concluditur, & futura illa immenſa ſpatia, quibus in inferno punientur.

CAPUT XXIII.

Æquitas æternæ pœnæ clarius manifeſtatur. Duplex peccati genus, alterum quod veniale *appellant: alterum quod* mortale. *Huic ſolum pœnam nunquam deſituram per ſe reſpondere docet Catholica fides. Juſte peccatum hocce puniri perpetua pœna* damni, *ſive privativa luculenter evincitur. Juſte etiam puniri pœna æterna* ſenſus, *ſive poſitiva, duplici S. Thomæ ratione defenditur.*

I. Quamquam ſolutio argumenti præcipui Adverſariorum ab Auguſtino, aliiſque Patribus, ac Theologis adhibita optima ſit, nihilominus intimiorem non aſſignat radicem, & cauſſam condignitatis peccati ad pœnam ſempiternam: nec, niſi aliud quidpiam addatur, omnino quieſcit animus terribile illud ſupplicium ſedula cogitatione perpendens. Quare neque Doctor Angelicus S. Thomas ſatis habuit eam attuliſſe ſolutionem, ſed nonnullas præterea admodum congruentes rationes adjecit, ex quibus æquitas æternæ pœnæ manifeſtior apparet. Verum ut liquidius conſtet, qua ratione peccatum pœnam hanc ſibi debitam faciat, illud in anteceſſum præmittere conſultum eſt, quod & Catholica fides, & lumen ipſum naturale docet, duplex nempe peccati genus eſſe diſtinguendum, alterum quod Theologi *veniale* nominare conſueverunt, alterum, quod *lethale*. Iſtud poſitum eſt in perverſione ordinis, ſive receſſu, & averſione a Deo ultimo fine; & converſione ad creaturam tanquam ultimum finem: illud vero conſiſtit in quadam inordinatione circa ea, quæ ſunt ad finem, ordine ad Deum ultimum finem conſervato. Duplici huic peccato duplex quoque longe diſpar pœna reſpondet juxta Eccleſiæ doctrinam, mortali quidem æterna, veniali vero temporaria, vel in hac, vel in futura vita luenda. Quam Eccleſiæ fidem rationi admodum conſentaneam pluribus in locis oſtendit S. Thomas, ſed præcipue lib. 3. cont. Gentes cap. 143. inquiens: „ dupliciter contingit „ peccare, uno modo ſic quod totaliter intentio mentis avertatur ab „ ordine ad Deum, qui eſt ultimus „ finis bonorum: & hoc eſt peccatum mortale. Alio modo ſic, quod „ manente ordine humanæ mentis ad „ ultimum finem, impedimentum aliquod afferatur, quo retardatur, ne „ libere tendat in finem: & hoc dicitur peccatum veniale. Si ergo ſecundum differentiam peccatorum „ oportet eſſe differentiam pœnarum, „ conſequens eſt, quod ille, qui mortaliter peccat, ſit puniendus ſic, quod „ excidat ab hominis fine: qui autem „ peccat venialiter, non ita, quod excidat, ſed ita quod retardetur, aut „ difficultatem patiatur in adipiſcendo „ finem: ſic enim juſtitiæ ſervatur „ æqualitas, ut quomodo homo peccando voluntarie a fine ſe divertit, „ ita pœnaliter contra ſuam voluntatem in finis adeptione impediatur „. Hæc ille præclariſſime.

II. Quapropter cum dicimus dignum juſtumque eſſe ut peccatum æterna pęna puniatur, id non de quocumque peccato intelligi oportet; ſed de mortali duntaxat, eo videlicet, quo homo ſe avertit a Deo, & convertit ad creaturam velut ultimum finem. Alia vero peccata, quæ hujuſmodi Ordinis perverſionem non afferunt, libentiſſime fatemur pęnam ex ſe ſolummodo temporariam promereri, quæ cum in hac vita mortali non ſemper exſolvatur, exſolvenda remanet in vita futura ante extremi judicii diem. Atque hæc doctrina offuciis Origeniſtarum depellendis adeo accommoda viſa eſt, ac neceſſaria Scriptori cuidam Lutherano (*a*), ut contra Eccleſiæ ſuæ præjudicia, in eam tandem conceſſerit, mediumque ſtatum poſt mortem admiſerit, in quo aliquorum animæ piacularibus, ac temporariis ſuppliciis plecterentur. Solum ergo peccatum illud, quod Deum ultimum finem abjicit, quod charitati opponitur, quod amicitiam cum Deo violat, quod creaturam Creatori præfert, dignum eſſe defendimus æterna pœna, ita ut hæc ipſi ſecundum juſtitiæ leges debeatur, nullamque adeo injuriam Deus inferat, dum propter iſtiuſmodi peccatum creaturas in æternum punit. Porro cum pęna, qua peccator in inferno plectitur, ut in ſuperiore libro declaravimus, duplex ſit, altera *damni*, in privatione viſionis Dei ac beatitudinis poſita, altera *ſenſus* in poſitivi ſupplicii experientia conſiſtens, a priore incipio, eamque juſte infligi a Deo lucidiſſima S. Thomæ doctrina manifeſto.

III. Fuſe agit de hoc argumento S. Doctor lib. 3. cont. Gent. cap. 144., pluribuſque rationibus evincit æquitatem ſempiternę hujus pęnæ ob lethale peccatum inflictæ, ex quibus unam tantum affero planiorem atque faciliorem. „ Naturalis, inquit, æquitas hoc habere „ videtur, quod unuſquiſque privetur „ bono, contra quod agit: ex hoc enim „ reddit ſe tali bono indignum. Et inde eſt, quod ſecundum civilem juſtitiam qui contra Rempublicam peccat, ſocietate Reipublicæ privatur „ omnino vel per mortem, vel per exilium perpetuum: nec attenditur quanta fuerit mora temporis in peccando, „ ſed quid ſit contra quod peccavit. „ Eadem autem eſt comparatio totius „ vitæ præſentis ad Rempublicam terrenam, & totius æternitatis ad ſocietatem beatorum, qui ultimo fine „ æternaliter potiuntur. Qui ergo contra ultimum finem peccat, & contra „ charitatem, per quam eſt ſocietas beatorum, & tendentium in beatitudinem: in æternum debet puniri, quamvis aliqua temporis mora peccaverit „. Hanc rationem ita confirmat quæſt. 5. de malo art. 1.: „ cum aliquis peccando abjicit a ſe illud, per quod diſponebatur ad aliquod bonum acquirendum, „ meretur, ut ei ſubtrahatur illud bonum, „ ad quod obtinendum diſponebatur: „ & ipſa ſubtractio ejus boni eſt conveniens pęna ejus. Et ideo conveniens „ pęna peccati eſt ſubtractio gratiæ, & „ per conſequens viſionis divinæ, ad „ quam per gratiam ordinatur. „

IV. Hæc, ut mihi videtur, in aperta luce conſtituunt æquitatem pęnæ, qua peccator perpetuo excluditur a poſſeſſione æternę felicitatis. Profecto quis injuſtum eſſe dixerit, quod reipſa privetur conſecutione ſalutis, qui eam continenter neglexit, ac voluntarie amiſit? Quis divinæ bonitati hoc onus imponat, ut in ęterni boni acquirendi viam revocet, qui illud conſtanter ad mortem uſque contempſit, abjecitque? Quis a Dei juſtitia exigat ut lumen, aut vitam illi reſtituat, qui ſibi volens ac lubens aut oculos eruit, aut mortem intulit? Nonne etiam in humanis rebus hoc accidere ſępe cernimus, ut qui occaſionem ſibi oblatam non arripuit, unde totam vitam ſuam tranſigere fæliciter potuiſſet, perpetua miſeria contabeſcere cogatur, quin de nullo pręter ſeipſum conqueri jure valeat? *Deus ab initio* (inclamat Syracides) *conſtituit hominem* ad æternam beatitudinem ordinatum: *&*

reli-

(a) Ferdinandus Hefreich Liſtſcheid apud Franciſcum Budæum Tom. 1. Theologiæ Dogm.

reliquit illum in manu conſilii ſui, quo ſcilicet de ſemetipſo, prout libuerit, arbitrii ſui libertate diſponeret: *adjecit mandata, & præcepta ſua*, ut ea fideliter obſervando perpetuam felicitatem conſequeretur. *Si mandata ſervare voluerit*, quemadmodum poteſt, ac tenetur, ac bene uti libero ſuæ voluntatis arbitrio in hoc mortalis vitæ ſpatio ad recte agendum ſibi conceſſo, ab æterna morte ſervabitur, boniſque omnibus, & beata immortalitate jugiter perfruetur. Si autem & libero arbitrio, & Dei gratia abutatur, vitaque contempta mortem potius eligat; injuria plane de Deo conqueretur, quod peracto vitæ hujus itinere, novum ipſi ad ſalutem aditum non aperiat, ſed in eo miſerrimo ſtatu perpetuo deſerat, in quo nullum ipſi futurum ſalutari pœnitentiæ locum jam ſæpe prædixerat. Judicent æqui rerum æſtimatores an quidpiam in hac pęna ſit, quod juſtitiæ adverſetur, an potius quod huic mirifice non conſentiat?

V. Jam vero ſemel admiſſa æquitate hujuſce pœnæ privativæ, quam nemo ſapiens negaverit, in auras abit præcipuum fundamentum, immo totum ipſum ſyſtema recentium Origeniſtarum de Apocataſtaſi univerſali malorum hominum, & Angelorum in meliorem vitæ ſtatum. Si enim pœna perpetuę excluſionis ab ęterna fęlicitate, qua puniri impios aſſerimus, vel ipſo naturali lumine juſtiſſimam ſe prodit, juſte etiam Deus illam infligere poterit, ſicut ſe inflicturum toties in ſacris libris comminatus eſt: eaque inflicta nullus amplius patet reſtitutioni locus, ſed impii omnes in ſempiterna illa beatitudinis privatione manebunt, quam ſibi peccando debitam fecere.

VI. Sed & alterum etiam ęternæ pęnę genus complectamur, *ſenſus* videlicet, ſive poſitivę, quam pręſertim veluti injuſtam, ac ſupra omne peccantis meritum traducere ſtudent Adverſarii. Antequam hujus etiam pęnę ęquitatem oſtendo, paucis ſub oculos revoco, quod latius a nobis ſuperiore libro demonſtratum eſt, peccatum nempe pręter pęnam *damni*, ſive privativam, aliquam etiam poſitivam promereri, eamque juſte a ſupremo Judice irrogari. Plura ad hoc probandum momenta protulimus: ſed omnibus prætermiſſis, hoc ſatis conſtat exemplo humanæ juſtitiæ criminoſos jure damnantis vel ad metalla, vel ad triremes, vel ad carceris ſquallorem &c.: quæ pœnæ pręter excluſionem a civium ſocietate, & conſortio, poſitivum nocumentum afferunt. Hoc ipſi Origeniſtę lubenter admittunt, dum tempore valde diuturno reprobos igne, aliiſque tormentis cruciandos docent. Quare de ſola ęternitate hujus pœnę lis eſt, an juſte pro temporario peccato inferatur: quod illi mordicus negant. Verum ab iis, qui hoc inficiari audent, contenduntque nullam eſſe proportionem inter culpam temporariam, & cruciatum ęternum, primum quęrimus ut ediſſerant nobis, quęnam ſit, aut unde repetant ipſi proportionem inter culpam breviſſimo ſępe tempore perpetratam, & ſupplicia per innumera ferme ſęcula duratura, ut iſtiuſmodi pœnę ęquitatem tueantur? Quidquid reſponderint, oppido vel ęquitatem etiam probat ęternę pœnę, vel nihil omnino probat unde pœnę ab ipſis conſtitutę ęquitatem defendant. Neque enim alia ſuppetunt ad hoc probandum principia ex nativo rationis lumine ducta, quam quę jam poſuit Doctor Angelicus S. Thomas, ut peccata jure ac merito puniri ſempiternis ſuppliciis oſtenderet.

VII. Quatuor porro ſunt rationes, quas in rem hanc adhibet S. Doctor, quarum duas hoc capite proponemus, duas alias, quę potiores ſunt, in ſequentibus omni ſtudio declaraturi. Prima itaque ratio hæc eſt (*a*) „ apud „ divinum judicium voluntas pro facto computatur: quia ſicut homi„nes vident ea, quę exterius agun„tur, ita Deus inſpicit hominum cor„da:

(a) lib. 3. cont. Gent. cap. 45.

„ da: qui autem propter temporale bonum averſus eſt ab ultimo fine, qui „ in æternum poſſidetur, præpoſuit „ fruitionem temporalem illius boni „ æternæ fruitioni ultimi finis. Unde „ patet, quod multo magis voluiſſet „ in æternum illo bono temporali frui. „ Ergo ſecundum divinum judicium „ ita puniri debet, ac ſi æternaliter „ peccaſſet. Nulli autem dubium eſt, „ quin pro æterno peccato æterna pę- „ na debeatur. Debetur igitur ei, qui „ ab ultimo fine avertitur, pœna æter- „ na „. Eamdem rationem jam antea attigerat S. Gregorius Magnus in caput 41. Jobi, & in 4. Dialog. cap. 44. dicens: *ad diſtricti Judicis juſtitiam pertinet, ut nunquam careat ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quandiu voluit, habere noluit terminum criminis*.

VIII. Elumbe putat hoc argumentum Tilotſonus, quia, inquit, ſine fundamento aſſeritur omnes impios velle in peccato perpetuo manere, cum hoc incertum ſit, ac ſæpe plures, dum peccant, proponant a peccato aliquando recedere, ac de ipſo pœnitentiam agere.

IX. At ſcrupulum hunc jam præoccupavit, exemitque S. Thomas in 4. *diſt.* 46. *quæſt.* 1. *art.* 3. inquiens: ſi objiciatur, quod quidam „ peccantes „ mortaliter proponunt vitam ſuam in „ melius commutare, & ita ſecundum „ hoc non eſſent digni æterno ſuppli- „ cio, ut videntur; dicendum eſt ſe- „ cundum quoſdam, quod Gregorius, „ (cujus ſententiam attulerat) loquitur „ de voluntate, quæ manifeſtatur per „ opus. Qui enim in peccatum mor- „ tale labitur, propria voluntate, ſe po- „ nit in ſtatu, a quo erui non poteſt, „ niſi divinitus adjutus. Unde ex hoc „ ipſo, quod vult peccare, conſequen- „ ter vult in peccato perpetuo mane- „ re... Sicut ſi aliquis ſe in foveam proji- „ ceret, unde exire non poſſet, niſi adjutus, „ poſſet dici, quod in æternum ibi manere „ voluerit, quantumcumque aliud co- „ gitaret: Vel poteſt dici, & melius, „ quod ex hoc ipſo, quod mortaliter pec- „ cat, finem ſuum in creatura conſti- „ tuit. Et quia ad finem vitæ tota vita „ ordinatur, ideo ex hoc ipſo totam vitam „ ſuam ordinat ad illud peccatum, & vel- „ let perpetuo in peccato manere, ſi hoc „ ſibi eſſet impune. Et hoc eſt quod „ Gregorius in 34. lib. Moralium ſuper „ illud Job, *æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem*, dicit: *iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in ſuis iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quam vivere*.

X. Rationem alteram eodem loco *contr. Gent.* aſſignat S. Præceptor inquiens: *eadem juſtitiæ ratione pœna peccatis redditur, & bonis actibus præmium. Præmium autem virtutis eſt beatitudo, quæ quidem eſt æterna: ergo & pœna, qua quis a beatitudine excluditur, & ſupplicio afficitur debet eſſe æterna*. Hanc optime, ut mihi videtur, declarat, & firmat Caſpenſis diſp. 16. ſect. 5. his verbis: „ peccatum, quatenus eſt operatio delibera- „ ta creaturæ immortalis, hoc ipſo di- „ gnum eſt, ſi uſque ad mortem du- „ ret, pœna, & ſupplicio æterno: quo- „ niam creatura rationalis, quæ immor- „ talis eſt, dum eſt in via, per delibe- „ ratas operationes connaturaliter tendit „ in aliquem ſtatum perpetuum, in quo „ ſit conſtituenda pro ratione bono- „ rum, aut malorum hujus vitæ. Et „ ideo, ſicut opera bona connaturaliter „ hominem perducunt ad felicitatem „ perpetuam; ita e contrario opera ma- „ la ſunt digna perpetua infelicitate. „ Hoc enim proprium eſt operum ratio- „ nalis creaturæ, ut illis reſpondeat prę- „ mium aut ſupplicium infinitum ex par- „ te durationis: neque enim inter meri- „ tum & præmium quærenda eſt ęquali- „ tas in eſſe naturæ, in gradibus aut „ in partibus durationis, ſed potius in „ ratione pręmii & meriti, ut ſcilicet „ illud bonum conferatur, quo opus di- „ gnum eſt, etiamſi minorem habet per- „ fectionem in entitate. Solum enim „ æqualitas meriti, & pręmii attenden-

„ da

„ da eſt ſecundum æqualitatem mora-
„ lem: eademque ratio habenda eſt in
„ demerito. Quare opera bona dicun-
„ tur eſſe ſemina vitę ęternę, nimi-
„ rum ad ſignificandum virtute tantum
„ moraliter contineri in operibus bo-
„ nis, ea ratione, qua fructus, & cor-
„ pora viventia in ſeminibus continen-
„ tur non formaliter, ſed virtute. Sic
„ enim opus creaturę rationalis, quate-
„ nus eſt operatio creaturę immortalis
„ tendentis in quemdam ſtatum perpe-
„ tuum, eſt ſemen pręmii, aut ſuppli-
„ cii perpetui: quia continet dignitatem
„ illius ęternitatis ſive in pręmio, ſive
„ in ſupplicio „. Hęc ille.

CAPUT XXIV.

Proponitur tertia ratio S. Thomæ ad adſtruendam æquitatem æternæ pænæ ſumpta ex inordinatione irreparabili per culpam inducta. Principia illuſtrantur, quibus firma conſiſtit: atque illud in primis: peccatum ex hoc inducit reatum pœnę, quod pervertit ordinem: *aliud deinde:* inordinatio a culpa cauſata ex ſe irreparabilis eſt. *Scrupulus eximitur D. Joannis Feckii Roſtokienſis, & ad concordiam cum aliis Theologis revocatur. Diſſipantur ea, quæ ad rationis robur infringendum afferunt Bellius, aliique ſcriptores.*

I. TErtia ratio ad proportionem adſtruendam inter peccatum lethale, & pœnam ſempiternam a Theologis frequentius adhibita, ſumitur ex perpetua culpæ duratione: atque ita proponitur ab Angelico Præceptore 1. 2. q. 87. art. 3. præmiſſa ſententia Chriſti Domini apud S. Marcum cap. 3., *qui blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti:* „ di-
„ cendum, quod ſicut ſupradictum eſt,
„ peccatum ex hoc inducit reatum pę-
„ næ, quod pervertit aliquem ordinem,
„ manente autem cauſſa, manet effe-
„ ctus. Unde quandiu perverſitas ordi-
„ nis remanet, neceſſe eſt, quod re-
„ maneat reatus pœnæ. Pervertit autem
„ aliquis ordinem, quandoque quidem
„ reparabiliter, quandoque autem irre-
„ parabiliter. Semper enim defectus,
„ quo ſubtrahitur principium, irrepara-
„ bilis eſt. Si autem ſalvetur principium,
„ ejus virtute alii defectus reparari poſ-
„ ſunt: ſicut ſi corrumpatur principium
„ viſivum, non poteſt fieri viſionis re-
„ paratio, niſi ſola virtute divina. Si
„ vero ſalvo principio viſivo, aliqua
„ impedimenta adveniant viſioni, repa-
„ rari poſſunt per naturam, vel per
„ artem. Cujuslibet autem ordinis eſt
„ aliquod principium, per quod aliquis
„ fit particeps illius ordinis. Et ideo
„ ſi per peccatum corrumpatur prin-
„ cipium ordinis, quo voluntas homi-
„ nis ſubditur Deo, erit inordinatio,
„ quantum eſt de ſe, irreparabilis, et-
„ ſi reparari poſſit virtute divina. Prin-
„ cipium autem hujus ordinis eſt ulti-
„ mus finis, cui homo inhæret per
„ charitatem. Et ideo quæcumque pec-
„ cata avertunt a Deo charitatem au-
„ ferentia, quantum eſt de ſe, indu-
„ cunt reatum æternæ pœnæ „.

II. Hanc rationem tanquam omnino efficacem ad ęquitatem probandam ęternę pœnę pro peccato inflictę agnoſcunt Theologi nedum Catholici, ſed etiam Proteſtantes. Leibnitius in Theodicea par. 3. num. 266., cum indicaſſet fundamentum, cui nitebatur Erneſtus Sonerus Socinianus ad negandam proportionem inter culpam finitam, & pœnam duratione infinitam, ſubjicit, Sonerum nequaquam attendiſſe ad pręcipuam hujus veritatis rationem deductam ex permanentia culpę, quę ſola ſat eſſe poteſt ad ęquitatem ęternę pœnę defendendam, cum juſtitię admodum conſonum videatur, damnatos perſeverare in miſeria, quouſque perſeverant in culpa: additque, ſe animadvertiſſe doctiores quoſque Theologos eamdem reddidiſſe rationem perpetuę durationis pœnarum: refertque inter alios Joannem Gerardum celebrem Confeſſionis Augu-

ſtanæ Theologum, qui *in locis Theologicis*, loco *de inferno* §. 60. præter alia, hoc etiam argumentum affert, quod nempe *in damnatis ſemper perdurat prava voluntas, nec adeſt gratia divina, quæ ipſam immutet*: & Zachariam Urſinum Theologum Heidelbergenſem, qui in ſuo tractatu *de fide* poſt vulgarem rationem ex infinitate offenſæ deſumptam, hanc quoque allegat, quod ſcilicet *non ceſſante peccato, ceſſare peccati pœna non poſſit*.

III. Porro ut hujuſce rationis firmitas conſiſtat, omneſque cavillationes, quæ fieri poſſunt, ac ſolent, præcidantur, Principia, quæ ponit S. Thomas, diligenter obſervanda, & declaranda ſunt. Primo itaque loco conſtituit generale illud principium: *peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod pervertit aliquem ordinem:* ſeque refert ad ea, quæ jam prædocuerat art. 1. ejuſdem quæſtionis, ubi reatum pœnæ conſequi ad peccatum tanquam fructum, & effectum naturalem ipſius, elegantiſſima hac doctrina demonſtrat: „ ex rebus, inquit, „ naturalibus ad res humanas derivatur, ut id, quod contra aliquid inſurgit, ab eo detrimentum patiatur. „ Videmus enim in rebus naturalibus, „ quod unum contrarium vehementius „ agit, altero contrario ſuperveniente. „ Unde in hominibus hoc ex naturali „ inclinatione invenitur, ut unuſquiſque deprimat eum, qui contra ipſum „ inſurgit. Manifeſtum eſt autem, quod „ quæcumque continentur ſub aliquo „ ordine, ſunt quodammodo unum in „ ordine ad principium ordinis. Unde „ quidquid contra ordinem aliquem inſurgit, conſequens eſt, ut ab eo ordine, „ & a Principe ordinis deprimatur. „ Cum autem peccatum ſit actus inordinatus, manifeſtum eſt, quod quicumque peccat, contra ordinem aliquem agit: & ideo ab ipſo ordine „ conſequens eſt, quod deprimatur: „ quæ quidem depreſſio pœna eſt „: eaque reparatur ordo, & æqualitas conſtituitur, ut alibi ſæpe docet.

IV. Hoc firmiſſimo principio præmiſſo, illud ſponte ſua fluit, neceſſum eſſe, ut juxta legem juſtitiæ incolumis ordo ſervetur, tandiu peccatorem deprimi a Deo per pœnam, quandiu adverſus ordinem ab ipſo conſtitutum inſurgit per culpam, ſive, quod perinde eſt, quandiu permanet in culpa, per quam ordo pervertitur. Nam ſi manente ordinis perverſione inducta per culpam pœnæ reatus finiretur, jam aliquid in rebus inordinatum ſubſiſteret, ipſe nimirum ordo perturbatus abſque ulla reparatione, minuſque pulchritudinis atque decoris reſtitueret divina Juſtitia, quam culpa deſtrueret. Cum enim hujuſmodi reſtitutio haud aliter fieri valeat ex Juſtitia vindice, quam per pœnam, qua peccator deprimitur, hoc ſane modo fieri nequit, ſi in ipſamet culpa non maneat condignitas ad pœnam: atque adeo malitia ſuperior eſſet ipſa Juſtitia, eamque quodammodo vinceret, aut ſupereminerct: ea ſiquidem adhuc ſuperſtite remanente, deeſſet in Deo jus eam puniendi, ac deprimendi, qui adverſus ordinem inſurgere pergit, & in ejus perverſione firmiter perſeverat. Hoc itaque pro comperto eſſe debet, quandiu culpæ inordinatio duraverit, manere in ſupremo totius ordinis Principe jus & facultatem eam puniendi, adeoque etiam debitum & reatum in peccatore pœnam ſuſtinendi. *Manente enim cauſſa* (ut optime S. Thomas) *manet effectus*. Unde cum cauſſa reatus pœnæ ſit ordinis perverſio, ſi hæc manet, & illa neceſſario manere debet, ut manente ſole manet radius, manente igne calor qui ab illo procedit.

V. Alterum principium, quod ſtatuit S. Thomas, hoc eſt, quod nempe ordinis perverſio per culpam inducta ſit ex ſe, ac ſuapte natura irreparabilis. Quod ut evincat, obſervat 1. 2. quæſt. 72. art. 5. duplicem eſſe inordinationem, aliam *per ſubtractionem principii ordinis*, aliam, *qua ſalvato principio ordinis fit inordinatio circa ea, quæ ſunt poſt principium*. Et quidem poſteriorem hanc inordinationem reparari poſſe concedit virtute principii, quod integrum permanet: priorem vero irreparabilem

eſſe

Digitized by Google

eſſe ex meritis ſuis contendit, quamquam Dei virtute ſupra connaturalem modum operante reparari poſſe non inficietur. Hoc declarat exemplo viſivæ facultatis, cujus principium ſi perſiſtat incolume, reparari poſſunt per naturam aut artem alii quicumque defectus, qui viſionem impediunt: ſi autem penitus corrumpatur, nonniſi virtute Dei ſupra naturam operante reparari valet: idque & aliis exemplis cuilibet obviis explicari poteſt. Quo præjacto principio, talem eſſe demonſtrat aliquando perverſionem, quæ per peccatum inducitur, ut corrumpat, aut ſubtrahat principium ordinis, quo voluntas humana ſubditur Deo. Cum enim principium hujus ordinis ſit ultimus finis, cui homo adhæret per gratiam & charitatem, quæcumque peccata avertant a Deo, & charitatem auferunt, conſequenter principium hujus ordinis de medio tollunt. Quocirca nihil amplius in hominis poteſtate remanet, unde inordinationem hanc reparare valeat, adeoque ex ſe, meritiſque propriis irreparabilis eſt.

VI. Solum ergo ſupereſt ut inordinatio invecta per culpam auferri poſſit a Deo ſupra connaturalem curſum agente, & præter meritum peccatoris gratiam & charitatem conferente. Verum hoc non exigitur ab aliqua lege juſtitiæ, & æquitatis, ut eam auferat, ſemperque verum eſt perverſionem ordinis a peccato inductam eſſe de ſe irreparabilem, adeoque de ſe pariter inferre reatum æternæ pœnæ. Equidem ſuavis Dei Providentia diſpoſuit, ut in hoc mortalis vitæ ſtatu miſericordię locus eſſet, & per gratiam & charitatem ſupra merita peccatoris infuſas hujuſmodi inordinatio removeri poſſet, ac reapſe in pluribus removeretur, quemadmodum ex ſacris libris, & perpetua Eccleſię traditione, ac doctrina certo conſtat. At non minus certo conſtat in iiſdem ſacris libris, & Eccleſię doctrina, de contraria diſpoſitio ne ejuſdem divinę Providentię quoad ſtatum vitę futurę: nec quiſpiam ſano capite eo titulo talem diſpoſitionem negaverit, quod juſtitię, & ęquitati repugnet. Quis enim dixerit Deum jure non poſſe hominem in ea inordinatione relinquere, quam ipſe ſponte elegit, ſed obſtringi lege juſtitię, ut dona gratię ſuę conferat, quibus illa auferatur? Qui hoc aſſereret, profecto & illud affirmare deberet teneri Deum vi, & lege juſtitię vitam ei reſtituere, qui ſibi voluntarie mortem conſcivit: quod quam abſonum ſit, nemo non intelligit.

VII. En igitur paucis ante oculos expoſita ratio Sancti Doctoris, cur juſte a Deo pœna ęterna infligatur. Peccatum lethale hoc ex ſe affert, ut ab anima tollat ordinem ad Deum ultimum finem, cui unitur per gratiam, & charitatem. Subtracto autem ab anima hoc ordine, nihil in ea remanet unde inordinatio conſecuta reparari queat: adeoque efficitur malum, quantum eſt de ſe irreparabile, & dignum, ut nunquam remittatur, ac proinde dignum etiam ut ſemper, & in ęternum puniatur: manente enim cauſſa, quę eſt inordinatio culpę, manere etiam debet effectus, qui eſt reatus, ſive condignitas pœnę.

VIII. Hęc ratio a quibuſdam ita proponitur: qui peccat in ſtatu vię, meretur ut in ſtatu termini puniatur pœna culpę proportionata. Proportio autem inter pœnam, & culpam in hoc maxime poſita eſt, ut quantum, & quandiu culpa diſplicet Deo, tantum & tandiu pœna diſpliceat peccatori. Cum ergo in ſtatu termini culpa ęterna ſit, Deoque ęternum diſpliceat, etiam oportet ut pœna ſit ęterna, ęternumque diſpliceat peccatori. Id confirmant exemplo Debitoris. Qui enim debitum cum alio contraxit, tandiu remanet ſub reatu, ſeu obligatione ſolvendi debitum, quandiu vel ipſe non ſolvit, vel creditor ex liberalitate non remittit. Porro qui lethalis peccati reus ex hac vita diſcedit, neque ſolvit unquam debitum pœnę, quod ad culpę inordinationem conſequitur, neque hoc ex Dei miſericordia, & liberalitate aliquandiu dimittitur, igitur pœnę reatu perpetuo manet obſtrictus. Priorem ſecundę propoſitionis partem ſic evincunt: quoniam ut peccator tale

Digitized by Google

debitum ſolveret, offerre deberet pœnam, ſive ſatisfactionem Deo acceptam, ſive, quæ acceptari par eſſet. At vero Deus acceptare neutiquam tenetur pro ſatisfactione opus aut pœnam, quam exhibet is, qui ab ipſo averſus eſt per culpam. Altera autem ejuſdem propoſitionis pars ex iis, quæ dicta ſunt, liquido conſtat: nam culpę remiſſio fieri nequit, niſi per infuſionem gratiæ, & meritorum Chriſti applicationem. Hæc autem ex juſtitia minime debetur peccatori: aliunde vero juxta divinæ Providentiæ ordinem ſapientiſſime conſtitutum, nec ex Dei miſericordia, & liberalitate gratia confertur, & merita Chriſti applicantur iis, qui jam per finalem ſententiam ad inferos damnati ſunt: neque de hoc in præſenti litigare poſſunt Adverſarii: non enim modo diſputamus quid miſericordiæ & clementiæ, ſed quid juſtitiæ ſolius titulo peccatori debeatur.

IX. D. Joannes Fectius inſignis Theologus Roſtochienſis a Leibnitio laudatus in Theodicea p. 3. num. 266., quamquam expoſitam rationem approbet veluti ad calumnias recentium Origeniſtarum retundendas peridoneam: putat nihilominus ejus efficaciam non conſiſtere, niſi hoc admittamus damnatos in inferno perpetuo promereri pœnas, quas patiuntur, litemque hac de cauſſa intentat Theologis Scholaſticis, qui extra hujus vitæ ſtatum neque meritum concedunt, neque demeritum: & in ejuſdem opinionem propendet Leibnitius ipſe.

X. Sed ſi res acu diſcutiatur, niſi me opinio fallit, diſſidium inter hunc cæteroſque Theologos in verbis potius, ac modo loquendi, quam in re ipſa verſatur. Quid enim intelligit Fectius nomine *meriti*, vel *demeriti*, quod animabus extra mortalem hanc vitam attribuit? aut quid requirit, cum damnatos contendit ſemper promereri debere pœnas, quas patiuntur, ut vindex juſtitia Dei ſartatecta conſervetur? Si hoc velit, ut in ſtatu futuræ vitæ rationales creaturæ ſibi aliquid jugiter mereantur, perinde ac mereri dicuntur in præſenti, vel præmium per bona opera, vel pœnam per mala; jam nullus unquam futurus eſſet merendi vel demerendi finis, adeoque nec ſtatus futuræ vitæ eſſet terminus, ſed via quædam interminabilis ſemper tendens vel ad majorem miſeriam: quod ordini ſapientiſſimo divinæ Providentiæ repugnat, cujus intentio, ut & cujuslibet ſapientis Motoris, in aliquod determinatum ferri debet, prout obſervat S. Thomas 1. 2. quæſt. 62. art. 9. Unde hoc non arbitror velle Fectium, alioquin concedere quoque deberet Damnatos iis blaſphemiis, ac maledicis verbis, quibus Dei majeſtatem continenter laceſſunt, nedum continuationem pœnæ, quam ſibi dum hic viverent debitam fecere, ſed etiam novam aliam, intenſioremque in infinitum promereri: quod abſurdiſſimum eſt. Supereſt ergo ut nomine *meriti* nihil aliud intelligat, quam dignitatem, ſive potius condignitatem, aut obligationem ad pœnam ſubeundam. Hujuſmodi autem dignitatem ad pœnam ſemper in Damnatis perſeverare docent Theologi, quos injuria carpit: quatenus ſcilicet perſeverat in ipſis perpetua illa inordinatio peccati, quæ eos dignos facit pœna ſempiterna. Hinc odia, blaſphemiæ, atque impiæ voces, quas in Deum evomunt, nihil proprie ac preſſe merentur: ſed, ut inquit S. Thomas (*a*) potius *pertinent ad ipſam damnationis pœnam*: ſicut in Beatis perpetuæ laudes, & gratiarum actiones, quibus Deum colunt, novæ gloriæ acceſſus meritoriæ non ſunt, ſed *pertinent ad eorum beatitudinis præmium*.

XI. Nunc videamus quid adverſum propoſitam rationem opponant Adverſarii. Duplici reſponſione Petrus Bellius (*b*) conatur eludere fundamentum illud, cui ſuperſtruitur, *nunquam poſſe in damnatis ceſſare miſeriam, quia nunquam poſſunt ceſſare a malitia*, inquiens primo: im-

(a) 2. 2. quæſt. 13. art. 4.
(b) Reponſe aux queſt. d' un Provinc.

immo ratio naturalis id habet, poſſe creaturas ſemper ceſſare a malitia, quoniam vel deſtrui poſſunt a Deo, vel converti quolibet temporis momento. Subdit deinde: *eadem ratio docet, quod ſi a malitia ceſſare non poſſunt, jam ceſſant a malitia: ſicut amentes hoc ipſo peccare deſinunt, quod non poſſunt vitare peccatum*.

XII. At meræ argutiæ ſunt hæ, nihilque ſolidi tinniunt. Et prima quidem reſponſio falſi ratiocinii fructus eſt. Aliud quippe eſt, quod abſoluta Dei poteſtate poſſint ad inferna damnati quolibet momento vel deſtrui, vel converti, atque hoc pacto a culpa, & miſeria ceſſare: aliud, quod ad hoc teneatur Deus ex lege juſtitiæ, aut ſaltem ſuæ Providentiæ. Primum ultro concedimus: alterum rotunde negamus, nec hoc ex illo conſequi quiſpiam dixerit, qui prima boni diſcurſus elementa noverit. Prius ergo Bellius probare debuerat Juſtitiæ, aut Providentiæ divinæ leges exigere, ut reprobi vel deſtruantur, vel convertantur, ut poſſet inde colligere deſituram aliquando ipſorum & malitiam, & miſeriam. Sed hoc nunquam probare poterit, etiamſi vim omnem intendat ingenii ſui: Cum potius juxta Juſtitiæ, & Providentiæ divinæ leges Damnati neque deſtrui debeant, neque converti. Atque iſtud quidem ſuperius ſatis evincimus, oſtendimuſque æquum eſſe, ut a Deo penitus deſerantur, qui peccando Deum deſeruere, ejuſque gratiam, & amicitiam pro nihilo habentes, ſe ab ipſo averterunt, ut ad creaturam ſe converterent, in eaque finem ultimum conſtituerent. Sed neque juxta leges eaſdem deſtrui, aut in nihilum redigi debent. Congruum quippe in primis eſt (ut omittam Scripturæ authoritates, quæ cum hac deſtructione aperte pugnant) ut divina Providentia de unaquaque re diſponat, prout exigit ejus natura. Creaturæ autem rationales, cum ex ſe, & natura ſua ſint immortales, & incorruptibiles, hoc exigunt ut a Deo jugiter conſerventur. Unde non poſſet illas deſtruere, niſi ſupra rerum exigentiam, & leges naturæ operando: quod miraculorum genus neque fit, neque fieri par eſt: ut enim ſcite animadvertit S. Thomas 1. 1. quæſt. 104. art. 4., *quæ præter ordinem naturæ fiunt, ordinantur ad gratiæ manifeſtationem. Redigere autem aliquid in nihilum non pertinet ad gratiæ manifeſtationem: cum magis per hoc divina potentia & bonitas ordinetur, ſeu oſtendatur, quod res in eſſe conſervat*. Ipſa quoque Dei juſtitia impiorum conſervationem in pœna ſibi congruam facit, ut probat idem S. Doctor *quæſt. 5. de potentia art. 4. ad 6.* dicens: „ licet Deus de juſtitia creaturæ contra ſe peccanti poſſet „ eſſe ſubtrahere, & eam in nihilum redigere; tamen convenientior juſtitia „ eſt, ut eam in eſſe reſervet ad pœnam...... Quia iſta juſtitia congruentius reſpondet culpę in duobus. In uno „ quidem quia in culpa voluntas contra „ Deum agit, non autem natura, quæ „ ordinem ſibi a Deo inditum ſervat. „ Et ideo talis debet eſſe pęna, quę „ voluntatem affligat naturę nocendo, „ qua voluntas abutitur. Si autem creatura in nihilum redigeretur, eſſet tantum „ nocumentum naturę & non afflictio „ voluntatis. In altero vero quia cum in „ peccato duo ſint, ſcilicet averſio ab „ incommutabili bono, & converſio ad „ bonum commutabile, converſio poſt „ ſe averſionem trahit. Nullus enim „ peccans intendit a Deo averti, ſed „ quęrit frui temporali bono, cum quo „ Deo ſimul frui non poteſt. Unde cum „ pęna damni averſioni culpę reſpondeat, converſioni vero ejus pęna ſenſus, pro actuali culpa conveniens eſt, „ ut pęna damni non ſit ſine pęna ſenſus. Si autem in nihilum creatura „ redigeretur, eſſet quidem pęna damni „ ęterna, ſed non remaneret pęna ſenſus „. Hæc Divus Thomas, quibus nedum futile Bellii argumentum, ſed etiam Socinianorum ſententia refellitur.

XIII. Ad aliam Bellii cavillationem reſpondeo, quod ſi id ſolum ille contendat Damnatos effectibus odii, & deſperationis, blaſphemiis, aliiſque peccatis, quę in inferno committunt, novam pęnam, aut miſeriam non mereri, immo ne-

neque pœnæ, quam patiuntur, continuationem, verum habet, neque nos, aut Theologi refragantur: non enim docent idcirco damnatos plecti pœna ſempiterna, quia nova ſemper peccata accumulent, aut etiam, preſſe & rigoroſe loquendo, quia nunquam reparent, aut reparare poſſint inordinationem per peccatum inductam: ſed quia peccando, atque ita inordinationem irreparabilem in ſemetipſos inducendo, meruerunt, ut tandiu juſte puniri poſſent, quandiu illa inordinatio maneret, hoc eſt in æternum. Id exemplo ſuperius adducto non inepte explicatur, hominis voluntarie ſe projicientis in foveam, unde exire, aut emergere vi ſua, ac poteſtate nequit. Non enim ibi ſubſiſtere, vitamque miſeram traducere cogitur, quia talem ſibi perpetuam ærumnam eo in loco mereatur: ſed quia in foveam ſe voluntarie projiciendo in ſtatu perpetuę calamitatis ſemet conſtituit. Illud quoque exemplum de amentibus, quo triumphare ſe putat Bellius, ſi attentius perpendatur, nihil ipſi favet, quin potius obeſt. Nam ſicut hominis, qui ea ſponte elegit, unde in amentiam incidit, juſta pœna cenſetur & amentia ipſa, & miſeriæ omnes, quæ eam conſequuntur; ita qui peccando, & ad mortem uſque in peccato perſeverando, irreparabilem inordinationem contraxit, & hanc, & pœnam, quæ ad ipſam ſequitur, tanquam effectus ad cauſſam, ſibi debitam facit in omnem æternitatem.

XIV. Nonnulli alii Scriptores ad propoſitum argumentum reſpondent ex eo, quod inordinatio per culpam invecta ſemper perſiſtat in damnatis, haud recte colligi & pœnam ipſam debere ſemper perſiſtere. Debitum quippe pœnę, inquiunt, extingui poteſt per *ſatiſpaſſionem*, ut vocant, ad quam non requiritur voluntaria & amicabilis acceptatio pęnæ, ſed mera ipſius tolerantia: quod declarant exemplo pœnarum, quæ delinquentibus ab humanis judicibus inferuntur. Quamquam enim reus vel furti, vel homicidii a prava voluntate non recedat, immo in ea conſtanter maneat, & pęnam ſibi per leges inflictam iniquo animo toleret; non idcirco amplius punitur, ac puniri meretur, & ſolet, ſi deprehenſus in ſcelere ejuſdem ſtatim pęniteat, & illatam pęnam libenter ſuſtineat. Idem ergo dicendum erit de damnatorum ſupplicio, quod ſcilicet peccatis, quæ in hac vita commiſerunt, pęnam quidem aliquam ſibi debitam fecerint, quam exſolvere poſſunt longo poſt tempore, licet inordinatio per culpam cauſata æternum duret: hæc etenim novam pęnam ab illa diſtinctam promereri non poteſt.

XV. At vim expoſitæ rationis percepiſſe minime videntur, qui ita reſpondent. Hoc enim firmum eſſe debet, perſpectumque omnibus, pęnam ob peccata in futura vita a Deo inflictam, referri ad reparandam ex juſtitia perverſionem ordinis, quam culpa invexit, & inducendam æqualitatem in rebus ab ipſa ſublatam. Porro hujuſmodi æqualitas aliter ex juſtitia induci nequit, niſi tandiu rebellis creatura deprimatur per pęnam, quandiu adverſus Creatorem, & ordinem ab eo conſtitutum inſurgit per culpam, & tandiu puniatur contra ejus voluntatem, quandiu per pravum affectum reluctatur Dei voluntati; alioquin ſi inordinatione menente, pęna quandoque finem haberet, jam remaneret in rebus aliquid inordinatum, quod auferri ex juſtitia non poſſet. Nam perpetuo Damnati ſe ſe erigerent contra Deum, quin Deus juſte illos deprimere poſſet, atque ita æqualitatem conſtituere. Neque ſuffragatur Adverſariis exemplum humanæ juſtitiæ, ſive delictorum, quæ ab humana juſtitia puniuntur. Quoniam juſtitia humana neque poteſt, neque debet totum id removere, quod inordinatum eſt. Politicum quippe regimen ſolum ordinem reſpicit, qui pace, ac tranquillitate externa Reipublicæ continetur: cujus Ordinis reparationi ſatis conſultum eſt, ſi malefactores pęnæ a legibus præſcriptæ ſubjiciantur, tametſi nec eam æquo animo tolerent, nec a nefaria voluntate deſiſtant. At vero divina juſtitia reparationem univerſalis ordinis ſpectat juxta

rerum

rerum quarumlibet naturam, & exigentiam, adeoque nihil inæquale, aut inordinatum relinquere debet in rebus. Cum itaque ex juſtitia culpa ordinetur per pœnam, opus eſt, ut ſi culpa perpetuo perſeverat, perpetuo perſeveret & pœna, ne inordinatio aliqua in rebus æterna ſubſiſtat. Qua de re legi poteſt egregia S. Thomæ doctrina, quam tradit lib. 3. cont. Gent. cap. 140., & 1. 2. q. 21. art. 4.

CAPUT XXV.

Quarta & poſtrema ratio, qua æquitas æternæ pœnæ comprobatur ex infinita gravitate offenſæ Deo per peccatum illatæ. Labem injuriæ erga Deum preſſe dictæ peccatum continet. Hujuſce injuriæ rationes plures deteguntur, & quæ contra objicit recentior Author, diſſlantur. Ex infinita excellentia perſonæ infinitam offenſa gravitatem haurit, atque adeo ſempiterna pœna digna redditur. Eliquantur difficultates a Tilotſono Anglo propoſitæ: & opus concluditur.

I. Rationes, quas hucuſque adhibuimus ad adſtruendam æquitatem æternæ pœnæ, quam Deus impiis comminatur, ſat eſſe deberent ad obſtruenda ora Socinianorum, & Origeniſtarum, qui eam cum juſtitiæ legibus pugnare præfidenter effutiunt. Nihilominus piaculare plane fuerit eam prætermittere, quæ inter nobiliores firmioreſque merito cenſetur, petiturque ex offenſa divinæ Majeſtati per peccatum illata. Hanc quoque ſæpe propoſuit S. Thomas ſcilicet lib. 2. ſent. diſt. 46. q. 1. art. 5., & lib. 4. diſt. 46. q. 1. art. 3., in Opuſc. 3. cap. 183., & lect. 2. in cap. 2. Epiſt. ad Rom.: in quorum poſtremo loco juſtitiam pœnæ æternæ pro temporariis peccatis pluribus rationibus defendens, eam in primis affert his verbis: „ hoc eſſe juſtum apparet ex infinita dignitate „ Dei in quem peccatur. Tanto enim „ quis gravius peccat, quanto major „ eſt dignitas perſonæ, in quam peccatur: ſicut plus peccat, qui percutit Principem, quam qui percutit „ privatam perſonam. Et ſic cum culpa peccati mortalis ſit quodammodo „ infinita, oportet quod ei infinita „ pœna reſpondeat. Et ſic cum non „ poſſit eſſe infinita ſecundum intentionem, relinquitur, quod ſit infinita „ ſecundum durationem „. Paulo aliter eamdem rationem proponit in Opuſculo citato dicens: habet quodlibet „ peccatum contra Deum commiſſum „ quamdam infinitatem ex parte Dei, „ contra quem committitur. Manifeſtum „ eſt enim quod quanto major perſona „ eſt, contra quam peccatur, tanto peccatum eſt gravius: ſicut qui dat alapam militi, gravius reputatur, quam „ ſi daret ruſtico, & adhuc multo gravius, ſi Principi, vel Regi. Et ſic „ cum Deus ſit infinite magnus, offenſa contra ipſum commiſſa eſt quodammodo infinita: unde & aliqualiter „ pœna infinita ei debetur. Non autem „ poteſt eſſe pœna infinita intenſive: „ quia nihil creatum ſic infinitum eſſe „ poteſt. Unde relinquitur, quod peccato mortali debeatur pœna infinita „ duratione „.

II. Duobus principiis, ut ſtatim apparet, maxime nititur hujuſmodi ratio: nimirum in primis; *peccatum eſſe offenſam Dei;* deinde; *offenſam Dei per peccatum illatam, talem gravitatem infinitam afferre, quæ dignam eam efficiat æterna pœna.* Ac utrumque principium diruere moliuntur Origeniſtæ, & Sociniani, ne argumenti vi opprimantur. Et primum quidem exerte negat Author libelli, cui titulus *relatio ſententiæ Origenis* pag. 62.

62. (*a*), pertendens *perperam ac falſo ſupponi per peccatum Deum offendi*; & etiam Author *Religionis eſſentialis &c.* pag. 51. (*b*), ubi deridet Theologorum ideas, *qui ſibi*, inquit, *divinitatem confingunt veluti Principem quemdam, qui offenditur a ſubditis, dum adverſus ipſum rebellionis vexillum erigunt, ferroque & vi de throno deturbare conantur*. Alterum vero principium labefactare adniſus eſt inter alios Erneſtus Sonerus primum Lutheranus, poſtea Socinianus, ut colligere licet ex Leibnitio loco ſupra laudato, & Tilotſonus Anglus *in ſermone*, de quo ſæpe mentionem fecimus. Quare principium utrumque ab eorum conatibus vindicare opus eſt, & quam firme conſiſtat evidenter oſtendere.

III. Et quoad primum quidem attinet, ſi Adverſarii id velint duntaxat non ita Deum peccatis hominum offendi, ut quidpiam in ſeipſo nocumenti patiatur, ſicut pati poteſt, ac ſolet alius Princeps a ſubditis, qui ſubjectionis jugum excutientes in ipſum inſurgunt, ac de throno dejiciunt, nihil eſt, unde Theologis ſuccenſeant: nemo enim, quem ſciam, hanc ſibi de peccato informavit ideam, Deo nimium indignam. *Si peccaveris*, inquit S. Job cap. 35., *quid ei nocebis, & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Si autem contendant (quod unum velle poſſunt) nec ex ſe peccatum eſſe Dei offenſam, ſive nullatenus divinam majeſtatem per peccatum offendi, quantum eſt ex parte peccantis, baſilice falluntur, nec juſtam habent peccati ideam, aut notionem, quam ingerunt & Sacræ litteræ, & recta ratio. Scriptura namque ſexcentis in locis tranſgreſſionem mandatorum Dei, peccatique gravitatem iis phraſibus, & vocabulis deſignat, quæ, offenſa Dei a peccato ſublata, intelligi & explicari non poſſunt. Sic Ezechiel. 5. Deus ipſe de peccatore pronunciat: *contempſit judicia mea*: Prov. 1. *deſpexiſtis omne conſilium meum*: Iſaiæ cap. 1. *filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me*. Sic Eccleſiaſtici 49. de impiis dicitur: *contempſerunt timorem Domini*: ad Rom. 2. *per prævaricationem legis Deum inhonoras*: ad Hebr. 10. *quanto putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverint, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerint?* Hinc etiam peccata ſæpe vocantur *prævaricationes*, *injuſtitiæ*, *injuriæ*, *offenſæ Dei* tum in veteri, tum in novo Teſtamento: quæ ſane locutiones offenſam divinæ majeſtatis luculenter inſinuant.

IV. Naturalis quoque ratio hoc ipſum aperte manifeſtat, ex duplici inter alias prærogativa Deo conveniente, cui peccatum opponitur: *ſupremi* ſcilicet *Legiſlatoris, & ſupremi ultimi finis*. Quicumque enim peccat, legem a Deo conſtitutam violat, adeoque Dei voluntati refragatur, eiſque debitam negat obedientiam, & ſubjectionem: in quo citra dubium aliqua propriæ offenſæ Dei ratio relucet, ut offenditur Princeps a ſubditis, dum ab ejus obedientia ſe ſubtrahunt. At evidentius apparet hujuſmodi offenſæ ratio ex altero capite. Nam finis principalis & ultimus Dei in lege præſcribenda, ut obſervat S. Thomas, eſt ordinare hominem ad ſeipſum, vel ſibi nempe per amorem, & obſequium adhæreat, in quo a divina differt humana lex, quæ ultimo, & principaliter refertur ad commune civium bonum, non ad Principem, ſive Legiſlatorem. Quæcumque autem divina lex, ſive Dei honorem, & cultum ſpectet, ſive proximi bonum, aut rerum aliarum peculiarem ordinem, ſemper refertur, ac referri neceſſario debet in ipſummet Deum, ut pluribus argumentis probat Sanctus Thomas lib. 3. cont. Gent. cap. 115. (*c*). Jus ergo

Deus

(a) apud Svvindium in lib. *recherches &c.* cap. ult.

(b) apud Franc. de Roches Epiſt. 14.

(c) Hoc ipſum evidenter conſtat ex Levitici cap. 6., ubi cum damnetur, qui injuſte depoſitum proximo non reſtituit, qui furatur, qui calumniatur, aliud'e ſimile damnum proximo infert, non tanquam proximi, ſed tanquam Dei contemptor arguitur: *anima*, inquit, *quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo ſuo depoſitum, &c reddet &c.*

Deus habet, ut ſicut omnes leges, ſic etiam actiones omnes morales quæ legibus diriguntur, ordinentur in ipſum tanquam ultimum finem, nullusque ei finis alius præponatur: atque adeo peccator actiones ſuas in Deum non referens, & finem ultimum in creatura conſtituens, lædit hoc jus divinum, & injuriam Deo infert, ac offenſam.

V. Equidem non defuit inter Theologos Vaſquez, qui peccato rationem injuriæ in Deum, & offenſæ preſſe dictę denegaret, eo potiſſimum momento ductus, quod inter Deum & creaturas nequeat eſſe juſtitia proprie dicta, quia nulla creatura Deo reddere poteſt ęquale. Sed hæc ſingularis opinio eſt jamdiu a cæteris Theologis merito rejecta. Conſtat enim Deum habere verum jus, propriumque dominium honoris, ac dignitatis ſuæ conſervandæ, non minus ac homines verum jus ac dominium habent proprii honoris ac famæ. Cum ergo ad honorem, & dignitatem Dei pertineat, ut ſit ſupremus & ultimus finis actionum moralium, peccator, qui hunc honorem & dignitatem lædit, dum finem ſuum in creatura conſtituit, lædit jus aliquod Dei proprie dictum, adeoque & proprie dictam injuriam infert. Leve porro eſt Vaſquii fundamentum: non enim ex quo æquale Deo reddere nequeat rationalis creatura, conſequens eſt, quod neque poſſit veram contra Deum injuſtitiam committere, lædendo ſupremum ipſius jus, ac dominium: ſicut non ſequitur Plebejum hominem non poſſe injuria proprie dicta afficere Principem, quia ad æqualitatem ſatisfacere minime valet. „ Non diminuitur, (inquit appoſite inſignis Theologus (*a*)) aliqua ratio injuriæ ex eo, quod committatur a perſona non habente æqualitatem ex parte ſubjecti ad recompenſandum debitum, ſed potius augetur. Ergo ex defectu hujus æqualitatis negare propriiſſimam rationem injuriæ, & injuſtitiæ ex parte juris læſi, intolerabilis ſententia eſt. Quis enim æquis auribus audit offenſam & injuriam unius hominis erga alium veram injuriæ rationem ſortiri, ad cujus recompenſationem ſtricte tenetur ex juſtitia; offenſam autem hominis erga Deum non eſſe injuſtitiam, neque injuriam ſtricte dictam, cum majus jus lædatur, & conſequenter, quantum eſt ex parte juris læſi, ſtrictius obligetur homo ad recompenſandum, quamvis ex conditione ſubjecti, cui impoſſibile eſt ęquale reddere ex juſtitia ſtricta, id non poſſit „.

VI. Hæc eſt itaque prima radix injuriæ, & offenſæ, quæ Deo per peccatum irrogatur, in qua plures aliæ continentur, ſicut plures quoque ſunt in ſupremo Legiſlatore, & ultimo fine Deo perfectionis & bonitatis rationes. Hinc peccator offendit Deum ut ſumme ſanctum, cui neceſſe eſt ut malum omne culpæ, quod ipſi adverſatur, ſumme diſpliceat. Offendit ut ſumme bonum, cui magna infertur injuria, dum minus bonum illi præfertur, ac pluris æſtimatur. *Quicumque enim* (notat S.Thomas quæſt. 28. de verit. art. 2.) *rem aliquam digniorem indigniori poſtponit, injuriam ei facit, & tanto amplius, quanto res eſt dignior. Quicumque autem in re temporali finem ſibi conſtituit, quod facit omnis peccans mortaliter, ex hoc ipſo, quantum ad affectum ſuum præponit creaturam Creatori diligens plus creaturam, quam Creatorem. Finis enim eſt, qui maxime diligitur.* Offendit præterea Deum ut juſtum Judicem, dum nihili pendit pœnam, & ſupplicia, quæ comminatur. Offendit ut teſtem, dum non reveretur præſentiam ejus, in cujus oculis peccat. Ac demum offendit ut benefactorem, cui nefas grande eſt, poſt tot ab ipſo accepta beneficia, ingratum animum exhibere, floccique facere ejus voluntatem.

VII. Citatus Author *relationis ſententiæ Origenis* duobus præcipue momentis offen-

(a) Joannes a S. Thom diſp. 1. de Incarn.

offenſam Deo per peccatum illatam elevare nititur . Primo ſcilicet : quia peccata non committantur, Deo invito, ſed potius conſentiente . Si enim nollet homines peccare, nunquam reapſe peccarent. Unde nulla ipſi injuria inferri videtur : quoniam juxta doctrinam a Philoſophis approbatam, *nullus patitur injuſtum volens*. Secundo, quia facultas, qua peccatum ab homine perpetratur , ab ipſo non eſt, ſed a Deo, qui illam & conceſſit, & conſervat.

VIII. Verum hujuſmodi objectiones, quæ ex Bellii , aliorumque Atheorum officina prodierunt, jam ſæpius convulſæ ſunt tum a Catholicis ſcriptoribus, tum ab Heterodoxis. Et prima quidem falſa ſuppoſitione laborat . Quamquam enim peccata fiant, Deo non reſiſtente, ſive non impediente, falſum tamen eſt ea fieri, Deo volente , aut approbante, ſive conſentiente, ut inde inferri queat nullam ipſi volenti injuriam inferri per peccatum. Equidem, Deo non permittente , aut impediente , peccata non fierent. Sed hinc minime ſequitur, quod ſint ipſi voluntaria. Ut enim effectus omiſſionem conſequens ſit alicui voluntarius, neceſſe eſt ut in omittente debitum ſit , aut obligatio non omittendi. Porro Deus non tenetur defectus omnes , & peccata impedire in univerſo, in quo poſitæ ſunt creaturæ rationales & liberæ, quæ bonæ ſunt , prout a Deo, ſe ipſis tamen defectibiles. Quin immo neque poſſunt defectus omnes a Deo impediri ſine violatione ejus, quod juxta ordinem præfinitum neceſſarium, aut conveniens eſt ad bonum totius Univerſi , cujus conſervationem ſibi debitam fecit. Unde neque lucem tollere debuit, qua conſpicimus objecta , neque aerem deſtruere , per quem feruntur ad aures ſonitus, neque mutum facere hominem : quia viſu , auditu, aut lingua peccamus, aut inde ſumimus peccandi occaſionem.

IX. Atque hinc pariter corruit quod ſubjicit Author de potentia peccandi . Deus namque liberam homini facultatem conceſſit eligendi quidquid ipſi libuerit, ita exigente rerum ordine conſtituto. Verum hæc facultas a Deo conceſſa nedum peccati gravitatem non tollit, aut imminuit, quin potius adauget: dum rebellis homo hoc excellentiſſimo dono, quo cæteris creaturis eminet, ac dominatur , in ipſius ſupremi Largitoris injuriam abutitur. Quemadmodum ſiquis ex infima conditione ad ſublimem honoris gradum proveheretur a Principe, amplaque ipſi in alios ſubditos poteſtas conferretur, longe enormior eſſet ingrati animi culpa , ſi ea ipſa poteſtate adverſus Principem uteretur. Hac oppido conſideratione deterritus eſt a delicto ſanctus ille Patriarcha Joſeph, dum ab impudica Muliere ſollicitaretur. *Ecce*, reſpondit , *Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi præter te &c. Quomodo ergo poſſum hoc malum facere & peccare in Deum meum?*

X. Exploratum itaque eſt per peccatum offendi Deum, eique injuriam preſſe dictam irrogari. Sequitur ut etiam principium alterum conſtituamus, hanc ſcilicet offenſam, aut injuriam gravitatis eſſe infinitæ, adeoque dignam ut pœna quoque ſaltem duratione infinita puniatur. Hoc autem uſitato argumento facillime evincitur . Nam gravitas injuriæ, ut cuilibet perſpectum eſt, deſumitur ex dignitate , aut excellentia perſonæ offenſæ moraliter totam dignitatem ſuam veluti refundentis in injuriam, qua læditur. Unde eſt vulgare illud, veriſſimumque proloquium: *honor eſt in honorante, injuria in offenſo*. Cum igitur Deus ſit dignitatis, & excellentiæ infinitæ, injuria ipſi per peccatum illata, erit moraliter, ſive in prudenti ęſtimatione infinita. Hoc exemplo manifeſtius fit injuriarum, quæ inter homines ſæpe contingunt. Quoniam ſi perſonæ infimæ conditionis inferatur injuria, quæ ſit e. c. gradus unius, quo altius aſcendit dignitas perſonæ læſæ, eo amplius creſcit offenſæ gravitas. Hinc injuria irrogata militi, vel equiti major illa ab omnibus æſtimatur , quæ irrogatur Plebejo : & quæ infertur Principi ea ma-

major, quæ infertur militi, vel equiti; quia Princeps equitem, eques plebejum dignitate præcellit. Cum igitur dignitas Dei omnem creaturæ dignitatem excedat, & quidem in infinitum, non poteſt non eſſe itidem infinita offenſa, quæ ipſi infertur per peccatum. Hac olim ratione uſus eſt Salvianus *lib. 6.* de Provid. cap. 7. inquiens: *Si illuſtrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari a quoquam licet: & ſi quiſquam exhonoravit, decretis legalibus reus ſiſtitur, & injuriarum Author jure damnatur; quanto utique majoris piaculi crimen eſt injurioſum quempiam Deo eſſe? Semper enim per dignitatem injuriam perferentis creſcit culpa facientis, quia neceſſe eſt, quanto major eſt perſona ejus, qui contumeliam patitur, tanto major ſit noxa ejus, qui facit.*

XI. Ex his ergo efficacia propoſitæ rationis eniteſcit. Injuria ſiquidem cuicumque perſonæ irrogata pœnam aliquam meretur, eoque graviorem, quo major eſt dignitas, & excellentia perſonæ offenſæ. Unde humana juſtitia graviore ſupplicio plectit, qui Principem percutit, aut injuria afficit, quam qui equitem, aut militem, aut ignobiliorem perſonam. Cum itaque injuriam Deo per peccatum illata infinita ſit ob infinitam Dei dignitatem, & excellentiam, infinita quoque pœna digna eſt, adeoque æterna. Hæc enim ſola pœnæ infinitas penes durationem creaturæ convenire poteſt.

XII. Tilotſonus Anglus hanc rationem minus efficacem putat, duplicique argumento oſtendere nititur offenſam Deo illatam per peccatum non eſſe infinitam, tum quia nempe, ait, neceſſe foret, quod peccata omnia eſſent æqualia: neque enim in infinito magis, & minus cogitare, aut conſtituere fas eſt. Porro ſi omnia peccata æqualia ſunt, æquali quoque pœna punientur in alia vita: quod & rationi repugnat, & apertis ſacræ Scripturæ teſtimoniis. Tum quia ſi omne peccatum infinitam habet gravitatem, quia lædit majeſtatem Dei infinitam, eadem ratione quælibet vel minima pœna cenſeri poterit infinita, quia infertur a juſtitia Dei infinita.

XIII. Hoc poſtremum argumentum adeo frivolum, & ineptum eſt, ut mirum ſit ab illo ſcriptore alioquin non indocto potuiſſe proferri. Quis enim non perſpicit quam latum diſcrimen ſit inter injuriam Deo illatam per peccatum, & pœnam a Deo propter peccatum inflictam? Nimium quippe evidens eſt augeri offenſæ gravitatem juxta offenſæ perſonæ dignitatem: quia hæc veluti refluit, ac redundat in ipſam offenſam: non vero augeri pœnam in ſeipſa, ſive etiam moraliter, quod a digniore perſona infligatur. Profecto ſi pœnæ valor augeretur ad punientis dignitatem, jam alapa, aut quævis alia leviſſima pœna a Principe inflicta ſatis eſſet ad reparandam injuriam graviſſimam ipſi irrogatam a Plebejo: quod nulli ne in mentem quidem venit.

XIV. Primum vero communem difficultatem promovet, quæ jam a Theologis ſæpius diſcuſſa, atque eliquata eſt. Ex quibus alii numero & authoritate potiores reſpondent, peccatum quidem omne in ratione offenſæ paſſivæ Dei eſſe ἁπλῶς, ſeu ſimpliciter infinitum, quia deprimit Perſonam infinitam: non tamen infinitum eſſe omnibus modis. Actio namque moralis ex pluribus aliis capitibus pendet, ex quibus levior, graviorque ſumitur peccatorum malitia. Unde licet præciſa injuriæ Dei ratio in peccatis quibuſcumque lethalibus æqualis ſit, gravitas tamen, quæ ex objecto, circumſtantiis, aliiſque capitibus hauritur, poteſt eſſe inæqualis juxta objectorum, & circumſtantiarum inæqualitatem. Sicut opera Chriſti Domini inæqualis erant meriti, ac valoris, attenta objectorum qualitate: ſed omnia ex infinita Perſonæ dignitate, & excellentia infinitum hauriebant, ac veluti ſugebant valorem. Addunt etiam in ipſa injuriæ ratione quamquam infinita inæqualitatem concipi poſſe ex parte inferentis injuriam, qui majori minorive conatu eamdem inferre, ac intentare valet. Quemadmodum qui Regem de throno deturbare machinatur, & ad

Digitized by Google

vilis mancipii conditionem deprimere, omnium humanarum injuriarum maximam illi inferret. At nihilominus depreſſionem eamdem majore quis conatu, odio, & averſione attentare poteſt, gravioremque adeo ex parte ſui injuriam irrogare. Sic igitur etiam quilibet lethaliter peccans infinitam irrogat Deo injuriam, dum ab eo quoad affectum aufert ultimi finis prærogativam: in qua gradus aliqui concipi nequeunt; poterunt tamen injuriæ eſſe in prudentum æſtimatione inæquales ex parte peccantis propter diverſitatem conatus, & averſionis, qua inferuntur.

XV. Alii vero Theologi negant quidem injuriam Deo illatam eſſe ſimpliciter infinitam, docentque ſolum eſſe infinitam κατά τι, ſeu *ſecundum quid*. Sed ex horum etiam ſententia nullum commodum reportat Tilotſonus. Siquidem & ipſi contendunt, ac probant peccatum lethale dignum eſſe pœna ſempiterna. Quia, inquiunt, peccatum mortale, cum ſit gravis offenſa Perſonæ infinitæ ſimpliciter excellentiæ, licet imperfecte, & inadæquate cognitæ, malitia inficitur ſuperioris ordinis ad malitiam quarumcumque offenſarum contra creaturas majorum, majorumque in infinitum, adeoque ex ſe meretur pœnam ſuperioris ordinis ad pœnam debitam quibuſcumque offenſis contra creaturas majoribus & majoribus in infinitum. Porro hujuſmodi pœna peccato debita non poteſt eſſe niſi ſempiterna. Eam igitur peccatum mortale promeretur, ac proinde juſte illam ſupremus Judex poteſt infligere pro peccato.

XVI. Hinc conſentiunt omnes ad unum Theologi ad condignam pro lethali peccato ſatisfactionem oportuiſſe Divinum Verbum humanam naturam aſſumere, nec purum hominem ad æqualitatem potuiſſe ſatisfacere. Ad condignam enim ſatisfactionem neceſſe eſt ut tantus ſit valor ipſius, quanta eſt gravitas injuriæ. Valor autem ſatisfactionis puræ creaturæ quantumvis etiam donis ſupernaturalibus ornatæ, nunquam adæquare valet gravitatem injuriæ divinæ. Quia valor ſatisfactionis creaturæ, cum ſit ejuſdem ordinis ac ipſa creatura, longe ſemper inferior eſt ad gravitatem offenſæ in Deum commiſſæ, quæ ad altiorem ordinem, videlicet divinum pertinet. Quam rationem non proprio ipſi ingenio excogitarunt, ſed ab Eccleſiæ Patribus acceperunt (*a*), eamdemque tradidit Patrum diſcipulus & interpres S. Thomas tum 3. *par. q.* 1. *art.* 2. *ad* 2., tum *in* 3. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 2., ubi hæc habet: *ad hoc, quod ſatisfactio eſſet condigna, oportebat, quod haberet virtutem infinitam: quia peccatum, pro quo fiebat ſatisfactio, infinitatem quamdam habet ex tribus: primo ex infinitate divinæ Majeſtatis, in quantum offenſa fuerat per contemptum inobedientiæ: quanto enim major eſt, in quem peccatur, tanto gravior eſt culpa &c.*

XVII. Ex hac ergo communi Patrum Theologorumque doctrina colligere pronum eſt, tantam eſſe in peccato offenſæ Dei gravitatem, ut æterna pœna puniri mereatur. Si enim tanta eſt injuria, ut nulla ſatisfactione creaturæ quantumlibet excellentis, ex æquo compenſari potuerit, ſed ad condignam ſatisfactionem oportuit, ut Unigenitus Dei Filius humanam naturam ſuſciperet, neceſſario inferendum eſt æternam mereri pœnam. Siquidem, quod ita pravum eſt, ut nullis bonis actionibus diuturno quantumvis tempore continuatis, compenſari, & exæquari valeat, procul dubio pœnam meretur quovis tempore finito prolixiorem, atque adeo ſempiternam.

XVIII. Jam vero finem attigimus hujuſce libri, ac totius operis *de Futuro Impiorum Statu*. Satis mihi demonſtraſſe videor in primo libro exiſtentiam alicujus pœnæ impiis omnibus in

(a) S. Auguſt. *in Enchirid.* cap. 118., S. Ambroſius lib. 6. in Luc. cap. ult, Sanctus Baſilius in Pſal. 48, S. Leo Magnus ſerm. 1. de Nativ., S. Cyrillus lib. de recta fide, S. Fulgentius lib. de Incar. cap. 4, & lib. 9. ad Traſim. cap. 1., Proclus Epiſc. in Conc. Epheſ., & alii.

in futura vita infligendę. Pœnę hujus qualitatem accurate, quantum arbitror, deſcripſi in ſecundo libro ex clariſſimis Dei oraculis in ſacra Scriptura propoſitis, Patrumque Eccleſię doctrina. In tertio demum ejuſdem pęnæ durationem ſempiternam ex iiſdem fontibus luculentiſſime oſtendi, palamque feci nullum ſuppetere ſive Socinianis, ſive nuperis Origeniſtis aut latibulum, quo ſacrarum litterarum, & perpetuę traditionis Eccleſię vim effugiant, aut pręſidium, quo errorem ſuum tueri, vel defendere queant. Toti igitur operi coronidem impono graviſſima Sancti Petri Chryſologi ſententia, qua homines a lethali ſomno, unde opprimuntur, excitare nititur, & ad ſtudium accendere, curamque ſedulam negotii omnium maximi, in qua de ſumma rerum agitur, de ſempiterna ſcilicet felicitate aut miſeria. Sic ergo intimo doloris, & commiſerationis affectu gemens inclamat S. Pater ſerm. 124. *Si eſt ſub terra Tartari carcer: ſi eſt combuſtio ardens: ſi eſt inferus ſine fine crucians: ſi eſt apparitor triſtis, qui nos ad iſta rapiat poſt ſæculi labores; Quid ſtupemus? Ubi ſumus? Quis eſt iſte, qui nos eludit, ſomnus? Quæ eſt iſta, quæ nos tenet, oblivio lethalis? Quare non omnibus contemptis evadendi a malis talibus nobis ſola ſit cura, ne viventes mundo, ne aliis currentes, ad tantas, tales, tam crudeles ſubito rapiamur pœnas? Et ſi eſt aſcendendi poſſibilitas ad ſuperna: ſi eſt facultas vivendi in cæleſtibus: ſi eſt Abrahæ ſinus bonis omnibus ad requiem præparatus..... Quare non cælo mutamus terram? Quare non caducis emimus æterna? Quare non perituris manentia comparamus? ut & ſupplicia devitemus inferni; & hæc, quæ audire deſideramus anguſte, late videre, habere, & tenere poſſimus.*

Finis Tertii ac poſtremi Libri.

I N:

INDEX

Rerum Notabilium, quæ in hoc Opere continentur.

A

ADamus. Sententia in ipſum lata poſt peccatum quomodo intelligenda. pag. 213. & 214.

Ægyptii. Horum doctrina de ſtatu futuræ vitæ, 65. & 66. An Metempſicheſis commentum tenuerint. 66.

Æternitas pœnarum Inferni omnium terribilior conditio, 193. Quinam eam negarint, & negent, ibid. uſque ad 197. Quo pacto eam oppugnent nuperi Origeniſtæ, 196., & Sociniani, 197 Triplex vox in Hebraica lingua ad æternitatem ſignificandam adhibita, 198. & 199. Quænam Græcæ dictiones æternitatem preſſe acceptam deſignent, 199. & ſeq.. Judicium S. Auguſtini circa Græcam vocem *aionion*, quæ æternum Latine ſonat, defenditur, 200. &c. V. Teſtamenti authoritates, quæ pœnam damnatorum æternam enunciant, 202. &c. & 206. & ſeq. Authoritates N. Teſtamenti, quæ eandem exprimunt, 204 &c. & 208.

Æterni vocabulum, dum in ſacris libris de reproborum pœna dicitur non pro diuturna, ſed pro nunquam deſitura duratione ſumendum eſt, 216. Aut æterna admitti debet damnatorum pœna, aut æterna etiam negari Beatorum gloria, 218. &c. Non admiſſa reproborum æterna miſeria, a falſitate vindicari nequit ſcripturarum Authoritas, 219. Eam præter Chriſtianos credidere, & credunt Judæi, aliæque plures infideles nationes, 284. & ſeq. Repudiare nequit eo titulo, quod cum ideis noſtris minime conſentiat, 289. & ſeq. Non pugnat cum Dei Bonitate, & Providentia, 293 & ſeq. Neque cum Dei Pietate & Clementia, 299. & ſeq. Neque cum divina Juſtitia, 305. & ſeq., quin potius eidem admodum congruit, 310. & ſeq.

Æthiopes a Gymnoſophiſtis de futura animarum ſorte eruditi, 67.

Africæ gentes quoad animorum immortalitatem. & futuram impiorum vindictam cum cæteris conſentiunt, 92.

S. Ambroſius Archiep. Mediol. a reliquis Patribus non diſſentit quoad naturam ignis Inferni, 179. difficilis ejus locus explanatus, 179 & 180. Errorem Origenis de Damnatorum ſalute non docuit, 281. Perſpicuæ ipſius ſententiæ de pœnarum Inferni æternitate, ibid. &c.

Americani populi animorum immortalitatem profitentur, bonorumque, ac malorum futuram retributionem, 92. 93. 94. Quin & impiorum ſempiterna ſupplicia, 86 Americani hominis oratio ad Hiſpanum Præfectum habita, 92.

Anaſtaſius Papa Origenis ſententiam damnat de Damnatorum reſtitutione in vitam æternam. 262.

Anima rationalis. Ex abſurdis veterum plurium de ipſius natura opinionibus colligi nequit ab illis creditam fuiſſe mortalem, 53. connaturaliter tendit in aliquem ſtatum perpetuum vel felicitatis, vel miſeriæ pro ratione meritorum, 312.

Anonymi Berolinenſis Theologi nimia confidentia in aſſerendo ferme communi Theologorum conſenſu de igne Inferni metaphorico, 147 &c. Quam temere id ab ipſo affirmetur, 148. Solida ejus animadverſio contra nuperos Origeniſtas, 290.

Anonymus Author *Demonſtrationis reſtitutionis rerum omnium in Deum* Origenianæ cauſſæ patrocinium ſuſcipit, 256. in libro Apocalypſis præcipuum ſententiæ ſuæ præſidium quærit, ibid. Ejus ſomnia diſcutiuntur, 257. & ſeq.

Anonymus Author *Religionis homini eſſentialis* Origeniſtarum ſententiam propugnat de damnatorum ſalute, 198. Ejus reſponſa ad verba a Chriſto prolata de Juda proditore, quam nugatoria, 226. Divino Redemptori perperam attribuit, quod ſoli Judæ convenire poteſt, ibid. Ejuſdem antilogiæ, 227., & 291. Potiſſimum ipſius argumentum contra ſempiternam reproborum miſeriam diluitur, 293. & ſeq. Tanquam exploratum ſupponit quod eſt in quæſtione, 296. Futilis ejuſdem animadverſio circa approbationem a Deo factam ſuorum operum, 297. &c.

Apollonius Juncus quid ſcribat de futuro bonorum præmio, & malorum ſupplicio, 97., & 285.

Apocalypſis liber clariſſima habet de igne Inferni corporeo documenta, 155., & 166. & de pœnarum Inferni æternitate, 205., & 257. &c Licet obſcura multa contineat, multa etiam adeo aperte tradit, ut nullum relinquant controverſiæ locum. 259.

Arcades. Deſcriptio loci, ac pœnarum Inferni ex ipſorum relatione, 65.

Ariſtoteles Deum teneri docuit juſtis & injuſtis pro meritorum ratione tribuere, 48. Perperam ipſi affigitur error de animorum interitu, 76. &c.

Athenagoras Philoſophus Chriſtianus ex divina Providentia arguit exiſtentiam futuri ſupplicii, 43., & 44.

S. Auguſtinus terribilis judicii Dei memoria ſe abſtractum fatetur a voluptatibus carnalibus, 1. & 2. Conſtanter tenuit ignem inferni verum eſſe, non metaphoricum, 173.. & 174. Ejus expoſitio Græcæ vocis *aonion* defenditur, 200. & 201. &c. Præclaræ ipſius ſententiæ de comminationibus a Deo factis. 113. de ſempiterno damnatorum ſupplicio, 208., & 219. De Damnatorum vita, 212. &c. De morte, quam Deus Adamo minatus eſt, 214. De duabus reſurrectionibus a Scriptura memoratis, 258. De juſtitia pœnæ æternæ pro temporariis peccatis inflictæ, 307. &c. Injuria traducitur a Petavio ac ſi pœnas Inferni mitigandas docuerit, 246. &c. Pœnam purgatoriam admiſiſſe dubitari nequit, ibid. &c. Refellit, qui nonnullos ex Inferni cruciatibus tandem eruendos docuerant, 240., & ſeq. Ejus judicium de Origeniſtarum ſententia quoad reproborum converſionem, & ſalutem, 264., & 265.

Auſter & Aquilo quo ſenſu in Scriptura aliquando accipiantur.

B

S. BAſilius Magnus Inferni ignem materialem poſuit, 572. Ejus argumentum contra Origeniſtas, 219. Quid ſcribat de pœnarum æternitate, 271. &c.
Bellius Petrus errori receotium Origeniſtarum patrocinatur, 595. Fatetur communem eſſe Eccleſiarum omnium conſenſum de ſempiterna impiorum pœna, 267. Calumniatur ordinem divinæ Providentiæ circa rationales creaturas, 296. Ejus offuciæ diſcutiuntur, ibid. &c. Deum creaturas ad æterna ſupplicia damnantem veluti crudelem exhibet, 299. Falſa ejuſdem imaginatio, 300. Inepte argumentatur adverſus juſtitiam æternæ pœnæ damnatis inflictæ, 316. &c.
Bonum totius Univerſi eſt finis præ cæteris intentus a divina Providentia, 297. &c. Exigit ut nocentes pro meritis puniantur, 302.
Bonzii apud Japponienſes horrende admodum cruciatus Inferni repræſentant, 88.
Boſſuet Benignus. Ejus expoſitio in Apocalypſim laudata, 259.
Bragmanes antiqui eadem, quæ Plato ſenſerunt de animæ immortalitate, & judiciis apud inferos, 64 Recentiores eamdem doctrinam retinuerunt, 89 &c. Pœnarum æternitatem profitentur, 286.
Braſilienſium de futura vita opinatio, 94.

C

CAfri futuram operum retributionem non ignorant, 91.
Calvinus, & alii ex ejus diſcipulis ignem Inferni metaphorice exponunt, 147.
Canadenſes, ac finitimi populi bonorum in alia vita felicitatem, & malorum miſeriam credunt, 93., 94. &c.
Caraibæ Americani immortalitatis animorum notitia deſtituti non ſunt, 93.
Catharini Ambroſii ſententia de igne Inferni metaphorico a Catholicis omnibus reprobata, 546.
Chaldæi animas immortales poſuerunt, eaſque pro meritis vel præmio affici vel pœna, 63, & 64.
Chriſti verba de Juda proditore expenduntur, 224. Æternitatem pœnæ ejuſdem ſupponunt, ibid. &c. Quomodo dicatur Chriſtus ſubjectus futurus Patri, 254., & inſtauraſſe omnia, quæ in terris & quæ in cælis ſunt, 255.
Chriſtiani. Nonnulli omnes Chriſtianos ab inferis tandem eruendos putarunt. 238. &c. Refelluntur, 239. &c. Huic opinationi nullatenus ſuffragantur Scripturæ, 240. Nec Divus Hieronymus, 241. & ſeq.
S. Petrus Chryſologus. Ejus ſententia de divite in Gehennæ flammis cruciato, 273., De hominum ſocordia in æternæ ſalutis negotio, 325.
S. Jo. Chryſoſtomus egregie oſtendit futuram impiorum punitionem ex Dei Providentia, ac Juſtitia, 45. & 46. Communem teſtatur ſemper fuiſſe de futura impiorum vindicta perſuaſionem, 55. &c. Præclara ejus ſententia de morte, quam Deus comminatus eſt Adamo, ſi peccaſſet, 213. &c. Non credidit reproborum pœnas aliquando mitigari ut cenſet Petavius, 246.
Cicero Marcus Tullius divinam Providentiam de hominum actionibus defendit, 50. &c Ad ipſam pertinere credit & bonos præmio afficere, & malos ſupplicio, ibid. Ejus teſtimonium de omnium conſenſu quoad animæ immortalitatem, 51. In ejus mentem de futuro animorum ſtatu accurate inquiritur, 82. &c. loca, quæ ex ipſo objici ſolent ibid., & 83. Animos æternos & immortales poſuit, ibid., bonis ſapientibuſque præmium in cælo conſtituit, ibid. Sortem malorum futuram infelicem cenſuit, 84. Impios apud inferos puniri aſſeruit, ibid.
Clementia, ut virtus ſit, ſecundum rationem eſſe debet, 299. Æterna damnatorum pœna non pugnat cum Dei clementia, ibid. & ſeq.
Clericus Joannes falſo obtrudit ſententiam de igne Inferni materiali habitam fuiſſe, velut adiaphoram ab Eccleſiæ Patribus, 567, & 578. Favet Nuperis Origeniſtis, & Socinianis, 595. Quo pacto eludat Scripturas, quæ pœnarum Inferni æternitatem aperte denunciant, 228. Et immutabilitatem divini decreti de impiis puniendis, 235. Refellitur, ibidem, &c.
Collinius Antonius Anglus contendit admiſſa etiam Chriſtianæ Religionis veritate non eſſe certam pœnarum futurarum exiſtentiam, 110. Quam futilis, & vana ſit ejus opinatio, ibid. & ſeq.
Conſcientiæ remorſus, nomine *vermis* ſæpe in ſacris libris exprimitur, 530 &c. triplici capite in Damnatis oritur, 533. &c. Pulcra hujus pœnæ expoſitio facta a Victore Antiocheno, 532.
Conſenſus omnium hominum firmiſſimum eſt pro veritatibus maxime moralibus argumentum, 52. Non ab alio fonte proficiſci, quam ab interiore quodam naturæ teſtimonio, 96. & ſeq. Communi conſenſui non obeſt aliquorum diſſenſus, 101. & ſeq. Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt, 103., & ſeq. ex eo invicte probatur futuræ animadverſionis impiis paratæ veritas, ibidem, & ſeq.
Creatura rationalis connaturaliter tendit in ſtatum perpetuum ſive præmii, ſive pœnæ, 312. &c.
Crudelitas. Quiſnam merito ſævus, & crudelis cenſeatur, 300. &c.
S. Cypriani ſententiæ de vero, ac reali inferorum igne, 569. De ſempiterna reproborum pœna, 269. &c.
S. Cyrillus Hieroſol. ex Dei juſtitia omnino admittendam probat futuram Impiorum vindictam, 44. &c Ejus teſtimonia de Inferni igne, 571. De pœnarum æternitate. 271.
Cyrus Perſarum Rex. Ejus verba ad filios de animorum immortalitate, 64.

D

DÆmones, licet in hac tellure, vel in aere verſentur, ſuam ſemper ſecum deferunt damnationem, & pœnam, 140. Ipſorum artificio factum eſt, juxta S. Baſilium, ut plures pœnarum æternitatem negaverint, 193, 212 &c. Eadem momenta, quæ intercludunt ipſis aditum ad ſalutem, intercludunt etiam reprobis hominibus, 238.
S. Jo. Damaſcenus cum aliis Eccleſiæ Patribus conciliatus quoad naturam ignis inferni, 184. Et quoad mitigationem pœnæ damnatorum, ob viventium preces, quam ab ipſo creditam cenſet Petavius, 248.
Damnati ſumme cruciantur ex privatione viſionis Dei, 523. Ex Beatorum gloriæ conſpectu, 524. Ex memoria voluptatum, quas in hac vita perceperunt, 525. Non æque omnes puniuntur, ſed pro ratione meritorum, 527. &c. Damnatorum ſocietas non minuit pœnam ipſorum, ſed potius adauget. 542. Pœnæ eorumdem æternæ ſunt, 202. & ſeq. ſemper moriuntur, quin unquam vitam finiant, 206. Infelix ipſorum ſtatus cur *vita* non vocetur, 212., Aditus omnis merendi, & agendi pœnitentiam ipſis præ-

præcluſus eſt, 310. & ſeq. Ira Dei manet ſuper illos, 222. &c. Perpetua ipſorum excluſio a gloria beata nequit admitti, quin & eorundem æterna poſitiva pœna admittatur, 234. Num ſaltem aliqui a ſempiternis ſuppliciis liberandi ſint, 237. & ſeq. Variæ de hoc veterum, recentiorumque opinationes refutantur, 235. &c.

Damnatorum pœnæ nullam habituræ ſunt mitigationem, ſive hæc per decrementum, ſive per intermiſſionem cruciatus explicetur, 244. & ſeq. Quinam oppoſitum ſint opinati, ibid. His non ſuffragantur neque S. Auguſtinus, neque S Jo. Chryſoſtomus, aliive Patres, 246. & ſeq. Pro Damnatis Eccleſia non orat, 248. Quo ſenſu *poſt multos dies* apud Iſaiam *viſitandi* dicantur, 249. &c. Sunt obfirmati in malo, 228. De peccatis pœnitent abſque averſione voluntatis, 223. Cauſſæ eorundem obſtinationis in malo, 228. Per peccata, quæ in Inferno committunt, proprie non merentur pœnam, quam patiuntur, 316. &c. Odia & blaſphemiæ quas in Deum evomunt pertinent ad ipſam damnationis pœnam, 317. Juſtitiæ & Providentiæ leges non exigunt ut vel convertantur, vel deſtruantur, ibid. &c. Quin immo congruentius in eſſe conſervantur, ibid. Non ideo æternum puniuntur, quia æternum peccent, ſed quia peccando meruerunt, ut tandiu punirentur, quandiu inordinatio manrret, hoc eſt in æternum, ibid. Vide V. *Æternitas*, & V. *Pœna*.

Damnationis vocabulum etiam ad temporariam punitionem ſignificandam aliquando refertur, 247.

Danielis Prophetæ luculentum teſtimonium de æternitate pœnarum Inferni, 204. &c.

David Propheta temporali impiorum proſperitate ſe valde commotum fatetur. 39. Inferni ignem diſerte memorat, 150., &c. & pœnarum ejuſdem æternam durationem 202. Quo ſenſu ipſi promiſſum fuerit regnum ſempiternum, 216.

Dentium ſtridor in Damnatis unde proveniat, 145.

Deus eſſentia ſua virtutem amat, & approbat, vitium autem averſatur, & odit, 25. Dei amor erga virtutem, & odium erga vitium ſine voluntate efficaci & illam præmiandi, & hoc puniendi concipi nequeunt, 29. & ſeq. Aut negandum eſt Deum exiſtere, aut admittendum eſſe Proviſorem rerum omnium ac præſertim humanarum, ibid. & 114. Deus in hac vita non punit impios pro ratione meritorum, 30. & ſeq. Ejus exiſtentia ex omnium gentium conſenſione firmiſſime adſtruitur, 52. In pœnis exigendis pro delictis ſolius creditoris rationem non habet, 112. Dubitare minime licet, quin impiis ea ſit inflicturus ſupplicia, quæ comminatus eſt, ibid. & ſeq. Dei privatio maxima Damnatorum pœna, 123. &c. Quamquam abſoluta poteſtate Damnatos eripere queat ab æterna pœna, id poteſtate ordinaria, ſive ordinata præſtare nequit, 229. Dei decretum de impiis perpetuo puniendis abſolutum eſt, non mere comminatorium, ibid. & ſeq.

Deus pœnam æternam comminatus non fuiſſet, ſi eam juſte inferre non poſſet, 232. Ejus immutabilitas, veracitas, ſapientia, ac juſtitia excludunt æternæ pœnæ remiſſionem confictam ab Origeniſtis, 254. & ſeq. Quo ſenſu dicatur futurus *omnia in omnibus*, 254. Doctrinam de æterna impiorum miſeria primis parentibus revelaſſe credendum eſt, 287. &c. Non delectatur in punitione reproborum nec illam propter ſe quærit, ſed propter ſuam juſtitiam, 300. &c. Punire nequit ſupra peccantis meritum, 306. &c De ſuo bonus eſt, de noſtro juſtus, 307. Juſte infligit peccatoribus pœnam æternam, 315. &c. Non tenetur defectus omnes impedire in univerſo, 322. Immo neque impedire poteſt ſine violatione boni totius Univerſi, ibid. &c. Magis elucet ejus bonitas, dum Damnatos in eſſe conſervat, quam ſi in nihilum redigat, 317.

Dii Gentium homines plerumque fuerunt, 55. &c.

Dionyſii Carthuſiani ſententia de duplici reſurrectione, quam ſacræ litteræ memorant, 258.

Diphili Comici pulcherrima ſententia de divina humanarum actionum cognitione, & impiorum punitione, 51.

Divitis Epulonis parabola ignem Inferni corporeum probat, 164. ac ejus æternitatem, 230.

E

Eccleſia nunquam pro damnatis orare conſuevit, 248. Origenis ſententiam de Damnatorum Apocataſtaſi ſemper improbavit, 361. & ſeq., & 266. Etiam Eccleſiæ Schiſmaticæ ſententiam eamdem ſemper damnarunt, ac damnant, ut Chriſtianæ fidei contrariam, 266. &c.

Epicurus, & Epicurei negarunt futuram vitam ſive beatam, ſive miſeram, 2. animam interitui obnoxiam fecere, 78. Parvo apud Veteres in pretio habiti ſunt, ibid. Unde ipſorum error proceſſerit, ibid., & 69. Impia eorum doctrina vulgo rejecta, 79. Pœnæ in ipſos a Paganorum Magiſtratibus decretæ, ibid. &c.

S. Epiphanius Origeni acriter exprobrat futuram Diaboli converſionem ac ſalutem, 262. &c.

Evangelium frequenter memorat futura impiorum ſupplicia, 105. &c. Divinam ejus authoritatem Deiſtæ & Increduli non niſi imprudentiſſime rejiciunt, 91. & ſeq.

Eunomiani putarunt futuras pœnas ob metum duntaxat incutiendum in ſacris litteris denunciari, 4.

Euripidis teſtimonium de divina juſtitia, 51. & 71.

Euſebii Sophiſtæ de futuris ſuppliciis ſententia, 78.

Euſebius Cæſarienſis ignem Inferni corporeum docet, 320. &c. & æternam ejus durationem, 281. &c.

F

Fabulæ a Poetis confictæ veri ſignificandi gratia 69. &c.

Februa a Romanis inſtituta ex perſuaſione immortalitatis animorum, 81.

Fides ſine operibus neminem ſalvat ab æterna damnatione, 289. Quin potius majori pœna dignos improbos efficit, ibid.

Frigus an inter damnatorum pœnas admittendum ſit, 143. & ſeq. Vide V. *Pœna*.

S. Fulgentius verum inferorum ignem agnoſcit ut Fidei dogma, 176. & ſempiternum reproborum exitium, 265.

G

Gauri veterum Perſarum doctrinam de futuris impiorum pœnis religioſe ſervant, 91.

Gehennæ nomen pro inferorum loco paſſim in novo Teſtamento uſurpatur, 137. Unde originem traxerit, ibid. & 138. Etiam ante Chriſtum apud Hebræos in vulgari lingua ſumebatur pro Inferno, ibid. Denotat locum ubi magnus nutritur, aut continetur ignis, 154. & 165.

Gennadius tamquam delirium reputat ſententiam Origenis de Damnatorum converſione, & ſalute, 265. &c.

Gentilium placita de futura impiorum punitione, 62. uſque ad 86. Plures eam ſempiternam eſſe crediderunt, 284. & ſeq. Unde inter illos hujuſmodi do-

ſtrinæ traditio propagata fuerit, 287. Argumentum, quod inde conficitur adverſum Origeniſtas, & Socinianos, ibid., & 289.

Græci, græcorumque ſapientes perſuaſam habuere futuram impiorum miſeriam, 69. uſque ad 80. Et etiam ſempiternam aliquorum punitionem, 284.

Græci uſurpant vocem *hadis*, ſive Inferni nedum pro reproborum ergaſtulo, ſed etiam pro loco in quo piorum animæ purgandæ detinentur, 248.

S. Gregorius Magnus corporeo igne reprobos cruciandos eſſe conſtanter docuit, 174. Locus ejuſdem de hac re corruptus emendatus, ibid. Præclaræ ejus ſententiæ de pœnæ impiorum æternitate, 206. & 207. Refellit Origeniſtas, 219. Invehitur in eoſdem, 265. &c.

S. Gregorius Nazianzenus Origeniani erroris labe falſo creditur adſperſus, 279. Quædam ejus loca a quibuſdam objecta declarantur, 280. &c.

S. Gregorius Nyſſenus perperam traductus ac ſi verum Inferni ignem negaverit, 182. &c. mens ipſius luculenter exponitur, ibid. &c. Origenis errorem de Damnatorum Apocataſtaſi non eſt amplexus, 277. &c. Quædam ejus opera interpolata fuerunt ab Origeniſtis, 278.

Grotius Hugo. Egregia ipſius doctrina de jure Rectorum quoad pœnas reis infligendas, 111. &c. Inepta ejuſdem expoſitio cujuſdam Iſaiæ textus, 152. Jure a Vitringa caſtigatus, ibid. Patres nonnulles Origenis ſententiam de impiorum miſeria aliquando deſitura prædocuiſſe falſo tradit, 267. & 274. &c. Refellitur, 274. &c. Ejus judicium de pœnis, quæ reis irrogantur, 265.

Guineenſes populi vita functos in alium mundum migrare credunt, 92.

H

HEſiodus Tartarum impiorum locum in terræ profundo collocat, 70.

S. Hieronymus injuria creditur probaſſe ſententiam de igne Inferni metaphorico, 173. Purgatur a ſuſpicione quod omnes Chriſtianos a ſempiterno exitio demum liberandos docuerit, 241. &c. Plura ſcripſit in Commentariis ex aliorum ſententia non approbando, ſed tantum referendo, 242. Duplex peccatorum claſſis ad ejus mentem, ibid. & 243. Origenem in pluribus erraſſe profitetur, 263 ac præſertim quoad futuram damnatorum ſalutem, ibid. & 264.

S. Hilarii ſententiæ de igne Inferni, 171. De pœnarum æternitate, 271.

Homerus ſæpe meminit futuri impiorum cruciatus, 70.

Huetius Daniel perperam S. Ambroſium iis accenſet qui ignem Inferni metaphorice exponunt, 179. Gregorii Nyſſeni mentem quoad idem argumentum aſſecutus non eſt, 182. A S. Auguſtini judicio quoad ſignificatum Græcæ vocis *aionion* immerito recedit, 200. &c. S. S. Juſtinum, & Irenæum errasſe Origenis de Inferni pœnarum termino ſaviſſe falſo tradit, 274. &c.

J

JAmblici Platonici egregia de futura vita ſententia, 72.

Japponienſes inferorum tormenta horrende admodum deſcribunt, 88. Variæ ipſorum de futura vita opiniones, ibid.

Ignis præcipuum divinæ Juſtitiæ inſtrumentum ad impios in futura vita puniendos, 145. Quinam illum tropice explicandum eſſe cenſuerunt? 146. Nedum Romana Eccleſia, ſed aliæ etiam ab ipſa Schiſmate ſejunctæ verum, ac realem eſſe crediderunt, & credunt, 147., & 148. Scripturæ Sacræ loca, quæ de igne Inferni mentionem faciunt collectim propoſita, 146. uſque ad 155. Juxta ſaniores criticæ, & hermeneuticæ regulas hujuſmodi loca in ſenſu litterali, & proprio intelligenda ſunt, 156. uſque ad 165. Idem evidenter conſtat ex examine præcipuorum textuum, qui de igne Inferni loquuntur, 160. & ſeq. Nonniſi verum ignem inſinuant, loca plura, quæ extant in V. Teſtamento, 160. &c. Senſum metaphoricum penitus excludunt, quæ Chriſtus enunciat de igne, ad quem reprobos damnaturus eſt in finali judicio, 162. &c. Sicut & Gehennæ vocabulum, quod frequenter adhibet, 164. &c. & parabola de Divite inter flammas cruciato, 165. Verum ignem adſtruunt plura libri Apocalypſis teſtimonia, 165. ac perpetua Patrum, & Eccleſiæ traditio, 167. uſque ad 178. Elegans Inferni ignis pictura ex Cypriano, & Lactantio Firmiano, 169.

Ignis nomen in ſacris libris tropica nonnunquam adhibitum haud probat ita quoque adhiberi, ubi de igne Inferni ſermo eſt, 186. &c. Neque idem colligi valet ex metaphora *vermis* ad conſcientiæ cruciatum deſignandum uſurpata, 187. &c. Inferni ignis ejuſdem eſt cum igne noſtrate naturæ, ſed differt proprietatibus, 189. Quænam probabiliter ſit ipſius materia, ibid. Nedum corpora, ſed & incorporeas ſubſtantias torquere poteſt, ac torquet, ibid. &c. Quo pacto intelligi valet ut in ſpiritus agat, ibid. & 189., aut corpora vehementiſſime torqueat citra eorum diſſolutionem, 190., & 191. Et damnatos inæqualiter cruciet, 191., 192. Vide V. *Gehenna*, *Infernus*, *Pœna*.

Ignis Sodomę & Gomorrhæ cur a S. Juda dicatur *æternus*, 205., & 217.

Impii in hac vita plerumque bonis temporalibus affluunt, 26. Quinam *impii*, quinam ſimpliciter *peccatores* dicantur ad mentem S. Hieronymi, 242.

Increduli quare abnuant veritatem futuræ pœnę impiis paratæ, 3. &c. Formidinem juſtitię divinæ vindicis nunquam omnino exuunt, 105. Evangelii authoritatem inſipienter repudiant, 107. & ſeq. De arcanis Chriſtianę Religionis myſteriis vitilitigare ſolent, omiſſis credibilitatis eorumdem fundamentis, 108. &c. Non elegantes, & culti ſpiritus, ſed feroces, inſipientes, ac fatui jure omni dicendi ſunt, 110. Etiamſi ſolum dubia foret futura impiorum pœna, eam ſtolidiſſime contemnerent, 117. &c.

Iudi veteres quoad futurum animorum ſtatum cum Platonis doctrina concordes, 64. Quid de eodem ſentiant recentiores, 89. Xachæ doctrinas paſſim amplectuntur, ibid. & 90.

Infernus certus quidam, ac definitus locus eſt, 135. ſeq. Nomina, quibus in ſacris libris appellari conſuevit, 136. Locus eſt tenebroſus, 141. & ſeq. Anguſtus ob Damnatorum præſertim multitudinem, 142. An in eo frigus ſit præter alia tormenta haud concors Patrum Theologorumque opinio, 143. Utriaſque ſententiæ affirmantis, & negantis fundamenta, ibid. & 144. Nihil eſſe videtur in ſacris litteris unde frigus in eo exiſtere ſolide probetur, 144. & ſeq. Vide V. *Damnati*, V. *ignis* V. *æternitas*. V. *pœna*.

Jobi ſententiæ de igne Inferni, 150. &c., & 160. De æterna impiorum punitione, 202., & 206. & ſeq.

S. Irenæus. Ejus ſententiæ de igne Inferni, 168. Impiorum miſeriam nunquam deſituram profitetur, 268. & 276. A quorumdam calumnia vindicatur, 275. &c.

Iſaiæ teſtimonia de igne Inferni, 151. &c. & 160. De æterna ejuſdem duratione, 208.

Judas proditor. Cur ei dictum ſit a Chriſto, *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet*, 224 Falſa foret Chriſti locutio, ſi aliquando in vitam æternam reſtituendus eſſet, ut garriunt Origeniſtæ, ibid. &c. Æterna Judæ punitione admiſſa, æterna quoque admitti debet aliorum damnatorum pœna, 227

Judæi, qui Chriſti adventum ſubſecuti ſunt, dogma de futuro impiorum ſupplicio, nemine diſcrepante, firmiter retinuerunt, 56. &c. Quid ſentiant aliqui de Judæis vetuſtioribus, 57. Hi quoque in eadem perſuaſione ſemper extiterunt, ibid. & ſeq. Solvitur adverſariorum argumentum ex Moſaica lege depromptum, 59., & 60. Sicut & illud, quod ex Eccleſiaſtæ textu, & Sadducæis arceſſunt, 61., 62. Novitii Judæi quoad futuram vitam cum Chriſtiano dogmate in pluribus conſentiunt, 86. Verum realemque admittunt ignem in Inferno, 148. & ſempiternam impiorum punitionem, 283. &c.

Judicii extremi ſententia in reprobos ferenda ignem Inferni verum ac realem lucuſlenter adſtruit, 162, & 163. &c. & pœnarum æternitatem, 204. & 230. Fruſtra eam eludere niſi ſunt veteres Origeniſtæ, 205. In ſenſu naturali & obvio intelligenda eſt, 263. &c., & 213. Abſoluta eſt, non mere comminatoria, 230. Poſt diem judicii non erit amplius merendi, vel demerendi tempus, 303. &c.

Juſtinianus Imperator. Ejus epiſtola ad Menam adverſus Origenem ab Eccleſia probata, 262.

S. Juſtinus Martyr quid ſcribat de ignem Inferni, 267. Æternas damnatorum pœnas conſtanter docuit, 267. Injuria trahitur in ſuſpicionem erroris Origeniani de reproborum ſalute, ibid. & 275.

Jus puniendi in Rectore Communitatis non eſt jus abſoluti Dominii, aut ſolius crediti, 111. &c.

Juſtitia unicuique tribuit, quod ipſi debetur, 306. Diſcrimen, quod inter Dei Bonitatem & Juſtitiam verſatur, ibid. Cur veritas in Scripturis ſæpe nominetur, ibid. Exigit ut pœna coæquetur culpæ, 305. &c. Ut ejus ordo ſervetur neceſſe eſt, ut tandiu peccator deprimatur per pœnam, quandiu adverſus ordinem inſurgit per culpam, 314. Juſtitiæ & Providentiæ divinæ leges non poſſunt, ut reprobi vel deſtruantur, vel convertantur, 317. Diverſa ratio humanæ, ac divinæ juſtitiæ in puniendis delictis, 318. Vide V. *æternitas*, V. *pœna*.

Juvenalis Poeta vindicatus a calumnia ipſi impacta, quod futura ſupplicia negaverit, 85. &c.

L

LEgumlatores humani non excogitarunt opinionem de futura Impiorum miſeria, ut ſubditos in officio continerent, 98. &c. etiamſi eam excogitaſſent, hominibus tamen ſuadere minime potuiſſent, ſi inſitis a natura notionibus non conſentiret, 99. & ſeq.

Lex Moſaica ſub figuris, ac typis rerum temporalium præſignabat bona vel mala vitæ futuræ, 59. Quo ſenſu ejus cæremoniæ in ſacris libris *æternæ* dicantur, 216. &c.

Lequienius Michael falſo credit a S. Jo. Damaſceno negatum fuiſſe ignem Inferni proprium, ac materialem eſſe, 184. &c.

Libertas arbitrii a Deo homini conceſſa non diminuit rationem culpæ, ſed potius auget, 322.

Libiarum gentes Manes Deos eſſe putabant, eoſque conſulebant, 67.

Lokius Joannes in Socinianorum placita concedit de futura Impiorum ſorte, 196. Præcipuum ejus argumentum quam futile vanumque ſit, 213. Perperam explicat verba ſententiæ in Adamum a Deo latæ, ibid & ſeq.

Lutherani quinam recentium Origeniſtarum errorem amplexi ſint, 195. quinam illum impugnaverint, 196.

M

MAgi ſumma potiebantur in Perſide, & Media authoritate, 64. Zoroaſtri doctrinam quoad futuram animi conditionem ſecuti ſunt, ibid.

Mahumedis & Mahumedanorum de vita futura placita, 86., & 87. Verum ignem admittunt in Inferno, 149., & ſempiternam Impiorum punitionem, 284.

Malabarum fides de futura vita, 90.

Martyres conſideratione ignis Inferni ſe ſe excitabant ad ſtrenue perferenda Tyrannorum ſupplicia, 167. 170., & 171., maximeque ejuſdem æternitatis, 270. &c.

Mens humana inſitam habet ideam ſive prænotionem honeſtatis, & malitiæ, virtutis & vitii, 3

Mercurius Triſmegiſtus docuit animam a corpore digreſſam redituram eſſe rationem omnium, quæ in in corpore geſſerit, 65.

Methempſycoſim nonnulli ab Ægyptiis creditam fuiſſe perhibent, 66. & a Celtis, & Gallis, 68. abſque fundamento a Pythagora invecta creditur, 72. Unde veroſimilius originem traxerit, 74. Qui hanc probarunt, probantque, reipſa non diſſentiunt a doctrina de futura impiorum miſeria, ibid. Iidem vitam ſimul ad Manes conſtituerunt, 75.

Mexicanorum, & Peruanorum de animæ immortalitate, & futuro ſtatu doctrina, 92.

Miſericordiæ opera impios ab æterno exitio non liberant, qui vita in melius non commutata decedunt, 240. &c.

Mortis, interitus, ac perditionis nomina quo ſenſu a ſacris litteris adhibita ad futuram impiorum miſeriam deſignandam, 211. &c. Cur miſera Damnatorum vita mors potius appelletur, 219. &c. Quid veniat nomine *mortis* in ſententia a Deo lata in Adamum, 213., & 214. Mos quadruplex juxta S. Auguſtinum, 214. Mors *noviſſima* quando deſtruetur,

Digitized by Google

tur, 253. Mors prima, & ſecunda, de qua ſermo in Apocalypſi quænam, 258., & 260.

N

NAturæ judicia temporum diuturnitate non delentur, 96, & 100. Nonniſi a teſtimonio naturæ profecta eſt omnium hominum firma conſenſio de animæ immortalitate, ejuſque futuro ſtatu beato, vel miſero, 96. &c. Naturæ teſtimonium nunquam fallax, 102, & 104.
Naturale deſiderium erga finem neceſſario exigit potentiam conſequendi finem, non autem actualem finis conſecutionem, 294.
Ninivitæ. Prophetia a Jona facta de illorum ſubverſione conditionata fuit, 231., &c. Quamquam conditio expreſſa non fuerit, facile tamen ex circumſtantiis ſubintelligitur, 232. & 236. Quia Ninivitæ pœnitentiam egerunt, minas in verbis ſiſti curaverunt, 232. Nullum ex facto eorumdem præſidium arceſſere ſibi poſſunt nuperi Origeniſtæ, ibid. &c.

O

OPinionum commenta diu non ſubſiſtunt, nec ab omnibus probantur, 100.
Origenes Adamantius primus creditur, qui Inferni ignem in ſenſu tropico explicaverit, 146. Ab hoc errore, plures eum vindicant, ibid. &c. Princeps omnium, qui deſitura aliquando cenſuerunt reproborum ſupplicia, 193. Hunc errorem reipſa docuiſſe negari jure nequit, ibid. Quibus Scripturæ textibus præſertim uſus eſt in ſui erroris præſidium, 249., & 251. Ob hunc errorem ab univerſa Eccleſia damnatus, 261. &c. Nonnulli ex antiquis ejus opinionem ſecuti ſunt, 193. & ſeq.
Origeniſtæ nuperi quinam dicantur, 194. &c. Origenis Apocataſtaſim inſtaurare adnituntur, 195. &c. Quo pacto ſuam ſententiam exponant, 196. Nomen *æterni* de pœna reproborum dictum perperam pro diuturna ſolum duratione accipiunt, 219. & ſeq. Deum Beatorum gloriam ſempiternam concedunt, neceſſe eſt ut ſempiterna quoque admittant Damnatorum ſupplicia, 218. &c. Peculiare quorumdam effugium proponitur, & præcluditur a 226. uſque ad 237. Scripturæ textus, quos opponunt adverſus æternitatem pœnarum, 251. &c. Quibus tamen & ipſi parum defarunt, 253. Ad rationis humanæ tribunal cauſſam de pœnarum æternitate temere avocant, 288. &c. Eam divinæ revelationi reapſe præponere convincuntur, 292., & 293. Argumenta, quæ ex humana ratione promunt adverſus pœnarum æternitatem cum eorumdem ſolutione a 297. uſque ad 325. Vide V. *æternitas*.
Oroſii commonitorium ad S. Auguſtinum de Origeniſtarum quorumdam erroribus, 264.
Orphæus, & Muſæus impios & ſceleratos in cœnum quoddam infodiunt in inferis, 70.

P

PArabola de Divite inter flammas conflagrante favet ſententiæ de igne Inferni corporeo, tametſi in ea plura ſint, quæ non niſi metaphorice accipi poſſunt, 165. &c.
Patres Eccleſiæ unanimi conſenſu teſtimonium perhibent de vero, ac proprie dicto Inferorum igne a 167. uſque ad 178 ac de nunquam deſituris impiorum ſuppliciis a 267. uſque ad 274.
Paulus Apoſtolus quo ſenſu ſcripſerit Deum concluſiſſe omnes in infidelitate, ut *miſereatur omnium*, 251. Textus, quo præſertim abutuntur Origeniſtæ in ſui erroris patrocinium, 251. Legitima ejuſdem expoſitio, 252. &c.
Peccatum pœnam meretur, 112. Oportet ut inter peccatum & pœnam ſit æqualitas, 305. & ſeq. Ut pœna peccati juſta ſit, æquari non debet durationi ejuſdem, 307. Duplex peccati genus, alterum quod *veniale*, alterum quod appellant *mortale*, 309 Duplici huic peccato duplex longe diſpar pœna reſpondet, veniali nempe temporaria, mortali æterna, 309., & 310. In quo conſiſtat diverſa utriuſque peccati ratio, 310. Peccatum mortale quam juſta perpetua pœna *damni*, ſive privativa puniatur, ibid. & 311. Quam juſte etiam puniatur perpetua pœna *ſenſus*, ſive poſitiva, 312. & ſeq. Ex eo inducit reatum pœnæ, quod pervertit ordinem, 313. &c. Quomodo ordinem pervertat, 314. Perverſio ordinis, quam inducit, de ſe irreparabilis eſt, ibid. &c. licet per gratiam Dei in hac vita reparari valeat, 315.
Peccatum offenſæ Dei proprie dictæ labem continet, 319. & ſeq. Deo opponitur & ut ſupremo Legislatori, & ut ſupremo ultimo fini, 320., ac etiam ut ſumme ſancto, ut ſummo bono, ut Judici, ut Teſti, ut Benefactori, 321. Quamvis committatur Deo non impediente, non tamen committitur Deo volente, 322. Offenſa Deo per peccatum illata eſt gravitatis infinitæ, ibid. &c. Quo pacto peccata ſint inæqualia, quamquam in ratione offenſæ Dei ſint infinita, 323. &c. Neceſſe fuit divinum verbum humanam naturam aſſumere ad condignam pro peccato ſatisfactionem, 324., & ſeq. Vide V. *juſtitia* V. *æternitas*.
Plato futuram juſtorum, injuſtorumque retributionem ex divina Providentia, & bonitate arguit, 48. & 49. Eamdem luculentius adſtruit in *Phædone*, 75. Vindicatur ipſius doctrina, 76. Temporariam aliorum, aliorum autem æternam punitionem docet, 285. &c.
Pithagoras animam poſuit immortalem ac divinæ mentis propaginem, 71. futura præmia ac ſupplicia ſtatuit, ibid. Suæ doctrinæ ſectatores plures habuit, 72. Veroſimilius eſt Metempſychoſis commentum affictum ipſi fuiſſe, 73.
Plutarchus idem aſſerit eſſe de divina Providentia, ac de animorum immortalitate judicium, nec alterum poſſe dogma relinqui, altero ſublato, 49., & 50. Ejus narratio de Theſpeſio quodam redivivo, 50.
Pœnæ futuræ dogma ex Dei ſanctitate, Juſtitia, & Providentia invicte probatur, 20., & ſeq. Hoc argumento ſapientiores inter gentiles Philoſophos de futura impiorum pœna convicti ſunt, 47. In ea ponenda nationes omnes tum veteres, tum recentes conveniunt, 54. uſque ad 94. Firmiſſimum eſt ad eam adſtruendam, quod ex hac conſenſione promitur, argumentum, 96. & ſeq. Quam falſo humanæ po-

litiæ a quibuſdam tribuatur, 98. & ſeq. Futuræ pœne perſuaſio Reipublicæ, civiliſque ſocietatis conſervationi admodum utilis, 99. ſi mendacio niteretur, nec eb omnibus probari, nec diu conſiſtere potuiſſet, 100. &c. Frequenter in Evangelio, aliiſque ſacris libris inculcatur, 103. &c. Etiamſi nulla lex pœnam expreſſiſſet, naturaliter actus humanus pravus pœnam meretur, 552.

Pœnæ impiorum vitæ futuræ ex Dei verbo maxime definiendæ, 119. &c. Abſona earumdem a quibuſdam conficta deſcriptio, 120. Viſiones ac revelationes de pœnis Inferni quo ſenſu plerumque accipiendæ ſunt, 121. &c. Pœna *damni*, quo impii in altera vita punientur, in quo conſiſtat, 122. &c. Quomodo eam deſignant Judæi, ec Mahumedani, ibid. Eam ſæpe memorant ſacræ litteræ, 123. Æquitas, ac magnitudo hujuſce pœnæ, ibid. &c. Eam pœnis aliis quibuſcumque præferunt Eccleſiæ Patres, ibid. &c. Eamdem in Damnetis aggravet Beatorum gloriæ conſpectus, 124. Præter pœnam *damni* admittendæ ſunt etiam pœnæ *ſenſus*, quibus impii plectantur, 125. Hæc longe acerbiores ſunt quibuslibet hujus vitæ tormentis, 126. His plectendi ſunt omnes actualis peccati rei, 128. & 129. &c. In quo conſiſtat pœna *vermis*, de qua mentio in Scriptura, 130. &c. De pœna ignis, 146. uſque ad 192. Pœnarum Inferni æternitas circumſtantia omnium terribilior, 193. &c. Pœnam, quæ juſte infligi non poteſt, nec minitari licet, a 135. Pœnæ æternæ remiſſio pugnat cum præcipuis Dei perfectionibus, 233. & ſeq. Reproborum pœnæ nedum finem, ſed neque mitigationem aliquam hebituræ ſunt, 168. & ſeq. Pœnæ non ſemper ſunt medicinales, 300. & ſeq. Inter culpam & pœnam æqualitas inveniri debet, 305. & ſeq. Ut pœna juſta ſit, æquari non debet durationi culpæ, 307. &c. Pœnæ debitum in Damnatis per *ſatiſpaſſionem* extingui nequit, 318. &c. Vide V. *æternitas*, V. *ignis*, V. *juſtitia*, V. *peccatum*.

Pœnitentiæ locus non eſt poſt vitam præſentem, 220. &c. Quinam facere dicuntur fructus dignos pœnitentiæ, 240. &c.

Poetarum teſtimonia de futuris impiorum ſuppliciis contemni non debent, quin potius magni pendi, 69. In quibus Poetæ fere omnes tum Græci, tum Latini conſentiant quoad alterius vitæ ſtatum, 70. Quænam communi notioni adjecerint ex poeſis licentia, 72. Eorumdem plurium de future vita teſtimonia, 70., & 80. ponatur iojuſtorum pœna, 53. &c.

Præmium. Si futurum juſtorum præmium ponitur, conſequens eſt ut & injuſtorum pœna, 53. &c.

Providentia io Deo nequit intelligi non admiſſo bonorum præmio, & malorum ſupplicio, 33, & ſeq. a Deo non exigit ut omnes rationales creaturæ finem beatitudinis conſequantur, ad quem cæteroqui conditæ ſunt, 294. & 295. Bonum totius Univerſi præ cæteris intendit, 297. Non eſt æternæ hominum ſaluti adeo eddicta, ut hanc unice, aut in primis reſpiciat, 298. Suaviter diſpoſuit, ut in hac mortali vita inordinatio a peccato inducta per gratiam removeretur, non autem in futura, 315.

Prudentiæ ratio exigit ut in rebus præſertim magni momenti tutiorem viam eligamus, 117. Adverſus illam evidenter peccant Increduli, 109., & 116. &c.

Prudentii Poetæ Chriſtiani verba de mitigatione pœnarum Inferni quomodo intelligenda, 245. & 248.

Purgatorium Græci Schiſmatici nomine negant, et cum Patribus re affirmant, 248. Pro levibus culpis puniendis admittendum omnino eſt, 309. & 310.

Pyndarus Poetarum Lyricorum Princeps quo pacto repræſentet futuram bonorum felicitatem, & impiorum miſeriam, 71. &c.

R

Ratio humana quamplura non attingit in rebus naturalibus alioquin certiſſima, 590. multo magis inepta eſt ad judicium ferendum de rebus ſupernaturalibus, ibid. & 291. ſubjici debet divinæ revelationi, 292.

Reparati Viſio pœnarum vitæ futuræ quo pacto a S. Gregorio Mag. expoſita, 521.

Reſpublica ſubſiſtere nequit, ſi in ea nec præmia extent ulla pro recte factis, nec ſupplicia pro flagitiis, 34. & 50. Perſuaſio hominum de future impiorum miſeria Reipublicæ utilis, immo neceſſaria, 93. &c.

Reſtitutio in integrum Damnatorum omnium ab Origeniſtis conficta, 194. Tempora reſtitutionis omnium apud S Petrum quænam, 295 &c.

Reſurrectio duplex, de que mentio fit in Apocalypſi, quomodo explicanda, 258. &c.

Roches Franciſcus Theologus Genevenſis quoſdam exiſtimat duntaxat inſigniter impios pœnis *ſenſus* ſive afflictivis puniendos in Inferno, 128. Ejus opinatio refutata, 129. &c. Propendet in eorum placitum, qui reproborum pœnas mitigandas putant, 168. Optimæ ejus animadverſiones in quemdam Origeniſtam, 291.

Romani quam conſtanter futuram impiorum ultionem crediderint, 80. & ſeq. aliquorum punitionem æternam poſuerunt, 285. &c.

Ruffinus Aquilejenſis amoliri a ſe ſtudet ſuſpicionem Origeniani erroris quoad Damnatorum ſalutem, 264.

Ruiſuich Hermanus igni traditus ob inferos negatos, 3.

S

Sadducæi a quo, & quo tempore originem ſumpſerint, 2. Eorum errores de futura vita, ibid. Pauci admodum fuere cum cæteris Judæis comparati, 62. Unde ad vitam futuram negandam adducti ſint, ibid. &c. Nihil ex eorum ſenteotia inter Judæos agebatur, ibid.

Salluſtius Hiſtoricus animæ immortalitatem, & bonorum præmia deprædicat, 85.

Salluſtius Philoſophus quid ſcribat de futuris impiorum tormentis, 76.

Sæculum quid in primitiva ſua ſignificatione deſignet, 109. Quam ſignificationem habeat in ſacris litteris, 200.

Scipio Africanus Pithagoræ quoad futuram animæ ſortem conſtanter adhæſit, 81.

Scythæ, aliæque Arctoæ gentes tum premia, tum ſupplicia poſt mortem crediderunt, 67.

Seneca Moralis. Ejus teſtimonium de hominum conſenſu quoad animæ immortalitatem, 54. Perperam ab aliquibus traductus veluti huic conſenſui repugnans, 84. Plures ejus ſententiæ, quibus evidens fit & animorum immortalitatem, & futuram vitam beatam, vel miſeram credidiſſe, ibid. & 85.

Sextus Empiricus de inferis, ſicut de Diis omnes homines notionem habere teſtatur, 54.

Scripturę Sacrę locutiones in ſenſu tropico ad arbitrium non ſunt accipiendę, 156. Quænam regulę ſervandę ut ſenſus proprius, ac nativus a metaphorico internoſcatur, 157. & ſeq. Qui Scripturę de igne inferni locutiones tropice interpretantur,

Digitized by Google

-antur, eam ab erroris, aut mendacii nota congrue vindicare non poſſunt, 166. Veriæ ejus dictiones ad æternitatem ſignificandem adhibitæ, 197. & ſeq. V. Teſtamenti ſententiæ, quæ Inferni ignem aſſtruunt, 150. uſque ad 153. Et pœnarum ejuſdem æternam durationem, 202. & ſeq. Sententiæ N. Teſtementi, quæ veritates eaſdem luculentius enunciant, 153, & ſeq. & 204, & 208. &c. Et quæ ſpatium pœnitendi Damnatis adimunt, 221. &c.

Siamenſes cæleſtem beatitudinem, & tartareos ignes in dogmatis habent, 90.

Sinenſes de animorum immortalitate non dubitant, 87. Impios in obſcuris carceribus cruciandos credunt, ibid. & 88. Athei quidam inter ipſos, ibid.

Socrates Deum agnovit rerum omnium conditarum cauſſam, maximeque humanarum Proviſorem, 47. & animæ immortalitatem, 75.

Sophocles. Ejus carmina de futura bonorum, malorumque ſorte, 71.

Sociniani dogma de æterno, impiorum cruciatu inficiantur, 195. Quo pacto impios æternum puniri affirment, 197. Quid reponere ſoleant ad Scripturarum textus, qui pœnarum Inferni æternitatem enunciant, 209. Eorum reſponſio perabſurda, ac tum naturali lumini, tum ſacris oraculis manifeſto repugnans, ibid. &c. Totum evertitur eorumdem ſyſtema de pœna impiorum, 210. &c. Fruſtra illud erigere conantur Sociniani recentiores novo adjecto temperamento, 210., & 211. Præcipuum eorumdem argumentum ex Scriptura contra pœnarum æternitatem evidenter ſolutum, 219 &c.

Status *viæ* & ſtatus *termini* quoad rationales creaturas omnino concedendus eſt, 303.

Stoici horrendis tenebris, ac tetris voraginibus impios damnabant, 77. &c., & 82. animas ſolum duraturas uſque ad Univerſi conflagrationem cenſuerunt, 78.

T

Tartarorum de alterius vitæ ſtatu ſententia, 92. Tempus vitæ præſentis eſt tempus gratiæ, miſericordiæ, ac ſalutis: futuræ vero tempus retributionis bonorum melorumque operum, 210. & ſeq. Damnatis nullum emplius pœnitendi, ac ſalutem operandi tempus conceſſum eſt, 221. &c. & 291.

Tenebræ in Inferno ſunt, 141. Harum deſcriptio facta a S. Job., ibid. & 142. maligno quodam lumine ſunt intermixtæ, ibid.

Tertulliani ſententiæ de reeli inferorum igne, 168. De ſempiterne Damnatorum pœna, 268.

Thales Mileſius enimam immortalem docuit, 75. Deumque omnia cernere etiam occultiſſima, ibid.

S. Theophilus Antiochenus verum ignem in Inferno ſtatuit, 167. &c. & æternam reproborum calamitatem, 268.

Theophilus Petriarcha Alexand. Synodum cogit adverſus errores Origenis, 261. Damnat ejus ſententiam de reproborum Apocataſtaſi, 262. Judicium Synodi ab ipſo coactæ ab univerſa Eccleſia probatum, ibid.

S. Thomas Aquinas. Præclara ejus documenta de æquitate, & magnitudine pœnæ *Damni* qua reprobi puniuntur, 123. &c. De æquitate pœnæ *ſenſus*, 126. De Damnatorum verme, 132. De loco Inferni, 141. De igne Gehennæ, 177. De ordinatione creaturarum rationalium in æternam beatitudinem, 294. & 295. De libero arbitrio iiſdem e divina Providentia conceſſo, 296. &c. De fine, quem Deus in ſuis actionibus præſertim intendit, 298. De pœna æterna, quæ Damnetis infligitur, 302. &c. De obſtinatione reproborum in malo, 304. De pœna tum veniali, tum mortali peccato debite, 309. &c. De inordinetione irreparabili per lethalem culpam inducta, 313. &c. De conſervatione creaturarum in eſſe, 316. De gravitate infinita offenſæ Deo per peccatum illatæ, 319. Præcipua recentium Origeniſtarum argumenta adverſus pœnarum æternitatem jam eb ipſo propoſita, ac ſoluta, 294. &c., 298., 300., & 302. Quatuor egregiæ ejuſdem rationes, quibus æquitas æternæ pœnæ pro peccatis inflictæ oſtenditur, 311. uſque ad 322.

Thraces quid ſenſerint de futura vita, 65.

Tiberii Imperatoris Epiſtola ad Romanum Senatum, 212.

Tilotſonus Anglus in recentium Origeniſtarum opinationem propendet, 195. Quo pacto eludat Scripturarum textus de pœnarum Inferni æternitate, 228, & 231. Exemplum prophetiæ de Ninivitis ſuæ ſententiæ non favet, 231. Perperam admitti poſſe erbitratur perpetuam reproborum exeluſionem e glorie, quin admittatur poſitiva eorumdem pœna, 234. Fruſtra nititur elevare fundamenta, quibus æquitas æternæ pœnæ comprobatur, 312., & 323. &c. Ejus ergutationes adverſus infinitam peccati gravitatem quam ineptæ, 323.

Timor futuræ pœnæ quam efficax ad continendos homines in officio, 1. &c. quam falſo humanæ politicæ inventioni a Deiſtis tribuatur, 98. & ſeq.

Titus Imperator viris fortibus locum inter ſydera, ignavis ſubterraneas tenebras denunciat, 82.

Tophet locus erat prope Hieroſolymam in valle filiorum Hinnon, 137. In hac Judæi idololatræ filios ſuos luſtrabant per ignem, 138. Sub hujus loci emblemate Iſaies deſcribit demnatorum carcerem, ibid. & 152.

V

Veracitas quid exigat, 235. Veracitas Dei ſalvari nequit non admiſſo Inferni igne proprie dicto, 167. & æterna reproborum animadverſione, 235. & 236.

Vermis nomine, quo cruciandi dicuntur Damnati quæ pœna intelligatur, 130. & ſeq. Patres nonnulli in obvio ſenſu de animali quodam mordente ſumendum putarunt, 131. Longe communior, & probabilior eſt aliorum ſententia, qui illum in ſenſu tropico exponunt pro conſcientiæ cruciatu, 131. & 139. Plura afferuntur in hujus intelligentiæ confirmationem, 133. Cauſſæ, unde in Damnatis oritur vehemens angor conſcientiæ, 134. ex metaphora vermis ad hunc cruciatum ſignificandum adhibita colligi nequit etiam *ignis* vocabulum ſumi poſſe in ſenſu metaphorico, 187. &c.

Veturiæ Romanæ de futura retributione verba ad filium Coriolanum, 81.

Ubiquiſtarum abſurda de Inferni loco ſententie, 136. Refellitur, ibid.

Virginiæ populi bonorum, malorumque retributionem perſuaſam habent, 96. exempla quæ proferunt in hujus confirmationem, 97.

Viſiones, & revelationes de pœnis Inferni quo ſenſu plerumque intelligendæ, 121.
Viſitatio Dei non pro viſitatione gratiæ & clementiæ ſed iræ ac Judicii apud Iſaiam ſæpius accipitur, 249, &c.
Vitringe Campeii commentarius in librum Iſaiæ, 151., 152., 208. 250. &c.
Voluntas in divino Judicio pro facto computatur, 311.
Voluptatum terrenarum amor præcipua cauſſa cur ab Incredulis futuro ſupplicia denegentur, 5. &c.

Z

ZAleuci Locrenſis de exitu vitæ pulcra ſententia, 65.
Zeno Cittienſis Stoicorum Princeps, animas immortales poſuit, & inferorum pœnas, 77.
Zoroaſter quo tempore floruerit, 62. Ejus doctrinæ quoad futuram vitam ſumma capita, 63. æternam impiorum pœnam docuit, 186.

ERRATA	CORRIGE
pag. 5 lin. 9 rigore	mœrore
p. 8 l. 41 perfecto	profecto
p. 12 l. 12 officiis	offuciis
p. 13 l. 55 de veritate	de virtute
p. 20 l. 11 ponunt	ponant
p. 24 l. 54 liberos	libero
p. 62 l. 48 ne	næ
p. 75 l. 25 ne	næ
p. 78 l. 4 manſuræ	manſuras
p. 87 l. 1 ſceleſtiſſima	ſceleſtiſſimi
p. 146 l. 3 paratis	parati
l. 33 ne multi	nec multi
p. 154 l. 8. agentes	agentibus
p. 161 l. 13 flatus	flatu
p. 217 l. 13 quæ	quas
p. 258 l. 40 alter	aliter
p. 267 l. 45 Arnophilum	Theophilum
l. 46 Theobium	Arnobium
p. 287 l. 54 eligat	eligas
p. 289 l. 46 plura in rebus	plura eſſe in rebus

MAG 2010344

DE SEDE INFERNI IN TERRIS QUÆRENDA

DISSERTATIO

AD COMPLEMENTUM OPERIS

DE FUTURO IMPIORUM STATU,

TRIBUTA IN PARTES TRES.

In quarum prima nova refellitur opinio SWINDENII Doctoris Angli Sedem Inferni in SOLE collocantis. In altera communis Sententia de Sede Inferni SUBTERRANEA defenditur, & illuſtratur. In tertia ſenſus ac doctrina Eccleſiæ Catholicæ de Articulo Symboli Apoſtolici DESCENDIT AD INFEROS propugnatur, tum contra SWINDENIUM, tum contra VOSSIUM, BOCHARTUM, alioſque Heterodoxos.

AUTHORE P. F.

JOANNE VINCENTIO PATUZZI

ORDINIS PRÆDICATORUM,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.



VENETIIS,

MDCCLXIII.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

HENRICHETTO VIRGINIO NATTA

ORDINIS PRÆDICATORUM

S. R. ECCLESIÆ PRESBYTERO CARDINALI

EPISCOPO ALBÆ POMPEJÆ &c. &c. &c.

F. JOANNES VINCENTIUS PATUZZI O. P. FELICITATEM.

OPTANTI mihi ſæpenumero, EMINENTISSIME PRINCEPS, *publicum aliquod obſequii erga Te mei præbere teſtimonium, opportuna admodum ceſſit occaſio in hujuſce Operis editione, in quo adverſum nefarios hominum quorumdam conatus vindicandam ac illuſtrandam ſuſcipio communem Chriſti fidelium* De Sede Inferni *doctrinam. Hoc namque tibi cum primis dicandum, nuncupandumque fuiſſe, qui te noverit, ſapiens quiſque judicaverit. Quem etenim alium expetere poteram Mæcenatem, a quo majus decus, firmiuſque præſidium eidem*

conſiderem acceſſurum, quam Virum in Eccleſia Principem, cujus nomen dignitatis, & gloriæ plenum eſt, cujus inſignia probitatis, atque doctrinæ merita ubique perſonant, cujus virtutes eximiæ veri Paſtoris exemplar, & imaginem exhibent? Quid enim in egregio Eccleſiæ Principe deſiderari poteſt, quod in Te peculiari quodam lumine non effulgeat? Si prudentiam rerum omnium magiſtram, ac normam fidiſſimam requirimus, ubi major? Si juſtitiam totius regiminis ducem, ac fundamentum, quis Te juſtior? Si ſapientiam in gerendis, ac ad optatum finem perducendis maximis, impeditiſque negotiis, quis Te excellentior? Quid vero dicam de animi magnitudine in præclaris capeſſendis rebus, de fortitudine in ſuſtinendis laboribus, de morum ſuavitate, ac ſumma in dignitatis culmine mederatione? Quid de Religione, pietate, divini cultus ſtudio, cæteriſque præſtantiſſimis virtutibus Tuis, quibus omnium animos allicis, Tuique in admirationem convertis? Teſtem appello commendatiſſimam utriuſque Longobardiæ Provinciam, quæ cum primum Te egregiæ, ac nobilis indolis puerum ſinu ſuo excepit, ob illuſtria naturæ, & gratiæ dona, quibus inclareſcere cœpiſti, aliquando futurum ominata eſt totius Ordinis, & Eccleſiæ decus, & ornamentum. Nec expectationem fefellit eventus. Ipſa namque Te magiſtrum Provincialem demirata, & experta commemorare affatim poteſt, quanta integritate, ac juſtitia Te geſſeris, quanta vigilantia, ac zelo diſciplinæ regularis conſervandæ incubueris, quanta ſollicitudine litteras excitaveris, vereque doctos, habita meritorum ratione promovendos, præferendoſque curaveris. Dicant tum domeſticæ, cum potiſſimum Mutinenſis primum, dein Taurinenſis Univerſitatis Cathedræ quanta doctrinæ, & eruditionis laude ſacras diſciplinas tradideris, quantum operæ contuleris in imbuendis Auditoribus Tuis humanarum, divinarumque rerum cognitione; quantum ex Te ſplendoris, & incrementi conſecutæ fuerint.

Verum ad commune rei Chriſtianæ publicæ bonum tantæ animi dotes impendendæ erant, nec diu veluti ſub modio deliteſcere, ſed ſuper Eccleſiæ candelabrum altius collocari, & eminere debuerant, ut jubar illarum ſplendidiſſimum omnes illuſtraret, inflammaretque. Sors hæc fauſtiſſima primum contigit perantiquæ Albæ Pompeiæ Eccleſiæ, quæ Te Præſidem, ac Paſtorem ingenti voluptate complexa, ſibi videre viſa eſt redivivam in Te imaginem ſuorum Antiſtitum Dalmatii, Dionyſii, Benedicti, aliorumque ſanctitate, ac doctrina illuſtrium, qui in ejus utilitatem profectumque vigilias, labores, vitamque ipſam inſumpſere. Enarrare quis

valeat

valeas optimi Paſtoris erga commiſſum ſibi gregem ſtudia, ac ſollicitudines? Pauli doctus exemplo omnibus omnia factus, pauperes ex inopia ſublevas, viduas, mærenteſque pupillos foves, ac ſolaris, noxium ex agro Dominico lolium radicitus evellere ſatagis: Quantam vero dexteritatem, ac ſolertiam præfers in adſerendis Eccleſiæ juribus, in componendis diſſidiis, in arguendo, obſecrando, increpando in omni patientia, & doctrina: quantam in Dei cultu amplificando, in eccleſiaſtica diſciplina promovenda ſedulitatem, in ſacris ædibus reparandis, pretioſaque ſupellectile ditandis largitatem, atque munificentiam, adeo ut nihil omittas, quod animarum ſaluti neceſſarium, ac utile ſit, non divini verbi pabulum, non ſanæ doctrinæ inſtitutionem, non laborem, non vigilantiam, non denique, quod præcipuum eſt, egregii Paſtoris exemplum ab Apoſtolo tantopere commendatum.

Verum quid plura perſequar? Dum ad plenum laudum Tuarum cumulum ſatis abunde eſt judicium, de Te conceptum, nec ſemel enunciatum Auguſtiſſimi illius Regis, qui Te ad ampliſſimam, qua præfulges, dignitatem provexit: Auguſtiſſimi, inquam, Sardiniæ Regis CAROLI EMANUELIS, *qui incredibili plane conſilio, ac prope divina virtute ſubjectos ſibi populos moderatur, ac regit: qui admirabiles curas ſuas, atque providentiam non intra ampliſſimos ditionis ſuæ fines concludit, ſed ad bonum, ac felicitatem totius Europæ etiam extendit: qui, ne dicam omnia, ob præclara, quæ geſſit, facinora ſummum ſibi decus, gloriamque maximam ubique terrarum comparavit. Talis itaque tantuſque Rex, æquiſſimus rerum omnium æſtimator, eximiis virtutibus tuis probe cognitis, atque perſpectis, Te inter cæteros omnes ad Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium promovendum cenſuit, ac delegit. Quid ſapientiſſimo hoc Invictiſſimi Regis judicio majus excogitari poteſt, atque præſtantius, quod Te tam ſublimis dignitatis gradu dignum declaret, ac manifeſtet? Sed vereor,* EMINENTISSIME PRINCEPS, *ne dum laudes Tuas commemoro, nimium abutar patientia Tua, Tuæque modeſtiæ faſtidium adferam. Quare, licet invitus, ſilentio obvolvam nobiliſſimæ Familiæ Tuæ ſplendorem, viroſque ſpectatiſſimos pietate, atque doctrina, in bello, ac in pace, in Patria, ac apud nationes exteras, qui ex illa, tamquam ex fertili agro, nunquam alii ex aliis propagari deſierunt: tum Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Calaritanum Archiepiſcopum Fratrem Tuum, qui æmulatus virtutes Tuas Sardiniæ Regis ſibi animum devinxit, ac favorem, & gratiam aſſecutus eſt: tum alterum Fratrem, qui Taurinenſe Athenæum ſapientiæ ſuæ radiis illu-*

illuſtrat. Interim D. O. M. enixe deprecor, ut Te diu ſoſpitem, & incolumem ſervet, ad Tibi commiſſi gregis uberiorem profectum, ad ſplendorem Ordinis noſtri, ad totius denique Eccleſiæ felicitatem, & gloriam: meque, dum Opus iſtud, qualecumque ſit, clariſſimo nomini Tuo inſcriptum Tibi offero, nuncupoque, præ omnibus Tibi addictum, & obſequentem, patrocinio Tuo, atque benevolentia proſequi, ac tueri pergas.

PRÆ-

PRÆFATIO.

NOnnullis ab hinc annis in Opere a me typis edito *De futuro impiorum ſtatu*, inſcripto, diſſerendum propoſui, fidemque devinxi meam, de alia haud ignobili, ac ferme intacta quæſtione, quæ *Sedem Inferni* ſpectat, adverſus præcipue nuperum ex Anglia Scriptorem, qui poſthabita omnium gentium ſententia, eam *in Sole* collocandam decreverat. Atque equidem, cum plurima huic controverſiæ tractandæ, & illuſtrandæ haberem congeſta, atque parata, non ſemel perficiendo operi, ſolvendiſque promiſſis manus admoveram; at alia ſtudia, occupationes aliæ, & illæ quidem graviſſimæ, queis diutius diſtentus ſum, ac ferme obrutus, a ſuſcepto me labore avocarunt, atque in hoc uſque tempus differre compulerunt, quo ex cæteris curis meis nonnihil otii ſuperfuit, quod in hanc diſſertationem elaborandam inpenderem. En igitur, ſerius licet, quam ab initio putaveram, tandem libero fidem meam, opuſque diu expectatum, atque a me ſæpe quæſitum in publicam lucem profero; in quo quæſtionem tractandam aſſumo de *Sede Inferni*, ſive de ſuppliciorum loco, ubi impii, ac ſceleſti homines a divina juſtitia æternum puniendi ſunt, de quo quidem argumento, ejuſque occaſione pauca quædam mihi præfari liceat.

Nemo jam neſcit, quam ſit novitatum avidiſſima Anglorum natio, quotque ex ea gente prodierint opiniones, ſive potius opinionum monſtra, nedum in liberalibus diſciplinis, quod utique ferendum eſſet, ſed in ipſa quoque doctrina, ac Religione Chriſtiana, & eo præſertim tempore, quo per funeſtiſſimum Schiſma ab Eccleſiæ Catholicæ gremio ſejuncta nullum patitur ſalutare frænum, quo ingeniorum ſuorum nimium effuſa libertas cohibeatur. Norunt eruditi omnes quo audaciæ, atque temeritatis tum ſuperiore Sæculo, tum hac ipſa ætate noſtra plures eorum devenerint, quid moliti ſint, quid moliantur in dies, ut antiquam pervertant Eccleſiæ fidem, quin & ipſa cujuslibet Religionis fundamenta

ſub-

Digitized by Google

ſubruant, novis quibuſdam, ac peregrinis placitis, quæ in litterariam rempublicam invexere. Atque illud equidem fateamur, oportet, quaſcumque hactenus gens illa nulli jugo ſubjecta commenta eſt in corruptelam fidei, ac Religionis perniciem, opiniones, non ita *novas* dici poſſe, ut nullum earumdem veſtigium præceſſerit in *ſæculis*, ut ajebat Salomon, *quæ fuerunt ante nos*. Quin immo, ſi illas attentius perſcrutemur, & hiſtoriam, ſive prophanam, ſive Eccleſiaſticam complectamur animo, facile quiſque perſpexerit, omnes quotquot in lucem protulit effrænis ſentiendi, ſcribendique libido, eaſdem demum eſſe, quæ jampridem ad tenebras, & ad Orcum damnatæ fuerant, novo fuco illitas, novis phaleris adornatas.

At enim vero, quod fieri poſſe minime rebar, in ſcenam tandem prodiit quidam ex gente illa Theologus, qui cæteris conſodalibus ſuis hac in re palmam præripiens inſolens adeo, atque inauditum paradoxum excogitavit, ut fateri plane neceſſe ſit, nihil huic ſimile per omnia retro ſæcula confictum eſſe, non ab iis tantum, qui ſerias cogitationes ſuas litteris mandavere, ſed neque ab audacioribus poetis, aut fabularum inventoribus, qui tot nobis ſomnia, tot deliria, futileſque imaginationes liberaliter venditarunt. Quid *de Sede Inferni*, ubi & deſertores Angeli, & ſceleſti homines in omnem æternitatem cruciandi ſunt, conſtantiſſime ſenſerint, non Chriſtianæ modo, ſed univerſæ pene gentes, nemini cognitum, exploratumque non eſt, eam ſcilicet intra telluris viſcera contineri, aut in ejuſdem centro. Et quamvis extiterint nonnulli, qui ab hac perſuaſione communi recedentes alibi collocandam eſſe putarent, nulli tamen ne quidem in mentem venit illam conſtituere, ubi D. Swindenius nulla cæterarum opinionum ratione habita, unice quærendam figendamque exiſtimavit, *in Sole* videlicet, aſtro omnium pulcherrimo, ac planetarum principe.

Tam abſurda, ubi id caſu intellexi, viſa mihi eſt hæc Swindenii opinatio rem plane *novam*, non jam *ſub Sole*, ſed in ipſomet Sole comminiſcentis, ut ſuaderi minime potuerim ſerio illam ab Authore propoſitam eſſe, ſed per jocum potius, ac luſum, ingenii ſui oſtentandi gratia: quamquam indignum prorſus honeſto homine mihi videretur in re tam ſeria jocari. Verum cum legendi libelli copia facta eſt, non ſine quadam admiratione, atque indignatione perſpexi

hujuſ-

hujuſmodi paradoxum ex animi ſui ſententia ab Swindenio proferri, atque propugnandum aſſumi velut unice verum, aut ſaltem veriſimile, rectæque rationi, quin etiam (quod amplius mirere) revelationi divinæ magis conſentaneum.

Scripſit Author lingua vernacula, hoc eſt Anglico idiomate, nomenque ſuum Operi non præfixit, fortaſſis, ut arbitror, ne ob tam immane commentum publicam ſubiret invidiam, ac popularium in ſe odia concitaret. Sed ut libellus pervagaretur latius, legereturque facilius, illum poſt aliquot annos in gallicam linguam convertit D. Bionius Anglicanæ Eccleſiæ Miniſter, nomenque etiam Authoris appoſuit, ſeu quod Swindenio humanis jam rebus exempto, nihil ab hominum invidia timendum crederet, ſeu quod avidis oculis a multis jam legi cerneret, & aliquibus etiam haud diſplicuiſſe cognoſceret peregrinam ſententiam. Certe non diſplicuit D. Vallio hiſtoriæ *Pædobaptiſmi* Scriptori, qui nedum author Swindenio fuit, ut in lucem illum emitteret, ſed & ſuffragio ſuo comprobavit, quin & nonnullis animadverſionibus, quæ in Operis calce leguntur, illuſtrare, atque firmare, licet infeliciter, adniſus eſt. Ut pretium operi ac labori ſuo compararet Bionius, gratiamque iniret a Lectoribus in ipſo limine, Præfationem appinxit, qua plane tumidiorem, majoraque promittentem vix invenias. Omnia ferme perſonarum genera ad hujus libelli lectionem, tamquam ad convivium ſplendidiſſimum accurrere fingit, Zelotes, Levitas, Sacerdotes, Atheos, Philoſophos, atque etiam Metaphyſicos: quorum alii quidem appoſitas dapes primo aſpectu, veluti ſibi minime congruas, aut neceſſarias reſpuunt, ac averſantur: ſed omnes tandem ut palato ſuo ſapidiſſimas ingenti cum voluptate deguſtant, eodemque cibo æque exſaturantur: ſcilicet in modico libello, ſi Bionium audimus, affatim continetur, unde inſtruatur Eccleſia, Athei revincantur, firmentur Philoſophi, & amplius illuminentur Metaphyſici. At nonne Swindenii ſingularis opinio novitate ipſa ſua avertere debuerat omnium animos, atque in ſui reprobationem permovere? Permoviſſet utique, reponit Bionius, ſi alibi Author illam edidiſſet: ſed felici admodum fato ſuo ſcripſit opus in Anglia: in Anglia, inquam, *ubi non immane Inquiſitionis Tribunal, non Synodorum decreta, non leges aliæ duriſſimæ ingeniorum libertatem coercent: ubi rara temporum felicitate, quemadmodum ajebat Tacitus, & ſentire quæ velis, & quæ ſentias, dicere licet.*

cet. Verum ſortem hanc, ut ipſe putat, feliciſſimam minime nos invidemus Anglorum genti, nec quiſquam, ut opinor, ſane invidebit æquus rerum æſtimator, qui attentius conſideret, quantum hæc quidvis opinandi, ſcribendique licentia in Religionis ruinam vergat, omnibuſque erroribus latiſſimam januam aperiat.

Sero in manus meas pervenit Swindenii Libellus, nullaque e veſtigio de eo refellendo injecta menti cogitatio eſt, tum quod in alia ſtudia incumberem, tum quod ejus hypotheſim riſu potius excipiendam cenſerem, quam argumentis refutandam. Nec ſane adverſus hunc Authorem calamum ſtrinxiſſem, ſi in inani figmento ſuo conſtruendo ſe tantummodo occupaſſet. At vero cum in anteceſſum ad pervulgatam inter Chriſtianos ſententiam convellendam ingenii ſui nervos omnes intenderit, eaque ſolum in aciem eduxerit argumenta, quæ pro ſe militare credidit, quæ autem ſibi obfutura perſpexit, ſilentio plerumque obvolverit, quo minus eruditis fucum facere facilius poſſet, operæ pretium mihi viſum eſt, in ipſum inſurgere, ac tum futiliſſimum ejus commentum penitus evertere, tum ea præcipue pleniore in luce fundamenta ponere, quibus innititur Chriſtiana, communiſque doctrina. Atque in hoc conſilio eo vehementius confirmatus ſum, quod neminem adhuc viderim, qui argumentum iſtud pro dignitate tractaverit. Duo quidem adverſus Anglum Theologum ſcriptores arma ſumpſerunt, alter Lutheranus, Catholicus alter. Verum an ſatis vel virium, vel copiarum militarium ad hanc concertationem attulerint, ex iis, quæ ſubjicio, judicet ſapiens Lector.

Prior itaque eſt Fridericus Otho, qui in Diſſertatione quadam inaugurali Witembergæ edita, cujus copioſam epitomen exhibent tum Ephemerides Litteratorum, tum Memoriæ Trivultienſes, diſcutiendam, ac refutandam aggreditur Swindenii ſententiam. Sed legitimis principiis, adeoque, & probationibus deſtitutus, dum in Adverſarium magno impetu invehitur, tanquam in erroneæ, & a verbo Dei prædamnatæ doctrinæ inventorem, in alios ipſe, eoſque graviſſimos errores miſerrime prolabitur. Cum enim ex ignea natura Solis argumentum Swindenius arceſſat, ut inibi locum tartarei ignis conſtituat, quaſi hoc ludicro telo plane ad incitas redactus eſſet, negat Inferni ignem eſſe corporeum, contenditque metaphoricum eſſe, atque ſpiritualem. Ac deinde,

inde, ut ſecum conſentiat, negat itidem feliciſſimam Beatorum Sedem eſſe Cælum Empireum, locum ſcilicet materialem, atque corporeum. Præterea quamquam Swindenii opinationem oppugnet, aut ſaltem oppugnare conetur, haud communi tamen acquieſcit Chriſtianorum ſententiæ Sedem intra telluris viſcera collocanti: quin potius juvenili ardore abreptus in illam inſurgit, tamquam in *papiſticam*, ſic enim vocat, *ſuperſtitionem* ex impuris Gentilium lacunis hauſtam, & in Eccleſiam vel a primis quidem ſæculis, ut aſſentitur, invectam, ſed omnino repudiandam, atque eliminandam, veluti poeticum figmentum, ac pinguem errorem. At enim vero cum nec in cælo, nec in terra locum pro Sede Inferorum Lutheranus Author inveniat, ubi tandem illam figendam putat? *Extra*, inquit, *totum univerſum:* quod perinde eſt, ac ſi nullibi dixeris; neque enim verum locum reperire licet, ubi ſoli imaginationi locus eſt. Ex quibus, ut fœdas alias hujus Scriptoris aberrationes omittam, ſatis omnibus conſtat infeliciter plane cum Swindenio congreſſum eſſe, cauſamque communem prodidiſſe potius, quam vel tantillum juvaſſe.

Quoad Catholicum Scriptorem attinet, nempe Michaelem Amatum Patria Neapolitanum, is quidem in ſecunda ex quatuor diſſertatiunculis, quas in Conſeſſibus Academicis recitavit, ac poſtea unico libello contentas publici juris fecit, argumentum, quo de agimus, verſat contra Britannum Anonymum (adhuc enim Swindenii nomen ignotum erat). Verum cum ipſi nota dumtaxat fuerit ſingularis opinio ex quodam *myſtico*, ut inquit, *ſermone*, quem legerat, caruerit-que integro Authoris Syntagmate, neque totam Swindenianam molem diruere potuit, nec fundamenta ſuffodere, atque convellere, quibus potiſſimum nititur. Quare nonnulla quidem in rem hanc erudite deprompſit, ſed quæ oppido non ſufficiunt ad veritatem bono in lumine collocandam, penituſque evertendum futiliſſimum commentum.

Præter hoſce duos, qui adverſus Swindenium pugnam inierunt, refertur etiam Johannes Gaſpar Loeſcherus in libro *Parergorum Sacrorum* Roclitii edito, quem videre mihi non licuit. Nonnulla queque contra Swindenii paradoxum diſſeruit V. Cl. Liberatus Faſſoni Scholarum Piarum in fuſiore quadam nota ad *Caput primum* eruditi libri ſui *De Piorum in ſinu Abrahæ Beatitudine ante Chriſti mortem*. Permulti vero

 ſunt

ſunt inter noſtrates, ſive Theologos, ſive ſacrarum Litterarum Expoſitores, qui *de Inferni ſitu* ſcripſere, Toſtatus, Bellarminus, Gretſerus, Soto, Suareſius, Sylvius, Duvalius, aliique: ſed omnes, ut quod ſentio, libere dicam, admodum jejune, & alio plerumque properantes: quod eis tamen culpæ minime vertimus: cum enim vix haberent adverſarios, quos refellerent, atque in alias plures adverſum Novatores controverſias pertractandas intenti forent; non eam huic quæſtioni illuſtrandæ accurationem, ac diligentiam adhibuere, quam eidem impendere facile poſſunt, qui ſuam in peculiari argumento induſtriam, & operam collocant.

Illud etiam me ſummopere impulit, ut in arenam hanc alacrius prodirem, quod tum Swindenii, tum Friderici Othonis, aliorumque abſurdiſſimæ de Inferno opinationes, non jam per cuniculos, aut per latus, ſed acie directa adoriuntur unum ex ſacratiſſimis fidei noſtræ articulis in ipſo Apoſtolorum Symbolo contentis, quo nempe profitemur Chriſtum Servatorem noſtrum, poſt paſſionem, & mortem ſuam *ad Inferos deſcendiſſe*. Quo etenim loco conſiſtat hujuſce articuli veritas, juxta ſenſum, quem tenet, ſemperque tenuit Sancta Mater Eccleſia, ſi ſemel obtineat illorum opinio? Quo, amabo, perrexit ſanctiſſima Chriſti anima, dum ad Inferos delapſa eſt? Num ad animas Sanctorum Patrum, atque juſtorum intra ſinum terræ detentas? Sed nullas ibi unquam extitiſſe pertendunt, quas Salvator inviſeret: ac præterea monſtro plane ſimile foret reproborum ſpiritus in cæleſti globo reponere, electorum animabus ad infima telluris loca ablegatis. An igitur abivit in *Solem*, vel *extra totum hoc univerſum* ad cacodæmones, & impios oſtenſione gloriæ ſuæ deterrendos? Apage nugas.

Hæ itaque cauſæ ſunt, quæ me permoverunt vehementer, ut quæſtionem *de Sede Inferni* diſcutiendam, illuſtrandamque ſuſciperem. Atque hæc paucis expoſita totius operis diviſio eſt atque œconomia. Diſſertationem in tres partes diſtribuo, in quarum prima adverſus Swindenium diſputationem aggredior, ſuæque novæ hypotheſis vanitatem, ſive potius fatuitatem oſtendo, omniaque ab ipſo magno verborum apparatu in ſui præſidium argumenta producta pleniſſime diluo: Tum vero in ſecunda vulgatam ſententiam, quæ damnatorum Sedem intra penetralia terræ conſtituit, omni probationum genere defendo. Demum in tertia de Symboli Apo-

Apoſtolici articulo *deſcendit ad Inferos* diſſero tum contra Swindenium, tum contra nuperos Heterodoxos Voſſium, Bochartum, Cramerum, Drelincurtium, alioſque plurimos, ac legitimo ejus ſenſu a pravis Adverſariorum interpretationibus, atque cavillis vindicato, & in clariſſima luce poſito, novum inde illudque validiſſimum argumentum elicio, quo Swindeniana moles tota conteritur, ac labefactatur.

Digitized by Google

NOS FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS

Sac. Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CUM, uti nobis exponitur, R. P. L. Fr. Joannes Vincentius Patuzzi Congregationis noſtræ B. Jacobi Salomonii Provinciæ noſtræ S. Dominici Venetiarum, Opus, cui titulus: *De Sede Inferni*, &c. compoſuerit, illudque prælo ſubjicere deſideret, Nos harum ſerie, noſtrique Officii auctoritate, quantum in nobis eſt, & ſervatis alias ſervandis, paterne indulgemus, dummodo a R. R. Admodum P. P. Lectoribus Ex-Vicariis Generalibus Fr. Fulgentio Cuniliati, & Fr. Bonifacio Finetti præfatæ Congregationis luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuſcumque, &c. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 13. Aprilis 1759.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors Magiſter Ordinis.

JUSSU Reverendiſſimi P. Fr. Joannis Thomæ de Boxadors Ord. Præd. Generalis Magiſtri, attente legi Opus, a R. P. Fr. Joanne Vincentio Patuzzi Congregationis noſtræ B. Jacobi Salomonii Alumno, cui titulus: *De Sede inferni in terris quærenda*. Quo in opere non ſolum nihil inveni bonis moribus, & catholicæ fidei contrarium, ſed demiratus præterea ſum Viri clariſſimi ampliſſimam eruditionem, profundiorem, ſolidamque doctrinam, ſtylum elegantem, ac nitidum. Quare ad retundendam quorundam Hæreticorum audaciam, eorumque contra Eccleſiam Catholicam profligandos errores opportunum maxime cenſeo, & publica luce digniſſimum. In quorum fidem, &c.

Datum in Collegio SS. Roſarii Venetiarum, die 17. Junii 1762.

Fr. Joannes Baptiſta Contarenus Sac. Theologiæ Profeſſor Ord. Præd. ſuffectus in locum R. P. Fr. Fulgentii Cuniliati defuncti.

Reverendiſſimi P. Joannis Thomæ de Boxadors totius Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis mandato humiliter obtemperans attente perlegi opus inſcriptum, *De Sede Inferni*, &c. & non ſolum nihil in eo fidei, aut bonis moribus adverſum comperi, ſed præclaram etiam, optimamque doctrinam cum pari eruditione conjunctam. Eapropter, quoad me attinet, dignum cenſeo, quod in publicam lucem prodeat.

Datum Venetiis in Collegio SS. Roſarii Ord. Præd. die 2. Aprilis 1762.

F. Bonifacius Finetti O. P. S. Theol. Prof.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Serafino Maria Maccarinelli* Inquiſitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *De Sede Inferni in terris quærenda. Diſſertatio in partes tres diſtributa Auctore R. P. Vincentio Patuzzi MS.*: non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi concediamo Licenza a *Giambattiſta Remondini* Stampator *di Venezia* che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 23. Luglio 1762.

(Sebaſtian Zuſtinian Ref.
(Alviſe Mocenigo 4°. Cav. Proc. Ref.
(Polo Renier Ref.

Regiſtrato in Libro a Carte 138. al Num. 665.

Giacomo Zuccato Seg.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM TOTIUS OPERIS

PARS PRIMA,

In qua nova refellitur opinio Swindenii Doctoris Angli Sedem Inferni in *Sole* collocantis.

CAPUT PRIMUM.

Conſpectus novi Syſtematis a D. Swindenio conficti de ſede Inferni in Sole quærenda. pag. 1

CAPUT II.

Origo expenditur a Swindenio productæ ſententiæ de ſede Inferni ſubterranea. Eam tribuit ille errori populari de Syſtemate Mundi, qui viguit inter primos Chriſtianos. Quam falſo ex illo collegiſſe aſſerat, plurium Eccleſiæ Patrum luculentis teſtimoniis oſtenditur. 5

CAPUT III.

Quam falſo Swindenius, aliique Scriptores affingant primitivæ Eccleſiæ fidelibus, ac Patribus abſurdam Coſmæ Ægyptii ſententiam de Cæli terræque figura. Status controverſiæ. Quid de iſta ſenſerint antiqui Philoſophi paucis attingitur. Quid vero Eccleſiæ Patres fuſius exponitur productis textibus Clementis Romani, Juſtini, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Euſebii, Athanaſii, aliorumque. Quorundam Patrum, ac præſertim Auguſtini mens aperitur. Quid de Zachariæ Papæ reſponſo ſentiendum. 8

CAPUT IV.

Præcipuum, ut jactat, vulgaris ſententiæ fundamentum aggreditur Swindenius ex Chriſti ad Inferos deſcenſione *deſumptum, cæteris omnibus prætermiſſis. Quam dubia fide Scripturarum textus attigerit. Loci Apoſtoli ad Epheſios memorantis* inferiores partes terræ, *in quas Chriſtus deſcendit, germanus ſenſus vindicatus, & illuſtratus plurimis Sanctorum Patrum teſtimoniis.* 16

CAPUT V.

Sententia de ſubterranea Inferorum ſede haud inter plane adiaphoras Chriſtianæ fidei opiniones referenda: quamquam de ea nullum prodierit Eccleſiæ decretum. Commentitia eſt, quam Swindenius apud doctiſſimos viros Catholicæ Communionis effingit, diſſenſio. An, & quo pacto ad doctrinam fidei illa pertineat, clariſſimorum Theologorum ſuffragiis decernitur. Calumnia ab Authore afficta S. Thomæ Aquinati revincitur, ejus doctrina propoſita. 19

Digitized by Google

CAPUT VI.

Primum Swindenii argumentum adverſus vulgarem de Sede Inferni ſententiam, depromptum ex repugnantia, quam fingit, latentis ignis intra viſcera terræ. Excutiuntur, & diſcutiuntur, quæ fuſius opponit ille, ſive de quantitate gehennalis ignis, ſive de neceſſitate illabentis aeris ad ejus conſervationem, ſive de violentia igni continenter illata, ſicut & alia incommoda, quæ inde ſecutura comminiſcitur. Nullius roboris eſſe convincitur argumentum ex iis etiam, quæ tandem Swindenius confeſſus eſt. 22

CAPUT VII.

Alterum illudque præcipuum Swindenii adverſus vulgarem ſententiam argumentum ex defectu ſpatii ſubterranei ductum ad capiendos damnatos omnes. Quam incerto fundamento illud ſuperſtruat. Theologorum quorumdam opiniones expoſitæ de ſpatio Inferni. Quid aliqui ſenſerint de amplitudine ejus ad capiendos reprobos neceſſaria. Fruſtra Swindenius exaggerat multitudinem Dæmonum. Animadverſiones quibus argumentum futile eſſe demonſtratur. Hypotheſis ingenioſa Henrici Mori irrito conatu ab Authore impugnata. 28

CAPUT VIII.

Geometriæ principiis Swindenii jam expoſitum argumentum penitus evertitur, atque in nihilum redigitur. Veriſimilis numerus hominum faciem terræ inhabitantium juxta Voſſium, & Ricciolium. Hypotheſes quædam conſtitutæ. Theoremata certiſſima, queis demonſtratur ſat ſpatii inveniri intra terram ad capiendos damnatos omnes, ſive Tartareus Carcer ad ducenta milliaria Italica cum aliquibus extendatur, ſive etiam ad viginti, immo & ad quatuor duntaxat cum aliis contrahatur. 34

CAPUT IX.

Ad examen vocatur novum a Swindenio invectum de Inferorum ſede ſyſtema. Quidquid ille contra conetur, ut omnem abs ſe amoliatur invidiam, periculoſum omnino eſt, Atheiſque, ac impiis arma miniſtrat, quibus futuram pœnam pernegent, atque contemnant. Pauca quædam de recto rationis uſu, quem plus nimio Swindenius exaggerat. 38

CAPUT X.

Ad criſim revocantur quæ ex ſacris litteris in ſui favorem profert Swindenius. Textus expenduntur, quibus ab Orbe terraqueo ſubterraneum ignem conatur excludere. Argumentum, quod promit ex quodam Apocalypſeos loco, quam futile ſit, oſtenditur. Locus alius ejuſdem divini libri cum ſyſtemate ſuo aperte pugnans opponitur. 43

CAPUT XI.

Expenduntur probationes, quas pro ſententia ſua adſtruenda, ex Philoſophia, ac ratione Swindenius derivat, quaſque directas *vocat, &* eſſentiales. *Eæ omnes, ſi admittantur, ſolum poſſibilitatem rei ut ſummum evincunt. Quam incertum ſit Solem ignea fluidaque conſtare natura. Author ſibi ſacriſque litteris repugnat, dum in ampliſſimo ſolari corpore ſedem Inferni defigit.* 46

CAPUT XII.

Probationes, quas conſequentiæ Swindenius appellat, in examen adductæ. Præcipuum harum fundamentum Copernicanum ſyſtema eſt, quod quam perperam demonſtratum *eſſe aſſeratur, pluribus oſtenditur. Sciolorum quorumdam audacia repreſſa, qui de hoc ſyſtemate, veluti de re penitus explorata loquuntur. Hoc etiam ſyſtemate admiſſo, nullius momenti ſunt, quas ille derivat, probationes. Ejuſdem antilogia notata.* 50

CAPUT XIII.

Nonnullæ aliæ Swindenii conjecturæ diſcuſſæ. Nova figmenta ab eodem excogitata ad fulciendam opinionem ſuam exſufflantur. Meris conjecturis humanæ rationis definienda non ſunt, quæ ab unica Dei voluntate pendent. Plauſibiliores conſpirant pro vulgari ſententia congruentiæ, ſi quæſtio hiſce dumtaxat dirimenda foret. 57

CAPUT XIV.

Examen ſolutionum, quas Swindenius adhibet ad objecta ſibi argumenta. Quod a Scripturarum ſilentio petitur, ſuo in lumine collocatur, eoque falſitatis revinci ſyſtema ſuum oſtenditur. Alteri, quod a prærogativis ſumitur in ſacris libris Soli tributis, ſua vis roburque aſſeritur, disjectis, quas contra commentus ille eſt, offuciis. Solutiones ad alia quædam argumenta curſim diſſipatæ. 63

CAPUT XV.

Argumenta, quæ Swindenii ſyſtema concutiunt, & labefactant, ab eodem prætermiſſa, levi manu attinguntur. Nullum ex nominibus, quæ ſive in veteri, ſive in novo fœdere tribuuntur Inferno, de Sole intelligi, aut eidem applicari poteſt. Idem quoque de proprietatibus, ſive affectionibus Inferni a Scriptura memoratis aſſerendum. Ineptæ Swindenii ſolutiones argumenti deſumpti ex tenebris Inferni, & luce corporis ſolaris. Aliæ tum Inferni, tum Solis notiones cohærere invicem nequeunt. 69

PARS SECUNDA,

In qua communis de ſede Inferni ſubterranea Sententia propugnatur.

CAPUT PRIMUM.

Locum aliquem certum, ac definitum admittere oportet, ubi Impii in futura vita puniantur. Brentii figmentum exploditur. Plures recitantur de hujuſmodi definito loco tum veterum tum recentiorum opiniones. Quinam ex hæreticis noſtri temporis, præter Swindenium, ſedem Inferni ſubterraneam inficiati ſunt. Quædam ad vulgaris ſententiæ probationem præmiſſa de animarum receptaculis, quæ communi Theologorum Catholicorum ſuffragio, intra telluris viſcera aſſeruntur. Quid ex iis colligere neceſſe ſit. 75

Digitized by Google

CAPUT II.

De conſenſu totius retro antiquitatis in ſede vitæ functorum, maximeque impiorum ſubterranea ſtatuenda. Hanc tenuiſſe oſtenditur Hebræos omnes etiam ante Machabæorum tempora, & ipſo Prophetarum, & Patriarcharum ævo: ſicut & Ægyptios, Idumæos, Palæſtinos, aliaſque vetuſtiſſimas nationes. Quæ Græci, Latinique Poetæ de illa ſcripſere, eamdem populorum fidem adſtruunt. Suffragati eidem ſunt tum Philoſophi, tum Hiſtorici. Firmum, quod inde conficitur pro hac ſententia, argumentum. 81

CAPUT III.

De ſignificatione vocis שְׁאוֹל *Sceol in V. T. ſæpe adhibita. Ea propria vi ſua, & germana ſignificatione non denotat neque mortem, aut ſtatum mortuorum in genere a loco ſejunctum, neque ſepulcrum, in quo conduntur cadavera: ſed terræ cavitatem, ſive voraginem. Probationes ſignificatus hujuſce plurimæ afferuntur. In hac ſubterranea voragine Infernum, ſive Damnatorum ſedem Scriptura conſtituit. Loca plura ejuſdem expenſa, ex quibus hoc aperte colligitur.* 90

CAPUT IV.

De voce ᾅδης *Adis ad Damnatorum ſedem ſignificandam in Scripturis adhibita. Quid de hac ſenſerint recentiores aliqui. Ea neque ſolum mortuorum ſtatum ſignificat, neque ſepulcrum, ſed ſubterraneum locum, qui defunctorum animas poſt mortem excipit. Græcorum omnium in hac ſignificatione conſenſio. Loca plura V. ac N. Teſtamenti producta, quæ non alio ſenſu explicari valent. Argumentum ex his confectum pro ſede impiorum ſubterranea. Pauca quædam de voce* Tartarus *quæ proſtat in 2. Petri Epiſtola.* 101

CAPUT V.

Duo alia metaphorica nomina ad deſignandam Damnatorum ſedem in Scripturis adhibita, quæ non minus eam ſubterraneam eſſe convincunt, Abyſſi *nempe, &* Lacus. *Quid nomine* Abyſſi *intelligendum veniat, exponitur. Afferuntur in eamdem rem plura Scripturarum loca. Quid proprie ſignificetur nomine* Lacus. *Textus nonnulli ſacrorum Librorum, qui illud pro Damnatorum ſede uſurpant, intra terram ſitam eſſe confirmant.* 107

CAPUT VI.

Vocabula terræ inferioris, infimæ, & ultimæ *Damnatorum carceri in Scripturis ſæpe tributa. Loca nonnulla producuntur. Textus* Pſal. 62., Eccleſiaſtici, *ac* Sapientiæ *diligenter expenſi. Omnium clariſſimi ſunt, remque plane conficiunt, qui habentur apud Ezechielem tribus Capitibus Prophetiæ ſuæ.* 112

CAPUT VII.

Aliæ Scripturæ locutiones, quæ intelligi commode non poſſunt, niſi de ſubterranea Inferorum ſede. Nonnulla de verbo deſcendere, *quo Scriptura ſemper utitur, dum impios in Infernum abeuntes deſcribit: ſicut &* de Gigantibus, *quos ſubtus terram collocat. Quid apud Job veniat nomine* portarum mortis. *Duo alia Apoſtoli Pauli, & Joannis Evangeliſtæ teſtimonia in rem eamdem producta, & vindicata.* 117

CAPUT VIII.

Præcipua adverſariorum evaſio ad laudata Scripturarum teſtimonia præcluditur. Quo pacto eam promoveant Anonymus quidam Author, & Campejus Vitringa. Abſurda maxima, quæ ex illa conſequuntur. Sapiens Cani in Scripturarum Interpretatione judicium. Argumentum expenditur ex Scripturæ locutionibus deſumptum de motu Solis, ac ſtabilitate terræ a Copernicanis tropice explicatis. Plures in illud animadverſiones, quæ nullius roboris eſſe oſtendunt. Daniel Cramerus Lutheranus caſtigatus. 122

CAPUT IX.

Perpetua Eccleſiæ traditione ſententia de ſede Inferni ſubterranea roboratur. Hujus teſtes ſunt Sancti Patres. Ignatii Martyris, Juſtini, Theophili, ac Clementis Alexandrini teſtimonia. Eam conſtanter docuerunt Origenes, ac Tertullianus. Alii primi, ſecundi, ac tertii Sæculi Patres Eccleſiæ producti. 127

CAPUT X.

Series aliorum Patrum contexitur, qui ſequentibus Eccleſiæ Sæculis floruerunt, & Inferos intra terræ viſcera poſuerunt. Chryſoſtomi mens in luce poſita contra Suicerum. Plura Sancti Hieronymi teſtimonia. Quænam fuerit Auguſtini de hoc argumento ſententia ex ipſo Auguſtino oſtenditur. Tum plurium aliorum Patrum teſtimonia referuntur in eadem plane convenientium. 132

PARS TERTIA,

In qua germanus, atque Catholicus ſenſus Articuli Symboli Apoſtolici, *Deſcendit ad Inferos*, aſſeritur, & vindicatur adverſum nuperos Heterodoxos, novumque hinc argumentum elicitur pro ſubterranea Inferorum ſede adſtruenda.

CAPUT PRIMUM.

De articulo Apoſtolici Symboli, deſcendit ad Inferos. *In Symbolo Aquilejenſis Eccleſiæ Rufini ævo jam recitabatur: unde nec occaſione hæreſis Apollinariſtarum adjectus eſt. Ante Rufini tempora deprehenditur etiam in nonnullis Symbolis, fideive profeſſionibus aliarum Eccleſiarum Orientalium, & Occidentalium. Miniſtri Caroli Drelincurtii audacia repreſſa. Plures Eraſmi errores de hac re obiter notati.* 137

CAPUT II.

Proprius, ac germanus ſenſus articuli Deſcendit ad Inferos, *a Catechiſmo Concilii Tridentini expoſitus. Quænam doctrinæ ipſius capita ad fidem pertineant, inquiritur. Fide certum eſt Chriſti Animam in triduo mortis ad Inferos commigraſſe. Gerardus Voſſius confutatus. Fidei quoque doctrinam ſpectat, deſcendiſſe Chriſtum ad Inferos, ut Sanctorum animas ibi detentas libertate donaret. An ad cætera Inferorum loca delapſus fuerit, res eſt in diſputatione poſita. Etiam ſubterranei loci conditionem implicari in hoc articulo, pluribus oſtenditur.* 143

CA-

CAPUT III.

Referuntur errores hæreticorum circa articulum Symboli, deſcendit ad Inferos. Abſurda Calvini, & blaſphema interpretatio, quam reipſa tradidit. In eumdem errorem impegit etiam aliquando Lutherus, a quo poſtea receſſit, ſed non niſi errore alio, quem ejus diſcipuli frequentius docent. Quo pacto hunc articulum expoſuerint veteres aliqui Calviniani, exponantque recentiores; a quibus omnibus diſſenſit nuperrimus Author, quin tamen attigerit Catholicæ Eccleſiæ doctrinam. 150

CAPUT IV.

Oſtenditur, quam proprius ſit, verbiſque omnino conſentaneus ſenſus, quem articulo Symboli deſcendit ad Inferos tribuit Eccleſia Catholica. Quo ſenſu in illo ſumatur, ac ſumi debeat verbum deſcendit adverſus Uſſerium, aliosque declaratur. Tum vero quid veniat vocabulo Inferorum, aut Inferni. Iſtud nedum locum denotat infra nos poſitum, ſed & ſubterranea receptacula, quo juxta Veteres abibant animæ poſt mortem ſive piorum, ſive impiorum. Explicantur Auguſtini textus ab Heterodoxis objecti. 155

CAPUT V.

Mutuus hæreticorum conflictus ſe invicem proſternentium circa præſentis articuli explicationem. Lutheri, Lutheranorumque ſententia falſa convincitur a Calvinianis. Quæ a Calvino, & ab aliis probata eſt, tum a Lutheranis, tum a potiore Calviniſtarum parte, ut plena abſurditatis, exploſa. Interpretatio Inferorum pro Sepulcro a Calvino jam penitus everſa. Bullingerus, & quidam alii ſtrenue confutati a Cramero. Solidæ in relatas omnes ſententias animadverſiones nuperi Authoris a Gaſparo Suicero producti. 161

CAPUT VI.

Samuelis Bocharti interpretatio articuli deſcendit ad Inferos peculiari examine diſcuſſa. Nimia ejus audacia retunditur. Quo ſenſu accipiendum, quod dictum eſt a Chriſto moriente, omnia in cruce fuiſſe completa. Nugatoria plane cenſenda ab illo producta, & explicata ſententia. Quam ſint futilia, quæ in hujus præſidium ab eo proferuntur, pluribus oſtenditur. Gerardi Joh. Voſſii commentum exploditur: cui nedum minime favet, ut ipſe putat, Rufinus, quin potius aperte adverſatur. 167

CAPUT VII.

Nemini Sanctorum ante Chriſti adventum patuit in cælum aditus: ſed in Limbo, ſive Sinu Abrahæ omnes degebant Chriſtum expectantes. Horum nominum explicatio. Vet. Teſtamenti in Catholicæ veritatis confirmationem ſententiæ plures adductæ. Miniſtri Drelincurtii quoad Eccleſiaſtici locum effugia præcluſa. De celebri Samuelis apparitione diſſeritur. Quæ extant in novo fœdere de eadem veritate teſtimonia, producuntur in lucem, ac Patrum præſidio muniuntur. 173

CAPUT VIII.

In eamdem veritatem conſpirat tum Judæorum, tum Eccleſiæ univerſæ perpetua traditio. Sectarum inter Hebræos principum ſenſus ex Joſepho indicatus. In eadem perſtitiſſe ſequiorum temporum Judæos pluribus evincitur. Eccleſiæ Chriſtianæ ab Apoſtolorum ævo conſtans traditio proponitur. Gerardi Voſſii de hac re ingenua confeſſio Sanctorum Patrum teſtimoniis ab ipſo roborata. Permulti alii Patres idem diſerte aſſerentes ad Voſſii cenſum in confirmationem adjecti. 183

CAPUT IX.

Leviores quædam recentium hæreticorum objectiones adverſus conſtitutam doctrinam paucis diſcuſſæ. Præcipuum, cui maxime fidunt, argumentum ex Chriſti Domini verbis ad Latronem in cruce dictis deprompium proponitur, & accurate perpenditur. Duplex explicatio loci illius jam adducta a S. Auguſtino. Utraque defenditur, & illuſtratur. Nonnulla de voce Paradiſi *a Chriſto adhibita. Ea regnum cæleſte neutiquam denotaſſe pluribus oſtenditur.* 188

CAPUT X.

Scripturæ textus proferuntur, qui deſcenſionem Chriſti ad Inferos evincunt juxta ſenſum Eccleſiæ Catholicæ. Celebris in primis prophetia Davidis deſumpta ex pſalmo 15. explicata de Chriſto a S. Petro in Actibus Apoſtolorum, *exponitur. Argumentum, quod ex ea conficitur, peremptorium eſt. Conſpiratio SS. Patrum in eadem expoſitione. Auguſtinus Calmetus notatus. Demonſtratur, quam abſona ſit, & indigna homine Chriſtiano interpretatio textus Apoſtolici adhibita a Novatoribus, ac præſertim a Joanne Clerico.* 195

CAPUT XI.

Aliæ Scripturarum Sententiæ in confirmationem Catholici Dogmatis proferuntur. Textus Apoſt. Pauli ex Cap. 4. Epiſt. *ad Epheſios. Legitimus ejus ſenſus Patrum interpretatione communitur. Bocharti ineptum commentum. Chriſti verba apud Matth. C. 12. de deſcenſu Chriſti ad Inferos intelligenda. Exploduntur futilia Miniſtri Drelincurtii reſponſa. Textus Apoſtoli* ad Rom. 10. *productus. Pueriles deridentur ejuſdem Miniſtri triumphi. Alia duo Scripturæ teſtimonia in Catholicæ veritatis præſidium adducta.* 204

CAPUT XII.

Eadem veritas de Chriſti ad Inferos deſcenſu perpetua, ac firma SS. Patrum, atque Eccleſiæ Scriptorum traditione comprobatur. Nonnulla de teſtimonio S. Thaddæi Chriſti Diſcipuli ab Euſebio producto. Tum vero a S. Ignatio Martyre ſeries teſtimoniorum ad quintum uſque Eccleſiæ Sæculum perducitur. Cætera indicantur. Quædam de ſenſu, ac fide aliarum Eccleſiarum, quæ a Catholica Romana ſejunctæ ſunt. 210

CAPUT XIII.

Conſectaria quædam derivantur ex Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ doctrina. Quæ contra reponunt Novatores ad examen adducta. Calumnia refertur, quam affingit Eccleſiæ Patribus Daniel Cramerus. Mira Danæi, & Drelincurtii audacia in explodenda authoritate Patrum. Quanti eam fecerint, ac faciendam decernant vel ex ipſis Proteſtantibus doctiſſimi viri. Quæ illi adverſum objiciunt, penitus diſcutiuntur. Ameſii hallucinationes, & errores notati. 221

CAPUT ULTIMUM.

Doctrinæ hac tertia parte traditæ, & vindicatæ complexio. Admiſſo Catholico ſenſu Deſcenſus Chriſti ad Inferos, admittere etiam oportet vulgatam de ſubterranea reproborum ſede ſententiam. Quædam obiter perſtringuntur. Swindenius maxime ex decreto Anglicanæ Eccleſiæ ſuæ Sanctos Patres, & Eccleſiam ſaltem veterem audire, ac ſequi obſtringitur. Sequi etiam tenentur cæteri Novatores. Concluſio totius Diſſertationis. 226